CVRSVS PHILOSOPHICVS

In quatuor Tomos diuisus.

AVTHORE

OCTAVIO CATTANEO
Societatis IESV.

TOMVS SECVNDVS.

Complectens

Disputationes in octo libros Aristotelis De Physico Auditu, & duos de Mundo, & Cælo.

I.HS

ROMÆ, Typis Nicolai Angeli Tinassij: 1677.

SVPERIORVM PERMISSV.

INDEX
DISPVTATIONVM, ET QVAESTIONVM,
Quæ in Secundo Tomo Cursus Philosophici continentur.

DISPVTATIO I.

DISPVTATIO II.

DISPVTATIO III.

DISPVTATIO IV.

DISPVTATIO V.

DISPVTATIO VI.

DISPVTATIO VII.

DISPVTATIO VIII.

Q. Vlt.

DIS.

DISPVTATIO XIV.

DISPVTATIO XV.

DISPVTATIO XVI.

DISPVTATIO XVII.

Q. VI.

DISPVTATIO XVIII.

DISPVTATIO XIX.

DISPVTATIO VLTIMA.

IO-

IOANNES PAVLVS OLIVA Præpoſitus Generalis Societatis IESV.

CVm opus, quod inſcribitur *Curſus Philoſophicus*, à P. Octauio Cattaneo noſtræ Societatis Sacerdote compoſitum aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, facultatem concedimus, vt typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, ita videbitur, in cuius rei teſtimonium has litteras manu noſtra ſubſcriptas, ſolitoque Sigillo munitas dedimus. Romæ 8. Iulij 1677.

Ioannes Paulus Oliua.

Imprimatur,

Si videbitur Reuerendiſs. Patri Mag. Sacri Palatij Apoſtolici.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Viceſg.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capiſuccus Ord. Prædicatorum Sac. Pal. Apoſt. Mag.

DISPV-

DISPVTATIONES IN OCTO LIBROS ARISTOTELIS DE PHYSICO AVDITV.

PROOEMIVM.

ASpero, & arduo ſcientiæ rationalis cliuo ſuperato, ad amœniora Philoſophiæ naturalis iuga diuertimus, vndè patet proſpectus ad hanc penè dixerim infinitam rerum cadentium ſub oculos multitudinem, in qua ſe nobis proponit contemplandam rerum omnium molitrix natura: eo enim conſilio præ cæteris animantibus fabricatum hominem crediderim, vt in hac mundi fabrica primas agendo, ſpectaculum ſimul foret, & ſpectator: eiſque humanæ intelligentiæ opibus populandis inſudaret, quas infra naturæ conſpectum Deus eſſe voluit. De naturalis ſcientiæ, quam vulgò Phyſicam appellant præſtantia, & vtilitate nihil ſupereſt dicendum præter ea, quę obiter diximus, dum ageremus in Logica tomo primo diſput. vltima quæſt. vltima num. 14. de ſcientiarum partitione, vbi obiectum á Phyſica contemplandum ſtatuimus, nimirum ſubſtantiam ſenſibilem. Primas & præcipuas huius ſcientiæ partes complexus eſt Ariſtoteles in octo Phyſicorum libris, quos de phyſico auditu inſcripſit, ea fortaſſe de cauſa, quod, vt eiuſdem interpretes paſſim exponunt, non poſſunt intel-

ligi sine viua præceptoris voce, eosdem explicantis; ideo enim de physico inscribuntur auditu, quia quæ ibi continentur addisci debent per sensum auditus, quem idẽ Aristoteles in primo Metaphysicæ cap. 1. & in libro de sensu, & sensibili appellat sensum disciplinæ, eo quod cæteris præstat sensibus ad scientias parandas.

DISPVTATIO PRIMA.

De principijs corporis naturalis in communi.

VSus iam diu apud Scholasticos inualuit, vt substantia sensibilis, cuius exacta intelligentia spectat ad physicam, corpus naturale appellaretur, opus igitur est eiusdem scientiam expetentibus, exordium sumere ab eius principijs, ex quibus intrinsece componitur, ab eis enim gradum facile parandum speramus ad principia extrinseca, quorum notitia perfectam parere solet rei scientiam. Quia vero sapienter monemur ab Aristotele, qui suis in voluminibus hanc methodum religiose seruauit, in liberalibus tradendis disciplinis prius vniuersalia, quam singularia exponere; ideo in præsenti disputatione primũ Aristotelis librum de physico auditu complectente, ea agitabimus, quæ spectant ad principia in communi rerum naturalium intelligenda.

QVÆ-

QVAESTIO I.

Quid sint, et quot sint principia corporis naturalis.

1 EXistentiam corporis naturalis, siue entis mutabilis sensibiliter, non debet probare, sed supponere scientia naturalis, vt ostendit Aristoteles in primo physicorum cap. 1. & rationem ibidem affert cæteris communem facultatibus, eo quod nulla scientia probat, sed supponit existentiam illius obiecti, quod speculandum sibi proponit: ita non spectat ad Mathematicam demonstrare existentiam entis extensi, neque ad logicam demonstrare existentiam entis cogniti, siue intentionalis. Hinc est turpiter erratum a Parmenide, Xenophane, & Melysso, qui, vt refert Aristoteles tum loco citato, tum in primo metaphysicę in ea fuere sententia, quod in rerũ natura vnicum tantùm existeret ens immobile, æternũ, & immutabile, ac nulli subiectum mutationi, cætera, quæ suadet quasi experientia, esse obnoxia mutationi, vere non sint, sed tantum sensibus falso iudicantibus appareant, perinde, ac si verè essent, & verè mutarentur. Ad id falso opinandum ex duplici capite mouebantur, primo quia si aliquid de nouo fit, debet ex nihilo fieri, quod aperte repugnat illi principio toties in philosophia decantato: *ex nihilo, nihil fit* secundo, quia si existerent plura entia differrent, vél ente, vel nihilo, non ente, eo quod omnia conueniunt in ratione abstracta entis, non nihilo, aliter non differrent, quæcumque enim differunt nihilo, non differunt.

2 Hæc sententia, quæ tollendo substantiam sensibilem, ac mutabilem, eneruat physicam, est eui-

dentiſſime falſa, in eo præſertim ſenſu, in quo narrat Ariſtoteles fuiſſe à prædictis Philoſophis vſurpatam: quis enim eſt, qui non intelligat hominem, equum, & leonem ſimileſque ſubſtantias vere exiſtere, eaſq; non eſſe vnam, & eandem rem, ſed plures inter ſe diſtinctas? Præterea nonnè ex hominibus, cæteriſque animantibus experimur in dies alia naſci, alia occidere? Nonne ſtuppam igni admotam continuo incendi? & alia id genus, quæ ſunt veræ mutationis certiſſimum argumentum: niſi dicere libeat id tribuendum fallaci ſenſuum æſtimationi, non rei veritati, quod aſſerere nemo non videt, an inſanire potius, quam philoſophari ſit exiſtimandum.

3 Non minus debile, & infirmum cenſeo vtrumque fundamentum, cui hæc ſententia innititur. Primum nullius eſt momenti, quia quando fit aliquid, fit ex non ente nō potētia, ſed actu, ita ignis fit ex ligno, quod non eſt actu ignis, ſed poteſt eſſe ignis, adeoque potentia dicitur ignis: neque huic doctrinæ repugnat, immo conſonat illud principium, ex nihilo nihil, cuius vberiori explicationi locum faciet controuerſia de Atomis, & Corpuſculis mox agitanda. Alterum fundamentum eſt etiam debile, quia res omnes creatæ realiter differunt ex ſeipſis, adeoque ente ſimul, & non ente, eſſe enim rei creatæ eſt deficiens, & imperfectum, formaliter vero differunt non, ente abſtracto, quod eſt ens vt ſic, ſed ente contracto, quod eſt tale ens. Fateor poſſe ad meliorem, & verum ſenſum trahi Philoſophos id opinantes, ſi nimirum loquuti cenſeantur de illo ente, quod antonomaſtice dicitur eſſe propter indefectibilem neceſſitatē ſumme, & sēper exiſtendi: cætera enim, ſi huic enti quod eſt Deus, comparantur, dicenda ſunt potius non eſſe, quam eſſe, iuxta celebrem, & veram Phraſim Auguſtini vocantis Deum eſſe, qui eſt, & Creatu-

ram esse, quæ non est, propter infinitam distantiam ab illo summo, & infinito esse, vt dicemus, dum in Metaphysica analogiam entis Deo, & creaturis communis, explicabimus: & sacris litteris summopere consonat: an vero id senserint præfati authores, non esse facile definire.

4 Stabilita igitur hac veritate circa substantias materiales, quas ex partibus physicis physice distinctis constare, est satis indubitatum, illud enim inter materialia, & immaterialia interest, quod hæc sūt simplicia, illa composita; controuersum est apud Physicos quænam, & quot sint illæ partes, ex quibus corpora naturalia componuntur: qua in re (vt fatear ingenue) quot capita, tot sententiæ, in plurimos enim, sibique contrarios errores abiere Philosophi, illi presertim, qui ante Aristotelis ætatem floruerunt; nec mirum, quia verum, a quo recesserunt, est vnum: falsum, in quod inciderunt, multiplex, eo pacto, quo recta, qua pergitur via, est vna: obliquæ vero a recta deflectentes innumeræ.

5 Alij posuerunt infinita rerum naturalium principia, nimirum infinitas atomos, cum quibus ex professo pugnandum in seq. quæstione. Alij vero posuerunt finita: Thales Milesius aquam, Diogenes, & Anaximenes aerem, Heraclitus ignem. Nimius essem, si vellem omnes Philosophorum errores recensere, quibus referendis, refellendisque multus est Aristoteles: satius est cum omnibus simul, quam cum singulis congredi, vnoque omnes ferro iugulare.

6 Id vt melius, & certius assequamur, notandum est res materiales, quas sensibus vsurpamus, varijs licet obnoxias mutationibus, non semper esse in continuo transitu, & mutatione totali, vt falso contendebat Heraclitus a Platone allatus in Cratilo, qui

proindè, vt inquit Philosophus in sua metaphysica omnia esse aiebat incerta, nihil posse euidenter cognosci, de omnibus ambigendũ, sed plurimas res materiales habere aliquam permanentiam, adeoque proxime accedere ad naturam rerum immaterialium, quæ semper eædem, & immotæ perseuerant. Rátio, quam quotidiana confirmat experientia, est euidens, quia plurima sunt corpora informáta qualitatibus inuicem pugnantibus, ex quo fit, vt vnum alteri resistat, atque obluctetur, ne suo videlicet é statu dimoueri patiatur, iuxta illud celebre Ouidij carmen:

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris, sine pondere habentia pondus.

7. Quorsum autem hæc corporum pugna vno in aliud impetum faciente, si necesse est singula statim ac oriuntur, extingui? Adde quód nemo experitur se antiquo exutum corpore, aliud recens subitò induere: cur igitur non idem sentiendum de plerisque animantibus, de Plantis, de Mineralibus, cæterisque elementis? quæ cum ita sint, oportet consideremus corpora naturalia in duplici statu, videlicet quando transeunt de non esse ad esse, in quo transitu considerata dicũtur esse in fieri, & quãdo iam habent esse, in quo statu dicũtur in facto esse. Corporis naturalis in vtroque statu accepti principia intrinsecá cum Philosopho hic quærimus, pro cuius solutione quæstiónis.

8. Dico primó: principia intrinseca córporis naturalis benè definiri ab Aristotele cit. loco *esse illa, quæ neque ex alterutris, neque ex alijs sunt, sed ex ipsis sunt omnia.*

9. Mirum est, quantum temporis terant recentiores Philosophi in explananda huiusmodi definitione otiosis cauillatíonibus diu multumque inter se occupati circa germanam intelligentiam illius particulæ

ex,

ex, quam tertiò repetitam plurimi mordicus negant eundem sensum reddere, adeoq; á philosopho ibidem vsurpatam æquiuocè. Non est mihi animus grauiora meditanti in re adeò leui, & ludicra immorari: videatur si libet Auersa qu. 10. sect. 1., & noster olim studiorum Præfectus P. Ioann: Baptista Gattinus in sua Philosophia. Eam particulam ita censeo explicandam, vt sensus sit, ea esse principia rerum naturalium ex quibus res omnes componuntur, non solum secundum existentiam transeuntem de non esse ad esse per mutationem physicam, sed etiam secundum existentiam rei completam, præscindendo ab omni mutatione. Hanc esse veram, & iuxta mentem Aristotelis explicationem mihi persuadeo, eo quod ei consonant illa, quæ de principio in latissima significatione vsurpato loquitur idem Aristoteles in 5. Met. text. 1. vbi ait esse illud primum, vnde aliquid fit, aut cognoscitur; ex quibus verbis patet pertinere ad conceptum formalem principij abstractissime considerati, vt ad illud res aliqua quomodocumque consequatur per connexionem, & consequutionem, siue ordine temporis, siue ordine naturæ, originis, & causalitatis, siue ordine suppositionis, & subsistentiæ. Duo itaque requiruntur ad rationem formalem principij, primo vt sit illud primum, ex quo fit, seu componitur quælibet res naturalis, ita vt eo non existente, neque intellecto non possit existere, neque intelligi res naturalis, vt in metaph. docebimus agentes de constitutiuis relationis. Secundò in eo genere, in quo est principium, non fiat ex alio principio, quod significatur per illas particulas: *neque ex alterutris. neque ex alijs.*

10. Hinc colliges primitatem, quæ constituit principium in ratione formali principij, esse negatiuam simul, & positiuam, negatiuam inquam, quia ante principium nihil aliud debet esse, quod in eodem ge-

nere antecedat: positiuam verò, quia post ipsum aliud sequitur: ideò sunt rerum naturalium principia, ex quibus ita componuntur res omnes naturales, vt ipsa ex nullo alio principio componantur, quod est formalissimè esse prima principia, & habere primitatem negatiuam, & positiuam eo fermè pacto, quo in ordine intentionali rerum speculandarum veritates notæ ex terminis, adeoque indemonstrabiles, sunt illæ, ex quibus cæteræ veritates demonstrantur, adeoque sunt prima speculandi principia, & in ordine morali finis vltimus est primum principium, quia omnia propter finem vltimum appetuntur, ipse verò propter se, non propter aliud appetitur. Inde est, quòd etiamsi vera esset sententia docens elementa nimirum ignem, aquam, terram, & aërem esse formaliter in omnibus corporibus, adhuc ea nō esset corporis naturalis principia, eo quod careāt primitate negatiua, cum ex alijs principijs componantur: neque enim sunt substantiæ simplices, esto in prædicta hypothesi haberent primitatem positiuam.

11. Dico secundò: principia generationis rerum omnium naturalium, siue corporis naturalis in fieri debent esse contraria. Ita Aristoteles cum omnibus antiquis, & modernis Philosophis cap. 7. huius libri; qui huius sententiæ veritatem probat communi omnium Philosophorum sensu, qui etiam si in diuersas, oppositasque descenderint opiniones circa numerum, & naturam huiusmodi principiorum, omnes tamen conuenerunt in recognoscenda aliqua oppositione inter eadem principia, cum aliqui magnum, & paruum, calidum, & frigidum, alij rarum, & densum, plenum, & vacuum, alij litem, & amicitiam, alij demum ens, & non ens rerum omnium principia constituerint.

12. Probatur ratione à priori desumpta, ex conce-

ptu formali corporis naturalis in fieri, quod eſt formaliſſimè corpus naturale, quod tranſit de non eſſe ad eſſe. Ad cuius euidentiam ſciendum eſt, tria eſſentiáliter requiri ad quamcumque mutationem ſubſtantialem, & accidentalem, nimirum ſubiectum, quod mutatur, ſiue mouetur ab vno termino ad alium, terminum à quo mouetur, & termínum, ad quem mouetur. Ratio fundamentalis eſt, quia rem aliquam mutari formaliſſime eſt rem aliter ſe habere, ac ante, ſed repugnat intelligere rem aliter ſe habere ac ante, non intellectis his tribus, nimirum ſubiecto, quod mouetur termino á quo mouetur, & termino, ad quem mouetur, ergo in omni mutatione ſubſtantiali, & accidentáli, quæ eſt formaliſſimé motus, neceſſe eſt, vt tria prædicta requirantur. Patet eadem veritas à poſteriori, inductione facta per quemlibet motum, ſiue mutationem. In motu locali, quo lapis mouetur ad centrum, eſt lapis, qui mouetur, locus ſuperior, à quo mouetur, & locus inferior, ad quem mouetur. Idem contingit in motu alterationis, qui eſt mutatio accidentalís, per quam idem ſubiectum ab vna qualitate tránſit ad aliam: ita dum aqua ex calida fit frigida, datur aquá, quæ mouetur, frigus, ad quod mouetur, & calor, á quo mouetur: idem contingit in quacumque alia mutatione.

13. Suppoſito hoc diſcurſu, oſtenſiué demonſtratur veritas prædictæ ſententiæ. Principia rerum naturalium debent eſſe tália, vt ex ipſis fiant omnia, ſed ea, ex quibus fiunt omnia, ſunt contraria, ergo principia rerum naturalium ín fieri ſunt contraria. Mi:probatur: Ea, ex quibus omnia fiunt, ita debent cõparari, vt ſubiectũ ab vno término moueatur ad aliud, ſed repugnat, itá inter ſe comparari, niſi inuicem opponantur, neceſſe eſt enim, vt vnum principium alteri opponatur, ſi ſubiectũ accedẽdo ad vnũ recedit ab alio

14. Hinc

14 Hinc est, quòd quidquid fit, ex nihilo sui fit. Ratio est euidens, quia repugnat aliquid nunc fieri, si immediate ante fuit, quod enim fuit, non fit: vnde sequitur implicare contradictionem, quòd aliquando sit factum illud ens, quod semper fuit, adeoque Deum sempiternum a nullo esse factum, ergo in eo instanti, quod immediate antecedit illud instans, in quo aliquid fit, necesse est dari negationem illius, quod fit: ergo omne id, quod fit, transit a sui negatione ad sui existentiam: sed omne id, quod transit a sui negatione ad sui existentiam, fit ex nihilo sui, ergo omne id, quod fit, ex nihilo sui fit: ideo album fit ex non albo, ignis ex non igne, & vsurpando exemplum Aristotelis, musicum ex immusico; id autem non est ita intelligendum, vt id, quod fit ex omni eo, quod non est ipsum, fiat, nimirum album ex quolibet non albo musicum ex quolibet immusico: id enim est euidenter falsum, & repugnat experientiæ simul, & rationi, tum quia quodlibet non fit immediate ex quolibet, tum quia ex lapide non fit immediate ignis, etiamsi lapis non sit ignis. Vt igitur ens, quod fit de nouo, ex non ente fiat, satis est si fiat ex non ente actu, licet fiat ex ente potentia, ita ex ligno, quod non est actu, sed potentia ignis, fit ignis, adeoque ignis fit ex non igne actu, & ex igne potentia.

15. Dico tertiò: principium corporis naturalis, non est vnum ens completum, quod iuxta diuersos gradus raritatis, & densitatis constituit diuersa corpora. Hanc sententiam docet expressè Aristoteles, quem sequuntur omnes Peripatetici vna cum S. Thoma, & omnibus Theologis contra antiquos Philosophos, qui dicebant rerum naturalium principium esse ignem, vel aquam, vel aerem, vel aliud simile corpus, quod est ens, siue substantia completa.

16. Veritas nostræ sententiæ demonstratur primò: fieri

fieri non potest, vt omnia corpora, quæ in rerum natura existunt, & constat esse diuersa, non differant inter se nisi penes raritatem, & densitatem; quæcumque enim differunt, per hoc præcisè, quod vnum est rarum, & aliud densum, non possunt inter se differre, sicuti differt homo à planta, equus à marmore, & alia id genus, quæ procul dubio differunt plusquam accidentaliter. Ratio à priori est, quia differre solùm secundùm raritatem, & densitatem est differre solùm accidentaliter, adeoque ea, quæ differunt secundùm raritatem, & densitatem minùs differunt, quam differat homo à planta; ergo tota differentia, qua corpora naturalia inter se differunt, non potest refundi in solam raritatem, & densitatem eiusdem corporis.

17 Demonstratur secundò. Implicat in terminis formalē, & præcisam rationem diuersitatis inter vnū, & aliud corpus, esse id, ante quod inuenitur tota diuersitas vnius corporis ab alio, sed omnia corpora naturalia, quæ constat euidenter inuicem differre, ante quamcumque rarefactionem, vel condensationem inter se sunt diuersa, ergo ratio formalis differendi non est raritas, & densitas. Min. probatur, philosophādo de igne, qui habet summā raritatē, & terra, quæ habet summam densitatem, quod enim de igne, & terra dicitur, potest facilè traduci ad alia corpora, inter quæ non inuenitur tantùm discrimen in raritate, & densitate. Necesse est ignem differre à terra in priori ad quamcumque raritatem, & densitatem, ergo ignis differt à terra præscindendo ab omni raritate, & densitate. Antecedens probatur, quia non potest esse dubium, quin ignis habeat virtutem intrinsecam mouendi se ad certum, & determinatum gradum raritatis, ad quem occupandum resistere debet omnibus contrarijs, & remouere corpora impedientia, qua

enim

enim de causa puluis tormentarius statim ac in ignem conuertitur, tanto impetu mouetur ad locum ampliorem occupandum, vt ex apertis terræ visceribus erumpens momento temporis arces sibi oppositas diruat? Præterea dubitari non potest, an terræ elementum, quod est omnibus densius, habeat virtutẽ intrinsecam mouendi se ad certum, & determinatum gradum densitatis, ad quem consequendum pugnare debet cum contrarijs. Huiusmodi vis intrinseca, quam habet ignis ad raritatem, & terra ad densitatem, vtique antecedit quamcumque raritatem, & densitatem, á qua physice distinguitur, eo modo, quo causa distinguitur realiter á suo effectu, eumque antecedit saltem natura, & causalitate: hęc vis intrinseca, quę nihil est aliud, quàm natura ignis, & terræ, est sufficiens fundamentum constituendi diuersitatem inter ignem, & terram, vt patet. Necesse est igitur diuersitatem vnius corporis ab alio antecedere quamcumque raritatem, & densitatem.

18. Demonstratur tertio. Principium, ex quo fit aliquod non est actu, sed potest esse actu id, quod fit, vt ostendit inductio facta in omnibus rebus naturalibus, & artificialibus: id, ex quo fit quadratum, non est actu quadratum, sed est quadratum in potentia; illa materia, ex qua fit ignis, non est actu ignis, sed potest fieri ignis: sed huiusmodi corpus, quod appellatur ab istis Philosophis materia, ex qua diuersimodè rarefacta, & condensata fiunt omnia, est tale, vt ex ipso fiat ignis, vel terra, vel alia substantia completa, ergo principium rerum naturalium non est vnum ens completum.

19. Dico quarto: principia intrinseca corporis naturalis in fieri debent esse tria. Ità Aristoteles loco citato cum omnibus Philosophis.

20. Ad huius veritatis euidentiam duplici

via

via procedimus, Aristotelis vestigijs inhærendo, ex quo totam doctrinam hausimus. Primo ostendendum est principia corporis naturalis non posse reduci ad vnum tantum, neque ad infinita, vndè inferendum est esse plura, quàm vnum, sed finita. Secundo demonstrandum est non esse plura, nec pauciora tribus.

21. Demonstratur primum assumptum, quoad primam partem, quia principia rerum naturalium, vt ostensũ est nu. 12. inuoluunt essentialiter aliquã oppositionem, sed nulla datur oppositio, vbi nulla datur distinctio, quia nihil potest sibi opponi, ergo principia rerum naturalium debent esse plura, quam vnum. Ratio secundi est, quia si essent infinita, non possent cadere sub scientiam, quia infinitum intelligi non potest, adeoque non posset haberi de rebus naturalibus scientia. Secundo si essent infinita, omnia contraria essent prima principia; quod est euidenter falsum, quia de ratione primi principij est habere primitatẽ negatiuã, hoc est non fieri ex alio principio, vt demõstratum est nu. 10. sed plurima contraria fiunt ex alijs contrarijs, vt apertè constat in omnibus qualitatibus secundis contrarijs, quæ fiunt ex primis contrarijs, albedo enim, & nigredo sunt qualitates secundæ contrariæ, & fiunt ex primis qualitatibus, nimirum calore, frigore, humiditate, & siccitatẽ, ergo &c.

22. Secundum assumptum demonstratur. In primis non possunt principia esse tantùm duo, quia indè sequitur non esse principia. Ratio huius consequentiæ est, quia principia corporis naturalis debent habere primitatem positiuam in eo formalissimè collocatam, quod ex ipsis fiunt omnia, sed si principia sunt tantum duo, non omnia fiunt ex ipsis, ergo sequitur principia non esse principia, si sunt duo tantum

ſum. Min. probatur. Ea, ex quibus fiunt omnia, debent eſſe cōtraria, vt oſtenſū eſt nu. 12. ſed repugnat fieri omnia ex contrarijs non exiſtente aliquo à contrarijs diſtincto, quod ſit ſubiectum commune vtrique cōtrario, & áb vno ad aliud moueatur, ergo non poſſunt omnia fieri ex duobus tantùm principijs.

23. Ex hoc diſcurſu vlteriùs colligitur principia eſſe neceſſario tria. Ratio eſt, quia principia, ex quibus fiunt omnia, ea ſunt, ex quibus omnia intrinſecé componuntur in fieri, ſed huiuſmodi neceſſarió ſunt tria, ergo &c. Min. probatur, quia ea, ex quibus omnia intrinſecé componuntur in fieri ſunt illa, ex quibus componuntur omnia, quatenus tranſeunt de non eſſe ad eſſe, ſed tranſire non poſſunt de non eſſe ad eſſe, niſi ſit ſubiectum, quod tranſit, id, a quo tranſit, & id, ad quod tranſit, ergo debent eſſe tria principia. Hinc etiam ſequitur non eſſe plura tribus, tum, quia non eſt neceſſe multiplicare hæc principia, tum quia tribus principijs præcisè intellectis, intelligitur fieri quidquid de nouo fit, ijs non intellectis, non intelligitur formaliter corpus naturale in fieri, vt omnibus conſtat.

24 Ob: primo. Non datur corpus naturale in fieri, ergo non dantur principia corporis naturalis in fieri. Antecedens probatur. Ex nihilo nihil fit, ſed corpus naturale ſi fit, ex nihilo fit, ergo non fit, ergo &c. Confirmatur corpus naturale in fieri, vel eſt corpus naturále exiſtens, vel non exiſtens: non eſt corpus exiſtens, quia id, quod exiſtit, non fit, ſed eſt factum, ſicuti Petrus, qui nunc exiſtit, non fit nunc, ſed eſt fáctus: neque eſt corpus non exiſtens, quod enim non exiſtit non fit, aliter alius Mundus, qui non exiſtit, nunc fit.

25 Reſp. nego antecedens. Ad eius probationem diſt. ma: ex nihilo ſui, & ſubiecti nihil fit, conc: ma:

ex

ex nihilo sui tantũ nihil fit,& nego ma:& dist.mi.corpus naturale si fit,ex nihilo sui,& subiecti fit, nego mi. ex nihilo sui tantũ fit,conc:min:& nego consequentiã. Omne id,quod fit (intellige per generationem,de qua in præsenti est sermo) ex aliquo subiecto fit, vt supra demonstratũ estnu.18.adeoque nonfit ex nihilo subiecti: hoc subiectum, ex quo fit, debet esse ens in potentia, non actu, quia licet non sit actu, quod fit, potest tamen esse id, quod fit. Ad confirmationem conc: ma: & dist: min: non est corpus existens in fieri, nego min: in facto esse, concedo min: & nego consequentiam.

26. Vrgebis. ly in fieri, vel est terminus distrahens, vel non: si primum dicis, ergo corpus existens in fieri est corpus non existens, sicuti homo pictus nõ est homo, ergo id, quod non existit, fit, adeoque alius Mundus fit: si dicis secundum, ergo corpus existens in fieri verè existit, sed id, quod verè existit,non fit, sed est factum, ergo argumentum recurrit.

27. Resp:ly *in fieri* non esse terminũ distrahentẽ, sed esse terminum diminuentem, sicuti in hac propositione: Aethyops est albùs secundũ dẽtes,significatio huius termini *albus* non distrahitur,sed diminuitur à termino sequenti, vt ostensum est in summulis. tomo 1. par. 1. cap. 9. num. 1. Corpus igitur naturale in fieri est corpus primò existens, hoc est ità existens, vt in instanti immediatè antecedenti non fuerit. Corpus verò in facto esse est corpus secundò existens, hoc est ita existens, vt immediatè ante fuerit. Inde est, quod Petrus existens non est Petrus in fieri, siue corpus in fieri, quia ità nunc existit, vt immediatè ante fuerit.

28. Ob. secundo:principiá rerum naturalium in fieri, vel non sunt contraria, vel ex ipsis non sunt omnia, ergo implicat contradictionem esse principia, &

esse

esse contraria, ergo non dantur pincipia contraria, ex quibus fiunt omnia. Antec. probatur: cõtraria se inuicem excludunt, sed ea, quæ se inuicem excludunt, non possunt esse talia, vt ex ipsis sint omnia, ergo &c. Confirmatur: illud constitutum, cuius intrinséca constitutiua opponuntur contradictoriè, est formalissimè chimæra, ergo vel intrinseca constitutiua corporis naturalis non opponuntur contradictoriè, adeoque non sunt contraria, vel ipsum corpus naturále est chimæra.

28. *Resp.* nego antecedens. Ad eius probationem conc: ma: & dist: min: vt ex ipsis sint omnia in fieri nego min. in facto esse concedo minorem, & nego consequentiam. Principia, quæ componunt corpus naturale non sunt contraria, quatenus componunt corpus naturale in facto esse, id enim euidenter repugnat: & ratio à priori est, quià quæ opponũtur cõtradictoriè oppositione, quæ inuenitur inter formam, & carentiam formæ, non possunt esse simul, cum impossibile sit idem simul esse, & non esse, sed principia, quæ componunt intrinsecè corpus naturále in facto esse, debent esse simul, quia substantia materialis habet totum esse simul, ergo principia, quæ componunt intrinsecè corpus naturale in facto esse, non possunt esse inuicem contraria. Opposito modo philosophandum est de principijs componentibus corpus naturale in fieri, quæ non solùm possunt, sed debent esse contraria sine vlla contradictione. Ratio est euidens, quia principia, quæ componunt corpus in fieri, sunt illa principia, quæ constituunt corpus náturale in eo statu præcisè, in quo transit de nõ esse ad esse, ergo debẽt necessariò sine vlla cõtradictione esse cõtraria. Ad cõfirmationẽ conc: ántec: & nego consequentiam. Ostensũ est in logica to. 1. disp. 10. q. 1. n. 13. contradictionem esse affirmationem, & negationem eiusdẽ de eodẽ pro co-

eodem tempore: indè est nullam esse contradictionē inter Petrum currentem in instanti A, & eundem Petrum non currentem in instanti B: corpus naturale in fieri componitur ex contrarijs in diuerso tẽpore existentibus, adeoque non habentibus repugnantiam, quia carentia formæ, siuè non esse, quod constituit corpus in fieri, antecedit tempore ipsum esse, adeoque esse, & non esse, quæ sunt de essentia corporis in fieri, non sunt in eodem, sed in diuerso instanti.

29. Ob: tertiò. Non minùs repugnat componi ex contrarijs corpus in facto esse, quàm corpus in fieri; primum repugnat, ergo etiam secundum: ma: probatur. Implicat totum, cuius partes se inuicem excludunt, ergo non minùs implicat componi ex contrarijs corpus in facto esse, quam in fieri.

30. Resp. nego ma: ad eius probationem dist: antecedens: implicat totum permanens, siuè totum in facto esse, cuius partes se inuicem excludunt, conc: antecedens, totum successiuum, siuè totum in fieri nego antecedens, & consequentiam. Est essentiale toti successiuo componi ex partibus, quarum vna alteri succedit, adeoque vna alteri non coexistit. Id enim interest inter totum successiuum, & permanens, quod hoc habet omnes partes simul, illud successiuè: ità tempus, & motus non habent simul omnes partes: implicat enim contradictionem horas componentes diem hodiernam esse simul. Corpus naturale in fieri, quatenus in fieri, est totum successiuum, quia in suo formali conceptu inuoluit transitum, siue mutationē rei transeuntis de non esse ad esse, qui transitus, & mutatio intelligi non potest, nisi intelligatur duplex instans, vnum antecedens, in quo res non existit, aliud consequens, in quo existit.

31. Ob. vltimo: principia intrinseca sunt illa, quibus non intellectis, non intelligitur res, sed non

intellecta causa, quæ producit corpus in fieri, non intelligitur corpus in fieri, quia causa non existente non existit effectus, ergo etiam causa est principium intrinsecum corporis in fieri, ergo principia non sunt tantùm tria. Confirmatur:actio,quæ determinat agens ad agendum, est ipsum determinatiuum corporis in fieri, ergo est eiusdem constitutiuum. Probatur consequentia. Vltimum determinatiuum hominis in esse hominis, est constitutiuum hominis, ergo vltimum determinatiuum corporis in fieri est eiusdem constitutiuum, ergo &c:

32 Resp.dist.ma.Illa sunt intrinseca principia corporis in fieri, quibus non intellectis, non intelligitur formaliter corpus infieri, conc. ma: non intelligitur arguitiuè,nego ma: & dist:min: non intellecta causa, non intelligitur formaliter corpus in fieri, nego min: non intelligitur arguitiuè conc min:& nego consequētiam. Causa, quæ producit effectum, est principium non intrinsecum, sed extrinsecum corporis in fieri, quia non est illud primum, ex quo corpus intrinsecè est, siue componitur, sed est id, á quo tanquam ab extrinseco còrpus accipit esse. Hinc est, quòd causa non existente, non existit arguitiuè res in fieri, non existente principio intrinseco, non existit formaliter, sicuti Deo non existente, arguitiuè non existit homo, qui pendet á Deo, anima non existente, formaliter non existit. Ad confirmationem dist. antecedens, est determinatiuum formale, nego antecedens,determinatiuum causale concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad eius probationem distinguenda est similiter ma: actio requiritur, vt determinet agens ad agendum, sicuti vbicatio requiritur, vt determinet rem ad existendum in loco. Inde est,quòd sicuti agens est principium extrinsecum corporis in fieri, quia producit efficienter corpus in fieri: itá actio est principium

ex-

extrinsecum, cùm eo tamen discrimine, vt agens sit principium vt quod, actio vt quo.

QVAESTIO IV.

Vtrum principia corporis naturalis sint entia completa, siuè atomi, et corpuscula.

1 CElebérrimam de atomis quæstionem aggredimur, quam ex professo agitasse non pœnitebit, eo quod non tantùm pro veritate aliqua naturali, & physica, verum etiam pro Religione, siuè vt aiunt pro aris, & focis dimicandum. In hunc locum opportunè cadit hæc disputatio, vbi enim ostendimus plura esse rerum naturalium principia, ex quibus constituitur corpus tám in fieri, quám in facto esse; necesse est inquirere, an huiusmodi principia, quæ corpus naturale constituunt, sint substantiæ completæ, vel incompletæ: indè enim facilis insternitur via ad sententiam Aristotelicam, & a scholasticis omnibus vsurpatam de materia, & forma suadendam. Nomine autem substantiæ completæ solet passim intelligi à Philosophis ens per se subsistens, quod nimirum tale est, vt vel non possit, vel non indigeat coniungi cum alio ente, in ordine ad faciendum vnum per se, sed tantum vnum per accidens, quod est vnum vnitate ordinis, vel aggregationis: huiusmodi vnitas reperitur in pluribus ciuibus facientibus vnam Ciuitatem: in multis militibus, ex quibus efficitur vnus exercitus: in varijs lapidibus, qui in vnum aceruum coalescunt. Hinc traxit originem

illud apud Philosophos tritum principium: *ex duobus entibus completis non potest fieri vnum per se*. Quod ità intelligendum est, vt ex duplici ente, quæ se mutuo perficere non possunt, vnum ens per se, siuè vnum principium commune omnium operationum resultare non possit. Nomine entis incompleti significatur illa substantia, quæ non potest in rerum natura existere, nisi constituat cum alio ente tertiam substantiam; huiusmodi esse materiam, & formam substantialem, ex quibus omnia fiunt, in schola Aristotelis est indubitatum, & nos infrà demonstrabimus.

2. Quantum spectat ad intelligentiam atomorum, de quibus occurrit sermo in præsenti, notandum est hanc vocem græcam atomos, quæ latinè reddita significat rem impartibilem, siuè molis adeò exiguæ, vt in plures partes substantiales secari non possit, vsurpari ad significanda corpuscula quædam indiuisibilia, quæ dicuntur esse substantiæ simplices completæ, ingenerabiles, & incorruptibiles: ex ijs omnia componi docent Philosophi, qui ab atomis, quas somniarunt, Atomistarum nomen accepere, huiusmodi enim à falsa intelligentia illius principij: ex nihilo nihil fit, in hanc sententiam conuenere, vt assererent nihil in rerum natura de nouo generari, nihil corrumpi, nullum esse discrimen inter substantiam, & accidens, immò nihil aliud existere, quam substantiam, eamque variari iuxta variam corpusculorum, & atomorum dispositionem; Inde est, quod ex noua, & varia huiusmodi minutissimarum rerum ingenerabilium, & incorruptibilium dispositione, atque aggregatione fiunt ea, quæ sensuum iudicio videntur produci de nouo, quamuis nihil verè, & realiter producatur.

3. Familiare est apud hos Philosophos, qui om-

nem generationem substantialem, & accidentalem è medio tollunt, adhibere ad explicandum opera naturæ mirabili quodam opificio hæc omnia, quæ cadunt sub oculos fabricantis, adhibere inquam exemplum artis, quæ licet nullam substantiam, nullum accidens possit viribus suis producere, nihilominùs tribuendo variam dispositionem, variamque figuram rebus uaturalibus, plurima, & inter se diuersa producit artefacta; ità ex diuersis lapillis opere musiuo affabrè dispositis, formantur simulàcra arborum, hominum, animalium, cæterarumque rerum: ex diuersis coloribus, quibus eadem tela imbuitur, finguntur diuersæ imagines. Quod si,(vt ratiocinantur huiusmodi Philosophi) ex viginti quatuor Alphabeti literis innumeras syllabas multum inter se discrepantes fieri cernimus, ità vt ex varia earum combinatione, dispositione, ordine, & nexu tandem aliquando existat pulcherrimum Virgilij Poema, & operosissima Homeri Odissea: Si varia corpora ità ordinantur, & inuicem colligantur studiosi Artificis industria, vt ex illis quælibet nobilis, & spectabilis figura existat, cur non poterunt huiusmodi Atomi, & corpuscula ità disponi, & ordinari, vt componant hanc mirabilem, & elegantissimam Mundi molem per variam, ac multiplicem eorum dispositionem, figuram, atque situm, absque vlla necessitate confugiendi ad substantias, & accidentia de nouo producta, adeòque intacta manente veritate illius principij: ex nihilo nihil, in nihilum nil posse reuerti.

4. Non est idem omnibus Atomistis sensus circa naturam, & proprietates huiusmodi Atomorum, ex quibus inuicem agglutinatis omnia fieri indubitanter omnes affirmant, sicuti ex pluribus frumenti granis eadem farinæ massa componitur; alij enim docent omnia corpuscula esse eiusdem naturæ, & solùm

differre secundum figuram, aliqua enim sunt Pyramidalia, ea videlicet, quæ summam habent in motu celeritatem, alia quadratam, triangularem, vel orbicularem formam habent iuxta maiorem, vel minorem eorumdem celeritatem ab vno in alium locum immigrantium; alij affirmant corpuscula esse diuersæ naturæ, ità vt alia sint ignea, alia terrea, & sic de singulis. Omnes tamen conueniunt in negandis formis accidentalibus, & substantialibus, adeòque in excludenda quacumque generatione substantiali, & accidentali, quando enim stuppa igni admota statim incenditur, nihil de nouo producitur, sed corpuscula ignea, quæ in stuppa latebant, & quasi dormiebant, incipiunt apparere, & à somno excitata vigilare, sicuti nihil de nouo producitur, quando frumentum in farinam resoluitur, eo quòd per lapidem molarem frangatur in minutissimas partes, quæ in grano latenter continentur.

5. Hæc sententia fuit antiquissima, vt refert Aristoteles, eaque videbatur penitus antiquata, nisi iam diù extinctam vocare voluissent ad lucem nonnulli nostræ ætatis Philosophi, qui tamen in philosophandi facultate egregiè peregrinantur; hunc enim speciosum antiquitatis errorem adamarunt, vt ab Aristotelis, & Platonis doctrina, quæ multum in scholis inuáluit, specie nouitatis recederent, atque confirmarent vulgare illud prouerbium, nullam videlicet esse sine amatore fœditatem, nullam sine Patrono fatuitatem. Hic philosophandi modus mihi vehementer displicet: iam diù enim est, quod mihi persuasum habeo, esse valdé alienum à veritatibus diuinitus reuelatis, & tandem aliquando ducere homines in Atheismum, hoc est ad negandam existentiam Dei, eiusdem prouidentiam, & animæ rationalis æternitatem, quibus erroribus nihil

huma-

humanæ Reipublicæ perniciofius, nihil falſius, non modò fidei Catholicæ verum etiam rationis lumine conſulto. Ad hos tam palmares, atque pudendos errores viam inſterni ab hac peſſima de Atomis Philoſophia, ea potiſſimum arbitror de cauſa, quod ij, qui in hunc modum philoſophantur, reijcientes compoſitionem ex ſubſtantia, & accidente, & omnia refundentes in variam atomorum poſitionem, nimium tribuunt ſenſibus, parum, ne dicam nihil intellectui, quem rarò, vel nunquam eleuant ſupra id, quod occurrit ſenſibus, adeoque nullam agnoſcunt formam ſubſtantialem, quæ vt euadat ſenſibilis, indiget accidẽtium, & qualitatum ſenſibilium ſupellectile: indé eſt, quod eorum plurimi nihil aliud exiſtere crediderunt niſi ſubſtantias materiales, intellectũ non differre á ſenſu, & illud ſolum intelligi, quod ſenſu percipitur. Addo ægré componi ea, quæ apúd Catholicos ſunt ſacroſancta, & in dubium vocare ſacrilegum eſt, cum omnibus, quæ docet huiuſmodi ſententia, multum enim laborant, & fortaſſe ſuccumbunt Authores Catholici, qui hanc ſectantur opinionem in purgando vitio in conſequentiæ, quod meritò eiſdem obijcitur, vt mox demonſtrabo. Quæ res ſatis eſt ad oſtendendam ſententiæ falſitatem cum veritatibus reuelatis ægré cohærentis.

6. Vt autem diſtinctè, & ordinaté in hac re cæteroquin implexa progrediamur, & certa ſecernamus ab incertis, tres libet in claſſes huiuſmodi ſententiæ ſectatores diuidere, quandoquidem gemino cum hoſte præſertim eſt pugnandùm, alij ſiquidem ſunt Philoſophi Catholici, quos vrgere poſſumus argumentis deſumptis ex veritatibus reuelatis, alij gentiles Philoſophi, qui argumentis á ſolo rationis lumine ſuppeditatis, ſunt oppugnandi.

7. Primam igitur occupant claſſem ex gentilibus

Philosophis quidam vetustissimi, qui, vt ait Aristoteles in 1.met.c.4. pingui prorsus, & rudi ingenio ad philosophandum accedentes, asseruere omnia componi ex cæca quadam, & fortuita atomorum concursatione; quæ cum sint substantiæ essentialiter improductæ, eo quod ex nihilo nihil fieri potest, iuxtá varios, & fortuitos motus, absque certo consilio alicuius mentis easdem ordinantis, huc, & illuc temeré moueantur, donec constituant tot, & tantas corporum species, quas in hoc Mundi theatro aspicimus. Iuxta hanc sententiam, quam ex antiquis Philosophis docuere Democritus, & Leucippus eleganter, & lepidé oppugnati á Tullio in secundó de Nat. Deor. nullus ex modernis, quantum potui animaduertere, ausus fuit expresse docere: tota hæc Mundi Machina est á casu, & fortuná, non ab aliquo intellectu, á quó cæteri meliores Philosophi Mundum esse fabricatum asseruere, cum opus naturæ sit opus intelligentiæ.

8. Secundum tenent locum alij ex Philosophis Gentilibus qui optimé intelligentes fieri non posse, vt absque ratione, & sapientia intellectus omnia disponentis cæco quodam impetu conspirauerint corpuscula in elegantem hanc Mundi structuram, consultó affirmarunt existere distinctam á corpusculis substantiam aliquam immaterialem, quam díuinam appellant mentem, siué intelligentiam, cuius imperio vniuersa moderantis, omnia hæc corpuscula mouentur motu, secundú alios, sempiterno, secundú alios temporaneo, & hanc rerum omnium multitudinem efficiunt. Huius opinionis, quám plurimi Philosophi secuti sunt, princeps fuit Anaxagoras, quem locutum tamquam sobriú inter ebrios meritó laudat Aristoteles eo enim deuénit, vt, mente supra sensum eleuata, Dei sapientissimi, omniaque intelligentis, existentiam recognouerit. Huiusmodi Authores, qui in errorem

Philosophiæ, simul & fidei repugnantem dè mortalitate animæ inciderunt, vnanimi consensu negant esse in viuentibus aliquam formam, quam vulgó animam appellamus distinctam á corpusculis: non aliter de homine philosophantur; quám de cæteris animantibus; opinantes intellectum, vt refert Aristoteles in lib. de An. esse quendam sensum cæteris sensibus, qui sunt in brutis animantibus longé nobiliorem; indè est, quod sicuti varias animantium operationes; quas vidèndo, gustando, & tangendo exerceri experimur, refundunt in corpuscula in quamcumque partem facilé mobilia: idèm sentiunt de vita, & cognitione hominis; hoc est de vita præstantissimi animantis.

9. Tertiá tandem sententia complectitur philosophos Christianos, qui hanc de Atomis opinionem purgatam ab erroribus, qui pugnant cum fide, in scholas induxere, acerrimi, & pertinaces Aristotelis doctrinæ insectatores. Hanc sententiam, (quam florere in præsentia intelligo Florentiæ) nullus secutus est Theologus, nullus magni nominis Philosophus: ijs tantum placuisse inuenio, qui leui quadam Philosophiæ tinctura asperfi, illud improbant, quòd cæteri probant, & contemptui habita Metaphysica, quam cauillationibus, non veritati vtilem arbitrantur, omnia ad sensuum èxperientiam superficiali quadam Philosophia traducunt: huiusmodi sunt Medici, Astrologi, atque Mathematici, & similis farinæ viri, nimirum Galilæus de Galilæis, Renatus de Cartes Sebastianus Bassanus in duodecim libris suæ Philosophiæ aduersus Aristotelem, P. Cabæus, & nuper Honoratus Fabrus in tomo, quem de homine inscripsit. Hi docent òmnia componi ex atomis á Deo productis in ipso Mundi exordio, quando nimirum, vt sacræ testatur paginæ, creauit Deus Cœlum,& terram

inde

Inde est nullum esse accidens materiale, siué entis ens, adoque saporem, colorem, odorem, & alia id genus, quæ vocant Peripatetici accidentia ordinata ad perficiendam substantiam, esse atomos, siué corpuscula. Ex huiusmodi átomis proportionaliter formantur omnia viuentia tam vegetabilia, quam sentientia, plantæ siquidem, quæ vitam habent, vndé vegetantur, & adolescunt, non differunt á metallis, cæterisque mineralibus per hoc, quod habeant animam, qua plantarum corpora animata eas exerceant operationes, quæ in cęteris rebus vita carentibus non inueniuntur, sed per hoc præcisé, quod diuersá in ipsis existat Atomorum dispositio: eodem pacto de cæteris ánimalibus philosophandum, vno duntaxat homine excepto, in quo præter corpuscula, necesse est inueniri formam aliquam substantialem, immaterialem, quæ est anima rationalis á corpore independens, & illud physicé informans, vt definitum est á Concilio Lateranensi sub Leone X. His prænotatis, vt ab istis Philosophis postremo loco enumeratis impugnandis exordiar.

10. Dico primo sententiam, quę asserit omnia componi ex atomis, & curpusculis non posse conciliari cum veritatibus reuelatis. Est communis contra Catholicos Atomistas.

11. Primum, & robustissimum argumentum ad hanc veritatem demonstrandam desumo ex venerabili Eucharistiæ Sacramento in hunc modum: sententia, quę docet, nullam dari in rebus materialibus compositionem ex substantia, & accidente, adeoque excludens omnem generationem accidentalem, & substantialem, non potest componi cum ijs, quę docet fides circa hoc Sacramentum, sed sententia, quę docet omnia componi ex atomis, docet nullam esse in rebus materialibus compositionem ex substantia,

&

& accidente, ergo non potest componi cum veritatibus reuelatis. Ma: probatur. Certum est, & indubitatum fide diuina, quod peracta consecratione, desinit esse substantia panis, qui conuertitur in Sanctissimum Christi corpus, manetibus duntaxat speciebus sensibilibus eiusdem panis, nimirum quantitate, figura, colore, sapore, odore, & similibus qualitatibus, sub quibus est verum, & reale Corpus Christi, in quod virtute verborum conuertitur panis mirabili conuersione, quę appellatur *transubstantiatio* vt diserté definiuit Concilium Tridentinum Can. 6. sess. 22. his verbis: Si quis dixerit in Sacrosancto Eucharistię Sacramento remanere substantiam panis, & vini vna cum corpore, & sanguine Domini Nostri Iesu Christi, negaueritque mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus duntaxat speciebus panis, & vini; anathema sit. Hactenus Tridentinum, ex cuius verbis duę propositiones nulli Catholico dubitandę inferuntur: altera est: pane consecrato non remanet amplius substantia panis, siué totaliter, siué partialiter, & Calice consecrato non remanet similiter substantia vini: altera propositio est. Post consecrationem remanet quidquid erat ante in pane, & vino immediate sensibile; id autem a Concilio exprimitur nomine pecierum Sacramentalium, sub quibus latet Corpus, & sanguis Christi. Supposita veritate huius doctrinę, de qua nullus Catholicus dubitat, in hunc modum formo argumentum contra Atomistas. Species panis & vini, nimirum sapor, odor, & alia id genus, quæ certum est manere in hoc Sacramento, vel sunt aliquid distinctum á corpusculis panis, & vini, vel non sunt aliquid distinctum; si primum, infero euidenter ergo aliquid datur in rerum natura materiale, & sensibile, quod ex corpusculis non componitur, ergo non

non omnia entia naturalia componuntur ex corpusculis: quæ consequentia directé contradicit sententię, quam oppugnamus. Quod si aduersarij coguntur admittere aliquid sensibile distinctum ab omnibus corpusculis, nimirum á substantia completa, facile erit vlterius progredi ad reliqua entia, demonstrandô omnia componi ex substantia, & accidente, & omnem substantiam materialem constare ex duplici substantia incompleta, quarum altera se habet per modum subiecti perfectibilis, & determinabilis, altera per modum actus perficientis, & determinantis.

12. Quod si dicatur secunda pars illius disiuncti, videlicet non esse aliquid distinctum á corpusculis panis, & vini prędictas species, contra est euidenter. Absoluta consecratione manent species panis, & vini in Sacramento Eucharistię, ergo manent corpuscula pánis, & vini, quia fieri non potest, vt ex duobus indistinctis maneat vnum altero non manente, sed corpuscula panis, & vini sunt ipsa substántia panis, & víni, vt fatentur Aduersarij, ergo in Sacramento Eucharistiæ manet cum corpore Christi substantia panis, & cum sanguine manet substantia vini, quod est contra concilium dámnans hęréticos modernos, nimirum Lutheranos, qui in hunc errorem incidentes vocantur Impanatores, vt refert Eminentissimus Bellarminus tom. 2. de Euch.

13. Vt hanc difficultatem soluas, quæ semper mihi visa fuit insolubils, dices primo hoc Sacramentum esse mirabile, adeoque ab hoc fonte miraculorum non esse petendum argumentum ad veritatem naturalem probandam. Fateor mirabile, quis enim neget mirabile illud, in quo mirabilia suá misit in compendium mirabilis Deus? teste Trid., numquid igitur falsum, quod de illo docet fides? Quod si verum est, vt te non repugnante est indubitanter verum,

an indé poterit sequi falsum ? at falsum ex veró sequi non posse demonstraui cum Aristotele in lib. Anal. Rectè igitur arguitur ab huiusmodi veritate reuelata ad quamcumque aliam veritatem naturalem, quæ sequitur necessitate consequentiæ: indè est sibi contradícere qui negat accidens á substantia distinctum, eāque formaliter perficiens, quæ est veritas naturalis sententiæ Atomistarum repugnans, & simul affirmat manere species panis non manente substantia panis, quæ est veritas reuelata, non secus ac sibi contrádicit, qui verum ait antecedens, ex quo sequitur consequens euidenter falsum.

14. Secundo dices, ad tuendum positum, vel produci á Deo miraculosè ad occultandam tantum Mysterium aliquas minimas entitates, quæ non sunt substantia panis, & vini, sed illi succedunt ad præstandum omne id, quod eadem substantia præstat in ordine ad saporem, odorem, & colorem sentiendum, vel consecrato pane, & Calice, aliqua panis, & vini corpuscula remanere, alia destrui, adeoqué totam substantiam panis, & vini verè non esse, eo quod ipsa consistit in aliquo certo, & definito Atomorum numero.

15. Duplex hæc solutio non minuit, sed auget vires argumenti propositi, vt breuissimè demonstro. Dicis á Deo produci prædictas entitates, infero, ergo falsum est manere in pane consecrato eundem colorem, & saporem, qui erat in pane nondum consecrato: quomodo igitur vera doctrina Concilij docentis esse post verba consecrationis quidquid ante consecrationem erat immediaté sensibile, eo quod illud solum definit esse, quod non est immediatè sensibile, nimirum substantia panis, & vini? quomodo verum, id, quòd omnium fidelium sensu, vnanimi P.P. consensione diuino afflata spiritu semper docuit, & docet

cet Ecclesia sub eisdem speciebus esse corpus, & sanguinem Christi, sub quibus erat panis, & vini substantia? Praeterea illud idem, quod ante consecrationem reddebat sensibilem, & demonstrabilem substantiam panis, vtique post consecrationem reddit sensibile, & demonstrabile Corpus Christi, veré dicendo: hoc quod videtur, tangitur, & manducatur, est Sanctissimum Christi Corpus. Addo sine vlla necessitate adstrui huiusmodi miraculorum productionem, immò cum maxima dissonantia intellectus melius percipientis hoc ineffabile Saceamentum, dicendo áccidentia, siuè qualitates sensibiles, quae sunt indiuiduae comites substantiae panis, & vini, conseruari à Deo prodigiosè sine subiecto.

16. Quod si dicis aliqua panis, & vini corpuscula manere aliis non manentibus, tibi euidenter contradicis, qui nimirum credis Concilio docenti nihil praecedentis substantiae superesse in pane consecrato: illa enim corpuscula, quae per te manent post consecrationem, sunt corpuscula panis, aliter praestare non possent quidquid sensibile praestabat panis ante consecrationem; praeterea sunt entia compléta, & subsistentia, quia nullum aliud ens agnoscis, quam completum, & subsistens, ergo relectis omnibus verborum inuolucris, sunt vere substantia panis, ergo post consecrationem remánet aliquid, quod est substantia panis. Indé est sustineri non posse ea quae de hoc Sacramento docemur à fide, nisi fateamur existere aliquod ens & intimè perficiens aliud ens, & ab eodem distinctum, vndè paratur via ad ostendendũ existere substantias incompletas se intimè perficientes, quod negant Atomistae.

17. Secund. argumentum non minus inuictum desumitur ex anima rationali in hunc modum: in homine vel non datur anima rationalis distincta á corpusculis,

lis, vel si est distincta non est forma substantialis corporis humani constituens physicè hominem ? vtrumque est contrà fidem, vt patet ex Lateranensi citato, ergo non possunt componi ea, quæ docet fides circa animam rationalem cum sententia asserente omnia formari ex atomis, siuè substantijs completis. Ma: probatur; quia si anima rationalis est distincta a corpusculis, vt fatentur Atomistæ Catholici, non potest ità vniri corpusculis, quæ constituunt corpus humanum, vt ea intimè perficiendo cum illis faciat vnum per se; ergo vel non est forma humani corporis, vel est indistincta à corpusculis; quia substantia, quæ non potest cum alia substantia facere vnum per se; non potest illam intimè perficere; ac physicè informare, hæc enim duo reciprocantur. Antecedens probatur, quia substantia adueniens enti substantialiter completo, non potest cum illo facere vnum per se, vnum enim per se non fit nisi ex duobus entibus incompletis. Ratio a priori est; quia repugnat in terminis fieri vnum per se ex duobus entibus creatis, quæ suam, sibi perfectionem mutuò non communicant, ità vt vnum sit subiectum alterius, & capax perfici ab eo; aliud sit forma perficiens, eo modo, quo accidens ità vnitur substantiæ, vt ista sit subiectum, quod recipit, & recipiendo perficitur; illud verò forma, quæ recipitur, & recepta perficit: (dixi consultò ex duobus entibus creatis; vt in præsenti præscinderem à Mysterio Incarnationis, in quo ex Verbo Diuino, quod est ens perfectè subsistens; & completum; & natura humana factum est vnum per se, de quo latè disputant Theologi, & nos cum illis obiter suo loco) Anima rationalis quandò aduenit corpori, procul dubiò aduenit rei habenti esse completum, quia huiusmodi corpuscula, ex quibus omnia intrinsecè componuntur iuxta opinionem Aduersariorum habent esse completum,

tum, cum sint corpora simplicia per se subsistentia. Inde est, quod ex anima rationali, & corpore humano non potest fieri nisi vnum ens per accidens, adeoque corpus humanum informari non potest substantialiter anima rationali.

17 Confirmatur argumentum. Corpus, cui vnitur anima, nihil aliud est præter corpuscula inter se continuata, quæ non habent esse incompletum, quia ante vnionem animæ cum corpore, & post eiusdem separationem, non vniuntur alteri substantiæ, per quā intrinsece compleantur, ergo habent esse completum eo modo, quo est ens completum lapis, planta, & quodcumque aliud corpus naturale, ergo anima rationalis non potest informare corpus humanum eo modo, quo Angelus non potest quodlibet aliud corpus informare. Vrgeo angustius hoc breui dilemmate, cui non potest inueniri exitus: vel post animā rationalem, quæ informat Atomos, succedit alia substantia, vel non; si succedit, ergo non omnia corpora componuntur ex atomis; si non succedit, ergo atomi non informantur anima.

18 Tertium argumentum desumitur ad hominém contra Aduersarios, quos redarguimus de manifesta inconsequentia. Vel nullum corpus naturale componitur ex solis corpusculis, vel omne, non omné, vt ipsi nobis concedunt, quia compositum humanum in ipsa atomorum dispositione concedunt non posse consistere, ergo nullum. Maior probatur, quia si aliquod corpus naturale componitur ex duobus entibus substantialiter incompletis, ex vna parte ruunt omnia fundamenta huiusmodi authorum, tum quia nullo argumento nos vrgere possunt ad probandum corpus naturale ex duplici ente incompleto componi non posse, quod ipsos non feriat idem circa compositum humanum opinantes, tum quia si optime intelli-

gitur

gitur quomodo anima rationalis, quæ est substantia immaterialis, vniatur intrinsecè corpori, cum quo cõstituit vnam substantiam completam, nimirum hominem, potiori iure intelligi poterit quomodo substantia materialis incompleta, informando, & perficiendo aliam substantiam similiter incompletam, constituat substantiam completam, quæ est corpus naturale, minor enim improportio est inter formam materialem, & materiam, quam inter formam immaterialem, & materiam. Ex alia parte validissimum argumentum desumitur ex composito humano ad cætera composita, quod pluribus demonstratur.

19 Primo: sola dispositio, & organizatio partium, ex quibus constat humanum corpus, non est satis ad eas præstandas operationes, quæ ab homine fiunt, ergo sola atomorum dispositio non est causa sufficiens, vt leo, vel equus exerceat operationes dissimiles à cæteris corporibus, ergo necesse est præter totam dispositionem partium componentium corpus leonis, vel equi agnoscere aliquod principium substantiale distinctum à corpore, nimirum animam, quæ corpus informando constituat ens completum. Prima consequentia probatur. Ideò per aduersarios non est ponenda in equo, vel leone aliqua substantia distincta à corpore, quæ sit principium vitæ, quia per hoc præcisè, quod corpuscula, quæ formant equum, vel leonem, ordinentur inter se diuerso modo, ac ordinantur corpuscula, quæ formant plantam, redditur ratio, cur equus, vel leo habeat vitam sentientem, qua caret planta, sed hoc est euidenter falsum, quia ille perfectionis excessus, qui inuenitur in corpusculis formantibus equum, vel leonem, præ corpusculis formantibus plantam, inuenitur proportionaliter in homine comparato cum equo, vel leone, non enim est minus mirabilis, & elegans organizatio,

atque structura partium, quæ requiruntur ad formandum corpus humanum supra structuram, & dispositionem partium constituentium equum, vel leonem, quàm sit mirabilis huiusmodi structura comparata cũ organizatione plantæ, ergo sicuti perfectior dispositio, & organizatio corporis humani præ corpore equino non potest esse formaliter principium operationum intelligendi, quibus homo ab equo secernitur, sed præter huiusmodi dispositionem requiritur alia substantia, quæ informans, & perficiens corpus humanum, exerceat operationes prædictas, ità perfectior ordinatio atomorum, & melior organizatio partium, quæ est in equo, quam in planta, vel lapide non potest esse formale principium operationum sentiendi, quibus equus a planta distinguitur, sed necesse est ponere aliquam substantiam a corpore distinctam, quæ formaliter perficiendo corpus equi, constituat vnam substantiam completam. Eodem modo philosophandum est de cæteris rebus naturalibus.

20 Sec. Multo magis mutatur homo, quando de viuẽte transit in mortuum, quam mutetur cũ de non intelligente fit intelligens, sed non potest de non intelligente fieri intelligens, nisi per aliquam formam accidentalem de nouo productam, a qua formaliter denominatur intelligens, ergo non potest de viuente transire in mortuum, nisi per aliquam formam substantialem de nouo productam.

21 Tertio: Primum in vnoquoque genere est mensura cæterorum, vt pluribus in locis docet ex Aristotele S. Thomas, sed primum in genere corporis naturalis est compositum humanum; quia homo inter cætera animantia, quæ reliquis longè præstant corporibus, principatum habet, ergo de cæteris rebus naturalibus philosophandum est modo proportionali, quo de homine philosophamur, hic enim

est

est n ensura, illæ mensuratũ, sed homo componitur ex duplici substantia incompleta, quarum vna est forma aliam intrinsecè perficiens, & producitur de nouo in generatione hominis, ergo quodlibet corpus naturale componitur ex duplici substantia incompleta, quarum altera de nouo producitur, & est forma informans aliam partem, cum hoc tamen discrimine, vt forma informans hominem sit immaterialis, & immortalis, adeoque longe nobilior cæteris formis materialibus, & mortalibus.

22 Quarto: quoties homo intelligit, producitur de nouo intellectio, quæ est forma accidentalis constituens hominẽ formaliter intelligentẽ, ergo quoties equus videt, producitur de nouo visio, quæ est forma accidentalis denominans equum formaliter videntem, ergo quando manus fit calida, & paries fit albus, producitur calor, & albedo denominans formaliter manum calidam, & parietem album, ergo dum ignis fit ex ligno, producitur noua substantia, quæ constituit formaliter illud subiectum, quod antea ignis non erat, ergo corpora naturalia non componuntur ex atomis, siue substantijs completis.

23 Vltimo: in ordine substantiarum immaterialium existit substantia creata, quæ propter perfectionem suę immaterialitatis non potest esse forma corporis illud intrinsece perficiens, sicuti est substantia Angelica immaterialis transitiue, & intransitiue: præterea existit substantia non perueniens ad illum gradum immaterialitatis, quem habet Angelus, quæ proindè est forma corporis, nimirum anima rationalis, ergo in ordine substantiarum materialium existere debent substantiæ, quæ non possunt esse nisi in materiá, cuius sunt formæ. Consequentia est euidens, ideo in ordine rerum immaterialium existit substantia, quæ potest facere vnum per se cum materia, quam informat,

quia deficit à summa perfectione, quæ est propria rei immaterialis, sed multo magis recedit ab hac perfectione substantia materialis, quæ non continetur sub genere rerum immaterialium, ergo &c.

24 Dico secundo sententia, quæ docet omnia corpora naturalia componi ex atomis, siue substantijs completis factis, & ordinatis ab aliquo supremo intellectu, repugnat lumini naturæ, adeoque præscindendo à veritatibus reuelatis, euidens est principia rerum naturalium non esse atomos.

25 Probatur primo: euidens est hominem esse compositum naturale, cuius anima est distincta a corpusculis, est immaterialis, & immortalis: præterea euidens est intellectum differre á sensu, ergo euidens est non omnia corpora naturalia componi ex substantijs completis. Antecedens probatur ijs argumentis, quibus demonstratur ex principijs notis lumine naturæ animæ rationalis immortalitas, & immaterialitas, eaque nos proponemus, dum ex professo de hac re tractabimus in libris de anima, sufficiat in præsenti hoc vnico syllogismo hanc veritatem demonstrare ad hominem contra istos philosophos. Impossibile est, quod substantia indistincta a corpusculis eleuetur ad cognoscendam eam substantiam, quæ ratione suæ perfectionis habet esse separatum ab omni materialitate, sed anima rationalis eleuatur ad cognoscendam huiusmodi substantiam, ergo impossibile est Animam rationalem esse substantiam compositam ex corpusculis, adeoque necesse est esse immaterialem. Maior est certa, quiá modus cognoscendi, qui est modus operandi sequitur modum essendi, ergo non potest substantia composita ex corpusculis cognoscere substantiam a corpusculis distinctam. Minor probatur ex sententia Aduersariorum, qui docent mundum esse factum ab aliquo intellectu, qui habet

bet esse separatum ab omnibus corpusculis, omnia disponit, & ordinat. Hunc intellectum procul dubio cognoscit anima rationalis, quæ animaduertens non posse sine summa sapientia factum esse, quod est factum, euidenter arguit esse supremum intellectum; qui est prima, & summa ratio propter quam est quid quid est. Addo intellectum euidenter differre à sensu, quia iste singularia, ille speculatur vniuersalia, hic existentia, ille possibilia, & impossibilia, adeoque possibilitatem omnium possibilium, & impossibilitatem impossibilium, quam in nostra Metaphysica demonstrabimus esse ens immateriale, nimirum Deum.

26 Probatur secundo; euidens est aliquas substantias materiales viuere, alias non viuere, sed euidens est substantias viuentes à non viuentibus non differre præcise per solam, ac diuersam atomorum dispositionem, ergo euidens est substantias materiales non componi ex atomis diuersimode dispositis. Minor probatur: euidens est viuentia à non viuentibus differre, eo quod illa habent animam, principium videlicet innumerabilium operationum vitalium, ergo euidens est non differre per solam atomorum dispositionem. Consequentia est optima, quia iuxta sententiam, quam oppugnamus, nihil de nouo producitur substantiale, vel accidentale. Antecedens quod potest controuerti, demonstratur. Euidens est viuentia differre à non viuentibus, eo quod audire sonum, videre colorem, percipere saporem, tangere corpora possunt, ea quæ viuunt, non possunt, quæ non viuunt; sed posse videre, audire est formalissime habere principium productiuum operationum vitalium, quia videre albedinem est producere intentionalem imaginem albedinis, & audire sonum est formare vitalem imaginem illius, quod auditur, & ita de cæteris sensibus philosophandum est, ergo &c. Minor

propositio, quæ videtur satis clara, quia pertinaciter negatur ab istis philosophis, ad vberiorem euidentiam pluribus demonstratur a priori, & a posteriori.

27 Primo: viuere in actu secundo formalissime est agere, sed videre,& audire est formalissime viuere in actu secundo, ergo videre,& audire est formalissime agere, ergo oculus de non vidente non potest fieri videns nihil operando. Maior patet, tum quia non potest fieri, vt aliquid viuat per id quod non est a viuēte, tum quia infinitum viuere, quod vitam diuinam constituit, est cognitio indistincta a cognoscente, siue operatio ab operante indistincta: inde est, quod omnis vita in actu secūdo, quæ est imitatio huius summæ, & infinitæ vitæ, debet quantum potest imitari diuinam aseitatem, habendo esse a viuente, non per identitatem, quia id repugnat vitæ, quæ non est infinita, sed per productionem.

29 Secundo: est prorsus inintelligibile quomodo ego, qui experior me videre albedinē positam ante oculos, nihil prorsus agam, sed eodem modo in ordine ad operandum me habeam sicuti qui est cæcus, vel dormit, quid enim magis repugnans rationi, & experientiæ, quam videntem nihil agere dum videt? cognoscentem, & pulcherrimas veritates speculantem perinde otiari, ac nihil speculantem.

29 Tertio: si visio formatur, eo quod corpuscula lucida perueniunt ad pupillam, eamque in quá tactus est delicatissimus, ignea, vt inquiunt, cuspide feriunt, nihil omnino agente oculo, qui videt, quæro cur albedinem non videat oculus habens in se physicé albedinem quam habet paries, cur non videat oculus obcæcatus, quandoquidem multo magis tangunt pupillam corpuscula albedinis, dum albedo physice est in oculo, quam dum est solum in-

tentionaliter, & eadem corpuſcula, quæ tangunt oculum ſanum, tangunt etiam infirmum, euidens igitur eſt ab oculo vidente aliquid fieri, quod fieri non poteſt ab oculo non vidente.

30. Quartò: ſi ſenſatio, quæ eſt formaliſſimè cognitio ſenſuum, fit præcisè per hoc, quod corpuſcula tangunt, & vellicant animal, quod ſentit, non poteſt reddi ratio, cur in diuerſis corporis partibus diuerſas experiamur ſenſationes, cur nimirum oculus videat, & non audiat, auris non videat, ſed audiat, rogo enim: vnde naſcitur, vt corpuſcula, quæ vellicant oculum, ſint cauſa cur percipiatur color, eaq; quæ vellicant aurem, ſint cauſa cur percipiatur ſonus? Præterea cur tanto artificio natura fabricata eſt diuerſa organa, vbi reſidet facultas audiendi, & vbi eſt ſenſus videndi, ſi nihil omnino agit oculus, qui videt, nihil auris, quæ audit? Certè non eſt cur tantum laborauerit natura in diuerſis fabricandis organis, ſi omnes ſenſus otiantur, & tota ſentiendi machina reducitur ad corpuſcula. Alia id genus excogitari poſſunt, quæ redarguunt euidentis falſitatis ſententiam, quæ aſſerit nihil produci à viuentibus in actu ſecundo viuendi.

31. Probatur tertio: euidens eſt illud eſſe poſſibile, vt dicit Philoſophus in 8. phyſic. ex quo nullum ſequitur inconueniens, ergo arguendo ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis, illud, vnde ſequitur aliquod inconueniens, non eſt poſſibile, ſed euidens eſt plurima ſequi inconuenientia, ſi omnia conſtant ex atomis, ergo &c. Minor probatur: primò ſequitur hominem eſſe vnum ens per accidens: idem dico de leone, equo, & alijs id genus; quia illud ens, quod reſultat ex pluribus ſubſtantiis, quarum vna non perficit intrinſecè aliam eſt vnum per accidens, vt patet in exercitu, in domo, & acer-

uo lapidum, sed homo constat ex pluribus atomis; quæ sunt substantiæ completæ, quarum vna non perficit intrinsecé aliam, ergo &c.

32. Secundò sequitur, hominem á leone, leonem á planta non differre nisi accidentaliter. Ratio est, quia tota diuersitas hominis á leone consistit in diuersa atomorum dispositione diuersam habentium figuram, quæ vtique est accidentalis eo pacto, quo homo descriptus opere musiuo accidentaliter differt á leone eodem opere descripto.

33. Tertiò: sequitur nullum esse discrimen inter mutationem, qua mutatur lignum, dum ex calido fit frigidum, & inter mutationem, qua mutatur idem lignum; dum in ignem conuertitur. Ratio est, quia sicuti nulla noua substantia producitur in mutatione ligni de calido in frigidum, ità nulla noua substantia producitur in eiusdem ligni incendio.

34. Quartò: sequitur, omnes partes aeris, quæ sunt præsentes soli nascenti, non illuminari in instanti, quod repugnat tum rationi suadenti lucem, & alia id genus, quæ carent contrario, statim produci; tum experientiæ, quæ docet eodem temporis momento illuminari partes aeris á sole distantes, & propinquas. Id autem sequi est euidentissimum, quia eatenus aer illuminatur á sole, quatenus discedunt à sole corpuscula quædam lucida, quæ perueniunt ad aerem circumfusum, sed huiusmodi corpuscula debent prius peruenire ad partes propinquiores, quam remotiores, eo quod nullus motus localis est instantaneus, ergo &c.

35. Probatur vltimò: Repugnat in terminis substantiam materialem completam esse simplicem adeoque carere partibus essentialibus, sed huiusmodi atomi sunt substantiæ materiales completæ simplices, ergo eas existere repugnat, ergo repugnat omnia

com-

componi ex atomis. Maior probatur, tum quia ratio formalis entis materialis est compositio, & ratio formalis entis immaterialis est simplicitas. Inde est, ens summè immateriale esse simplicissimum: tum quia Deus, qui est in summo gradu immaterialitatis, non componitur neq; physicè ex substantia, & accidente; neq; logicè ex genere, & differentia tum quia sub nullo genere continetur, substantiæ immateriales creatæ componuntur physice ex substantia, & accidente, logice ex genere, & differentia; ergo substantiæ materiales, quæ habent esse completum, debent essentialiter componi ex duplici parte, quarum vtraque est incompleta; vna per modum formæ, alia per modum materiæ.

36. Dico vltimo: multò magis lumini naturæ repugnat omnia componi ex atomis non factis, neque ordinatis à Deo.

37. Probatur eisdem argumentis, quibus demonstratur ex principijs notis luminæ naturæ Deum existere. Satis est pro præsenti vnico vti argumento maximè sensibili, & ad hominem, quod nimirum efficacius erit ad huiusmodi Philosophos, qui non valent intellectum eleuarè supra sensum redarguendos. Nullum artefactum existit in rerum natura, quod ab aliquo Artifice, & intellectu non sit factum: nemo enim sanæ mentis est, qui vnquam ausus fuerit dicere ex lapidibus fortuitò dispositis fuisse fabricatum Amphiteatrum, vel Principis Apostolorum Basilicam. Quis est, qui sibi inducat in animum (nisi summè desipiat) ex coloribus huc illuc temerè currentibus fieri pulcherrimum aliquod simulacrum, quale fuit ab Apelle depictum? Præterea est intolerabilis insania, originem Pœmatis Virgilij refundere in casualem literarum coniunctionem; ergo non nisi insipienter dici potest hanc pulcherrimam

mam dispositionem rerum omnium componentium vniuersum, esse factam á casu. Addo huiusmodi corpuscula non facta, & improducta, esse chimæras, quia vnum tantum ens existit non factum, nimirum Deus.

38. Reliquum tandem est, vt soluamus argumenta, quibus suam de atomis sententiam nobis persuadere nituntur aduersarij.

39. Primò arguunt; nulla in rerum natura datur mutatio substanaialis, vel accidentalis, ergo omnia componuntur ex atomis. Antecedens probatur, si aliqua datur mutatio, aliquid de nouo fit, sed nihil de nouo fit, ergo &c. Minor probatur, si aliquid de nouo fit, ex nihilo fit, sed ex nihilo nihil fit, ergo nihil fit.

40. Secundò: id, quod est antequam fiat, non fit, sed quod de nouo fit, antequam fiat est, ergo non fit, ergo &c. Minor probatur. Nihil fit, quod ab aliquo non fiat, sed quod ab aliquo fit habet esse antequam fiat, iuxta illud vulgare principium: nemo dat, quod non habet, ergo antequám fiat, præexistit illius esse.

41. Tertiò: quando fit aliquod artefactum nihil de nouo producitur, totum enim Artificium Pictoris consistit in tela coloribus imbuenda; Statuarij in poliendo marmore, Architecti in lapidibus componendis, ergo quando fit ignis nihil de nouo producitur, sed diuerso inter se ordine atomi præexistentes disponuntur.

42. Quartò. Opera artis sunt quædam imitatio operum naturæ, id enim in suis operibus Ars præstare nititur, vt naturam quantum potest imitetur, sed ad artem nihil aliud spectat, quám tribuere corporibus figuram, & dispositionem diuérsam, ergò natura, quæ est longè sapientior quacumque arte (vocatur

tur enim ab Aristotele Ars Diuini intellectus) nihil aliud efficit præter diuersam corporum, quæ olim Deus condidit, dispositionem.

43. Quintò. Etiamsi omnia constent ex atomis non proindè sequitur diuersitatem corporum naturalium esse tantum accidentalem, vtpotè fundatam in sola figuræ varietate, quià dici potest atomos esse Etherogeneas, siuè diuersæ speciei, adeòque terram constare ex atomis specie diuersis ab igne, ergò falsum est ex sententia Atomistica sequi corpora naturalia differre accidentaliter.

44. Sextò. Non potest esse dubium an existant corpuscula, quia pluribus experientijs id demonstratur. Primò, experimur per aerem à sole illuminatum volitare minimas quasdam, & parum sensibiles substantias, quas vulgò atomos appellant. Secundò, in ferro candenti, quod vtique non est mutatum in ignem, inueniuntur plurimæ particulæ ignis, quæ appellantur corpuscula ignea, ergò non repugnat atomos existere, adeòque omnia ex atomis constare.

45. Septimò. In rebus, quæ spectant ad Physicam standum est iudicio sensuum, sed iudicium sensuum valdè fauet sententiæ Atomisticæ, repugnat Aristotelicæ, tùm quia materia & forma non sunt immediatè sensibiles, sicuti corpuscula, tùm quia sensus non experitur generari substantiam, vel accidens, ergo, &c.

46. Vltimò. Quodlibet est in quolibet, ergò nihil substantiale de nouo fit, ergò omnia constant ex atomis, quæ priùs latebant, deindè apparent. Antecedens probatur, quia quodlibet potest fieri ex quolibet, vt plures trádunt experientiæ, quibus testantur Chimici ab omnibus corporibus extrahi terram, aquam, ignem, & alia id genus, ergò, &c.

47. Resp.

47. Resp. ad primum, quod est Achilles huius sententiæ, patere manifestam solutionem ex quæstione præcedenti, vbi ostensum est ex nihilo sui, & subiecti nihil fieri naturæ creatæ viribus, quæ ad operandum indiget materia, adeòque non potest rem aliquam producere nullo subiecto præsuppofito: cæterum fieri aliquid ex nihilo sui tantùm, est adeò euidens, vt superuacaneum sit vlterius demonstrare. Certè non mirari non possum adeò debili fundamento niti hanc sententiam, quæ laborat eadem difficultate, quâ nos, vt breuissimè ostendo. Quæro ab arguente: dùm lignum incenditur, illa dispositio, qua corpuscula per te disponuntur, estne ab illis distincta, an indistincta? Si indistincta, ergò existit ante incendium ligni, adeòque lignum est ignis, quod repugnat: Si distincta: ergò de nouo producitur. Pergo nunc, & instantiùs vrgeo: in priori ad productionem eratne, an non erat? Si erat, ergo non fit, adeòque tibi contradicis; Si non erat, ex nihilo fit, adeòque illi principio contradicis *ex nihilo nihil*. Vide igitur, an in eadem simus naui, & quantæ amentiæ sit ea præcisè de causa in opinionem adeò rationi repugnantem,& forrasse fidei contrariã,descendisse.Sicuti ergo huiusmodi dispositio, te ipso fatente, antequam fit, erat potentia, non actu, adeòque fit ex non ente actu, & ente potentia, cur non poterit de nouo substantia ignis fieri ex materia, quæ non erat actu ignis, sed poterat esse ignis? Nonne idem planè contingit in rebus artificialibus, à quibus petendum dicis argumentum ad naturalia? Figura enim inducitur in marmor, quod non est actu figuratum, sed potentia. Ad maiorem abundantiam dico, illud principium: *ex nihilo nihil fit* esse verissimum, etiamsi sermo sit de ijs rebus,quæ fiunt nullo præsuppositio subiecto,adeòque creantur, quia sensus est nihil fieri posse, nisi,

antequam fiat, aliud sit, à quo efficienter fiat, quod est euidentissimum, quia necesse est, vt id, quod fit, ab aliquo sit factum. Hinc est, quod ex falsa verissimi principij intelligentia originem traxere varij de rebus Physicis errores: Sicut ex hoc principio *cognitum est in cognoscente sicuti in seipso*, malè intellecto processit multiplex error circa esse intentionale, alijs negantibus scientiam, alijs docentibus vniuersalia se parata realiter à singularibus, vt in Logica ostensum est. tom.1. disp 4 quæst.vlt. num.20.

48. Ad secundum. Conc. Mai. & nego Min. Ad eius probationem conc. mai. & distinguo min. antequam res fiat, habet esse Physicè, & formaliter in se, nego min. Logicè, & causaliter in sua causa, conc. min. & nego consequentiam. Esse, quod habet effectus in sua causa, non est aliquod esse actuale, sed tantùm possibile, quia verò esse possibile, vt ostendam in Methaphysica, non est esse Physicum, sed tantùm Logicum rei possibilis, ideò effectus, qui seipsum præcedit secundum esse causale, præcedit secundum esse Logicum. Neque dicas esse causale, quod nihil est aliud, quàm virtus causæ Physicè existens, non posse Logicè existere, verum emim dicis, si loqueris de illo, quod tantùm significat esse causale, falsum, si de eo, pro quo supponit, vt de concretis Logicis sæpiùs dictum est.

49. Ad tertium. Transeat antecedens, & nego consequentiam. Disparitas inter artem, & naturam est euidens, quia illa non facit nisi vnum ens per accidens, ista per se.

50. Ad quartum. Dist. maior. imitatio perfecta, nego mai. Imperfecta conc. mai. & min.& nego consequentiam. Ex eo, quod ars imitatur naturam, sequitur naturam plus posse, quàm artem, adeòque ab arte nihil aliud fieri, quàm dispositionem corpo-

rum,

rum, à natura produci tùm substantiam, tùm accidens, ideò retorquetur argumentum. Ratio à priori huius consequentiæ est, quia imitari naturam est sequi, non assequi perfectionem rei imitandæ, multum enim deficit à perfectione exemplaris imago producta ad eius imitationem, vt videre est in qualibet imagine, vna tantùm excepta, quæ est Verbum Diuinum; imago nimirū Patris æterni ad eius imitationem producta propter naturæ identitatem. Inde est à natura fieri hominem verum, & veram arborem, cum ab arte fiat homo pictus, qui non est homo, arbor picta, quæ est æquiuocè arbor.

51. Ad quintum. Corpuscula siuè sint homogenea, siuè Eterogenea, id enim parum interest, non possunt refundere in corpora naturalia diuersitatem nisi accidentalem, in fugura consistentem: ratio est, quia illa eadem corpuscula, quæ erant in ligno, quod incenditur, existunt in igne cum eo discrimine, vt vnam in igne, aliam in ligno figuram induant, non enim alia de causa, vt inquiunt hi Philosophi, fit ignis, nisi quia eadem corpuscula diuerso ordine collocantur, quia si eadem non sunt, rogo cur ignis fiat ex ligno, non fiat ex lapide.

52. Ad sextum. Distin. antecedens. Non potest esse dubium an existant corpuscula, quæ sint substantiæ simplices completæ, nego antecedens, quæ sint substantiæ compositæ ex duplici substantia incompleta, concedo antecedens, & nego consequentiam. Nemo est qui dubitet an plurima sint corpuscula, hoc est minimæ quædam particulæ, siuè ignis, siuè terræ, vt experientiæ prædictæ demonstrant; nego tamen huiusmodi corpuscula esse substantias simplices, cum enim sint materiales, debent necessariò constare ex duplici parte sustantiali, nimirum ex duplici substantia incompleta: particulæ igitur ignis,

quæ sunt in ferro candenti, sunt substantiæ compositæ ex materia, & forma ignis distinctæ à ferro, cum quo non faciunt vnum per se.

53. Ad septimum. Dist. antecedens, standum est tantum iudicio sensuum; nego antecedens, iudicio sensuum; & simul intellectus, conc. antec. & nego conseq. Plurimæ veritates Physicæ fundantur in experientia sensuum, à quibus intellectus cognitionem accipit, indè est esse falsam eam speculationem, cui contradicit experientia; non est tamen adeò religiosè consulendum iudicium sensuum, vt nunquam intellectus eleuetur ad ea; quæ sensibus mediatè, vel immediatè non subiacent.

54. Ad vltimum. Dist. antecedens, quodlibet est in quolibet formaliter, nego antecedens, virtualiter, conc. antec. & nego conseq. Nolo hic disputare, an ex quolibet possit fieri quodlibet, est enim indubitatum id esse falsum, si sermo sit de productione immediata, quia homo non conuertitur immediatè in Plantam, hæc enim metamorphosis non semel à Poetis decantata, fuit semper apud Philosophos inaudita, indè tamen non sequitur quodlibet esse formaliter in quodlibet, quis enim dicat à comedente die Veneris panem, comedi carnes, adeóque violari præceptum de non comedendis carnibus? Sed solùm sequitur esse virtualiter; sicuti ignis est in ligno virtualiter, quatenùs potest lignum in ignem conuerti.

QVÆ-

QVAESTIO III.

Vtrùm principia corporis in fieri sint materia, forma, et priuatio,

1. PRæsentis quæstionis solutio satis constat ex præcedentibus, cum enim substantię completæ non possint intrinsecè cõstituere corpus naturale, consequẽs est, vt id muneris exerceant substantiæ incompletæ, quæ mutuò se perficientes coalescunt in tertiam substantiam, quæ corpus naturale appellatur: huiusmodi sunt materia, & forma, illa subiectum quod recipit, ista id, quod recipitur. Difficultas si aliqua est, potest esse de priuatione illius formæ, quæ fit, nimirum de priuatione formæ ignis, quando fit ignis, eaque definitur esse carentia formæ in subiecto apto. Ratio dubitandi, an huiusmodi priuatio sit principium corporis in fieri est.

2. Primò. Principium qua principium est, debet influere in principiatum, sed priuatio non potest influere, ergo non est principium. Min. prob. Repugnat vt illud, quod non habet esse, det esse, sed priuatio non habet esse, quia formalissimè est non ens, ergo repugnat, vt det esse.

3. Secundò. Priuatio vel non principiat, vel priuatiuè principiat, ergo absolutè non principiat, ergo idem quod priús. Consequentia probatur. Principiare priuatiuè est formalissimè non principiare, sed priuatio, si principiat, priuatiuè principiat, ergo non principiat.

4. Tertiò. Si principiat, conuenit cum forma in ratione principij, sed non conuenit, ergo non principiat. Min. prob. Ens cum non ente non potest conuenire

uenire in ratione principij, implicat enim conuenire quæ opponuntur, sed priuatio est non ens, forma est ens, ergo, &c.

5. Quartò. Vel principiat quando est, vel quando non est, si quando non est, ergo non principiat, quia non esse priuationis est formalissimé esse formæ: si quando est, ergo priuatio principiat quando non est principiatum, quod repugnat. Ista consequentia probatur. Quando est priuatio non est forma, sed quando non est forma non est principiatum, nimirúm corpus in fieri, ergo, &c.

6. Quintò. Forma substantialis fit in instanti, ergo corpus naturale fit in instanti, ergo priuatio, si principiat quando est forma, non principiat. Vltima conseq. prob. Vt principiet, debet esse in eo instanti, in quo est forma: non potest esse in eo instanti, in quo est forma, ergo non principiat.

7. Vltimò. Si principiat, per modum termini á quo principiat, si hoc modo principiat, etiā principiat forma ligni à qua materia recedit, dúm transit in ignem: sed ista non principiat, ergo nec illa. Min. prob. túm quia lignum dum incenditur, non minús recedit à forma ligni, quàm à priuatione ignis, túm quia generatio vnius est corruptio alterius, adeòque non potest naturaliter vna forma induci in materiam, nisi alia expellatur. Sed contrà.

8. Nostra, & vera sententia sit. Principia corporis in fieri sunt materia, forma, & priuatio: in facto esse tantúm materia, & forma se mutuò perficientes.

9. Ratio primi est, quia principia corporis in fieri, vt demonstratum est in prima quæstione, sunt tria, nimirúm subiectum, quod transit, terminus à quo transit, & terminus ad quem transit, sed subiectum est materia, terminus á quo est priuatio formæ, ad

quàm transit terminus, ad quem est forma, ad quam transit, ergo &c.

10. Ratio secundi est, quia intellectâ præcisè materia, & forma se mutuo perficientibus, intelligitur formaliter corpus in factò esse siue compositum naturale, quod est substantia completá, cuius formale, & adæquatum constitutiuum est duplex substantia incompleta.

11. Hinc colliges primò: priuationem esse principium per se corporis in fieri non minus, quam sit forma. Ratio est, quia non minus corpus in fieri non intelligitur nõ intellectapriuatione, quã nõ intellecta forma, eo quod formalem conceptum mutationis, æquè ingreditur priuatio, & forma. Non igitur hic audiendum puto Siluestrum Maurum, qui in quæstione prima physica nomine priuationis censet intelligi dispositiones naturaliter requisitas, vt materia transeat ab vno ad alium statum, nimirum eas dispositiones, quibus disponitur lignum, vt incendatur, adeoque opinatur priuationem esse principium tantum per accidens, quod esse de mente Aristotelis, & S. Thomæ, pluribus conatur ingeniosè ostendere, sed falsò, quia priuatio formæ ignis, neque diuinitus potest componi cum igne, sed illæ dispositiones, quibus disponitur lignum, vt incendatur materiá ligni, saltem diuinitus possunt cum igne componi, quia eidem essentialiter non opponuntur, vt omnes fatentur, ergo nomine priuationis non possunt intelligi dispositiones Non nego ab Aristotele in primo physic. text 65. vocari priuationem principium per accidens, ea tamen de causa, quia priuatio licet constituat per se corpus in fieri, non constituit idem in facto esse, sicuti materia, & forma, accidit enim igni, quatenus ignis est, præscindendo ab ipso fieri præcessisse in materia eiusdem priuationem. Textum Aristotelis hunc planè

sen-

sensum facientem, quem nobilissima paraphrasi præfatus Author illustrauit, Lectoribus meis per otium speculandum relinquo, mihi enim, quem manent maiora, per tempus non licet.

12. Colliges secundò: nomine corporis in fieri significari corpus, quod transit de non esse ad esse, qui est formalissimus conceptus generationis, quatenus mutatio est, adeoq; generationis abstrahẽtis à quocumq; alio conceptu, qui si reperitur in eo, quod de nouo generatur, non debet in præsenti attendi, quia materialiter se habet ad conceptum mutationis, sicuti cõceptus animalis abstractissimè cõsiderati præscindit a conceptu rationalis, quod diligenter notandum est ad plurima soluenda dubia, quæ in re præsenti contingunt. neque tamen corpus *in fieri* est ipsa generatio in abstracto, nimirum actio generatiua, quæ procul dubio est accidens, eamque non includit, sed solum connotat res in fieri, quatenus in fieri.

13. Colliges tertiò: non aliter philosophandum de principiis intrinsecis generationis accidentalis, quam substantialis, materia enim, forma, & priuatio sicuti componunt intrinsecè ipsum fieri substantiale, quod contingit, quando fit ex non igne ignis, itá componunt intrinsecè ipsum fieri accidentale; quando nimirum de non albo fit album: illud tamen inter vnam, & aliam generationem interest, quod forma, quæ principiat fieri substantiale, est substantia, forma verò, quæ principiat fieri accidentale, est accidens, adeoque materia generationis substantialis est substantia incompleta, accidentalis verò est completa. Hinc patet solutio ad argumenta proposita initio quæst.

14. Ad primum dist: ma: principium, quà principium dicitur influere positiuè, vel priuatiuè conc: ma: positiuè tantum nego ma: & dist: min: priuatio

 non

non poteſt influere poſitiuè conc: min: priuatiuè nego min: & conſeq: Principiare poſitiuè eſt principiare ipſum fieri per modum termini ad quem, principiare priuatiuè eſt principiare per modum termini á quo, ſed priuatio principiat per modum termini a quo, non princcipiat per modū termini ad quē, quia recedit forma ſuccedente, ergo principiat priuatiuè. Neque id videbitur nouum attentè ſpeculantibus ipſum fieri, quod formaliſſime eſt tranſitus rei de non eſſe ad eſſe, includens in ſuo formali conceptu terminum priuatiuum, qui deſeritur, & poſitiuum, qui acquiritur. Ad probationem. min: diſt: ſimiliter ma: repugnat, vt id, quod non habet eſſe, det poſitiue eſſe conc: ma: det priuatiue nego ma: & conc: min: nego conſeq:

15. Ad ſecundum conc: antec: & nego conſeq: ad eius probationem diſt: ma: principiare priuatiué non eſt principiare poſitiué conc: ma: non eſt principiare in genere nego ma: & conc: min: & diſt: Conſ: non principiat poſitiué conc: conſeq: priuatiué nego conſeq: Principiare in genere abſtrahit á principiare poſitiué, & priuatiué, inde eſt non bene argui a negatione principij poſitiui ad negationem principii in genere, quia non bené arguitur á negatione termini inferioris ad negationē termini ſuperioris nimirū á negatione rationalis ad negationem animalis, vt dictum eſt in logica.

16. Ad tertium diſt: ma: conuenit vniuocé nego ma: conuenit analogicé conc: ma: & diſt: eodem pacto min: nego conſequentiam. Sicuti poteſt á ſubſtantia, & accidente, ſiue ab ente per ſe, & ente in alio abſtrahi vna ratio communis analogicé, quæ eſt ratio entis; & á re poſſibili, & impoſſibili, ratio analogicé communis, quæ eſt ratio intelligibilis; ita ab ente, & non ente poteſt abſtrahi ratio principij

siue ratio constitutiui corporis in fieri; in hac ratione abstracta conueniunt analogicé ens,& non ens,forma, & priuatio formæ:indè est,quod ens,& nō ens,licet opponātur in ratione entis nō opponūtur in ratione principij,siue cōstitutiui intrinseci corporis in fieri,eo modo quo possibile,& impossibile licet opponātur in ratióne possibilis, non opponantur in ratione abstracta intelligibilis, quia vtrumque est intelligibile.

17. Ad secundum: priuatio neque quando est; neque quando non est principiat, sed solum principiat, quando vltimo est, nimirum in eo instanti, in quo desinit esse. Ratio á priori est, quia priuatio, & forma debent principiaré modo opposito, illa per modum termini recedentis, istá per modum termini succedentis, sed forma debet principiare quando primò est, ergo priuatio principiat, quando vltimo est: sicuti ergo formam principiare per primum sui esse nihil ést aliud, quám verificari hánc propositionem: *forma nunc est, immediate ante non fuit*, itá priuationem principiáre per vltimum sui esse nihil est aliud quam verificari huiusmodi propositionem. *Vltimo nunc est immediatè post non erit*. Ad probationem consequentiæ conc· ma: & dist: min: non est adæquaté principiatum conc: min: non est inadæquaté principiatum: nego min: & nego conseq: Esse adæquaté principiatum, quod est corpus in fieri, est esse omnia eiusdem constitutiua, sed forma non existénte, non existunt omnia constitutiuá corporis in fieri, ergo forma non existente non est adæquate principiatum, adeoque quando priuátio principiat. non est adæquaté principiatum, siue corpus in fieri, ex alia parte esse inadæquaté principiatúm est ésse aliquod eius constitutiuum, sed non existénte forma, existit aliquod constitutiuum; nimirum priuatio formæ, ergo non existente formá, & existente vltimo priua-

tione, existit inadæquaté principiatum.

18. Ad 5.:conc: ant: & dist:cons:ergo corpus naturale fit in instanti secūdū id pro quo supponit cōc:cōs: quod significat, nego vtramq; consequentiam. Dupliciter intelligi potest rem aliquam fieri in instanti, siue transire in vnico instanti de non esse ad esse, primó ità vt res, quæ transit, habeat totum suum esse in vnico instanti: secundo ita vt ipse transitus, qui formaliter est mutatió, habeat in instanti totum suum esse: primum contingit quotiescumque forma, quæ fit, est substantialis, quia producitur non succéssiué, sed instantaneè. Secundum numquam contingit, immó contingere est impossibile. Ratio est, quia mutari adæquatè consideratum in suo formali conceptu inuoluit duo instantia, quorum vnum alteri succedit, vnum, in quo subiectum, quod mutatur, habet formam, ratione cuius mutatur, aliud, in quo eandem formam non habet.

19. Ad vltimúm. Priuatio formæ ignis, quæ constituit intrinsecé ignem in fieri habet rationem termini à quo priuatiué, quia non potest haberi conceptus ignis in fieri, quátenus est transitus de non igne in ignem, nisi intelligatur subiectum priuatum forma in instanti, quod antecedit immediatè formam; forma ligni, à quá recedit materia, dum fit ignis, est terminus à quo positiuus, non priuatiuus, ideô non ingreditur conceptum formalem generationis, quátenus mutatio est, licet ingrediatur conceptùm generationis quatenús conuersio est.

DISPVTATIO SECVNDA.

De essentia, et existentia materiæ primæ.

PRincipijs corporis naturalis generatim consideratis opus est descendere ad eadem singillatim speculanda: De principio priuatiuo, nihil in præsenti dicam, de eodem acturus in metaph. vbi sermo erit de ente negatiuo, cæterisque negationibus. Quare agendum superest de duplici principio positiuo, quorum vnum est materiale, nimirum materia prima, quæ a priuatione formæ transit ad formam; aliud est formale, nimirum forma, ad quam transit materia dum fit corpus naturale; De principio formali sermo nobis erit in sequentibus disputationibus, de materiali in præsenti, vbi ea tractabimus quæ spectant ad essentiam, & existentiam materiæ primæ.

QVAESTIO I.

An sit, et quid sit materia prima.

1. NOmine materiæ vulgo intelligitur subiectum ex quo aliquid fit: ita marmor dicitur materia statuæ, lignum scamni, colores picturæ; quia ex marmore fit statua, ex ligno scamnum, ex coloribus pictura, adeoque materia, & subiectum con-

uertuntur: quia verò subiectum, quod spectatá vocis Etymologia, à verbo *subjicio* desumit suam originem, idem significat ac rem alteri rei substantem, & quodammodó suppositam; ideó materia est illud ens, quod in se recipit aliud ens; cum quo constituit totum. Hinc est, quod in rebus logicalibus ille terminus; qui substat, & cum alio termino, cui subijcitur integram propositionem constituit, à summulistis vocatur subiectum, siuè materia propositionis: in rebus artificialibus illud, quod vna cum figura, cui supponitur, constituít artefactum, vocatur materia, siue subiectum artis, vt patet in marmore respectu statuæ, in aere, vel argento respectu operis ex ære, vel argento elaborati. In rebus naturalibus illud, quod cum forma, quam in se recipit, & à qua intrinsecè perficitur constituit compositum substantiale vel accidentale, vocatur materia, siue subiectum rerum naturalium.

2. Patet igitur, quantum spectát ad rudem quandam materiæ intelligentiam, conceptum formalem materiæ esse conceptum formalem entis receptiui, & intrinsecè perfectibilis ab alio ente, & conceptus entis perfectibilis ab alio ente, est conceptus entis essentialiter imperfecti, ideó conceptus materiæ est conceptus entis imperfecti, repugnat enim esse perfectum id, quod potest vlterius perfici: vnde sequitur res existentes eo plus, vel minus perfectionis habere, quo plus, vel minus habent materiæ, adeoque, eo magis recedere à defectu, & imperfectione, quo magis recedunt à materialitate, eo magis accedere ad perfectionem, quo magis accedunt ad immaterialitatem, cuius nomine significatur ens non receptiuum alterius entis.

3. Hæc doctrina, quæ nobis insternit viam ad explanandam vulgarem diuisionem materiæ in primam

mã,& secũdã, explicatur in hũc modũ. Nomine materiæ secundæ significatur illud ens completũ, quod recipit aliud ens, á quo perficitur, & quiá ens complétum non potest saltem naturaliter recipere in se nisi entis ens, nimirum accidens, á quo perficítur accidentaliter, ideò materia secunda est quælibet substantia, quæ cum forma accidentali, à qua informatur, & perficitur componit totum accidéntale: id enim mirabili artificio natura disposuit, vt illud ens, quod suaptè naturá est ordinatum ad perficiendum áliud ens á se contradistinctum, esset perfectio non sui, sed subiecti, cui inhæret, adeoq; ad perficiẽdã substantiã, quæ ea fortasse de causa (si rem totá volumus altiùs surépetere) hoc meruit nomine appellari, quia est subiectum, adeoque materia accidentium, sub quibus stat, & quæ proinde secum circumfert tanquam suam supellectilem, vt dictum est in tom. 1. disp 9. qu. 3. num. 10.

4. Nomine materiæ primæ, quæ antonomasticé vocatur materia, siue subiectum, eo quod est principale analogatum, cum quælibet alia res nomen máteriæ sortita explicetur qer quandam hábitudinem & analogiam ad illam; significatur subiectum primum, nimirum ens substantiale incompletum, quia recipit in se aliud ens substantiále incompletum, & cum eo constituit substantiam completam. Hinc est, quod materia prima est id cuius essentiam, & existentiam ex Philosophi mente, qui hanc rem acutissimè fuit speculatus, inquirimus, vt nimirum duplici quæsito respondeámus, quod de qualibet re disputántibus occurrere solet, vt egregié notat Aristoteles, an sit, & quid sit.

5. Ex hoc discursu euidenter constat rationem materialitatis latius patere quam rationem corporei; quæ ratio, vt demonstratum est in tom. 1. disput. 9. qu.

qu. 1.nu.3. contrahit genus substantiæ, siuè substantiam abstractissimé consideratam ad speciem substantiæ corporeæ, quæ vocatur corpus naturale, & est capax triplicis dimensionis secūdū longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Ratio à priori est, quia conceptus materialitatis est conceptus entis receptiui, siué entis in potentiâ, sed conceptus entis receptiui latius patet, quam conceptus entis corporei, ergo &c. Minor probatur, quia omne corporeum est materiale, adeoque receptiuum, sed non omne materiale, quod conuertitur cum ente receptiuo, est corporeum, vt patet euidentissimé in omnibus substantijs immaterialibus creatis, quæ habent esse essentialiter compositum ex accidente, & substantia, adeoque habent esse receptiuum accidentium, a quibus intrinsecè perficiuntur, ergo &c. Ratio vlterior, & fundamentalis est, quia omnis substantia creata est essentialiter imperfecta, sed substantia essentialiter imperfecta potest intrinsecè perfici ab aliqua perfectione á se contradistincta, ergo omnis substantia creata potest perfici intrinsecè ab aliqua perfectione contradistincta, ergo potest in se recipere aliquam formam intrinsecam, ergo habet esse receptiuum, adeoque esse materiale. Hinc est, quod substantiæ creatæ intelligentes etiam si ratione suæ immaterialitatis habeant esse separatum á materia, quatenus esse materiale conuertitur cum esse corporeo, nihilominus habent esse coniunctum cum aliqua labe materialitatis, eo quod possunt, & debent recipere aliquid á se distinctum, á quo intrínsecé perficiuntur, vt est euidentissimum, quia non possunt cognoscere nisi per cognitionem distinctam; non sunt enim suum intelligere, eo quod nulla substantia creata intelligens est indistincta ab intellectione, per quam intelligit: sola substantia increata, quæ excludit omnem composi-

tio-

tionem, habet esse defæcatum ab omni labe materiæ, huiusmodi est Deus, qui intelligit per cognitionem á se indistinctam, est enim actus purus intelligendi existens in summo apice immaterialitatis. Hæc libuit ante vniuersum tractatum de materia præfari, vt nobilissimam de immaterialitate Aristotelis, & S. Thomæ doctrinam á calumnijs, quas aliqui recentiores ei imponunt, vindicarem, quia super hanc immaterialitatem pulcherrimas, & ingeniosissimas speculationes de Diuinis Attributis, & præsertim de scientia Dei in prima parte S. Doctor egregié fabricatur.

6. His notatis, dico primo euidens est materiam primam existere, & ex ea componi omne corpus naturale. Hánc sententiam docet vniuersa Schola Peripatetica.

7. Demonstratur primó existentia materiæ primæ á priori ex conceptu corporis naturalis in hunc modum: euidens est existere subiectum primum substantiale, sed materia prima est primum subiectum substantiale, ergo est euidens materiam primam existere. Maior probatur. Euidens est corpus naturale existere, quod est ens sensibile substantialiter mutabile, nimirum homo, equus, & alia id genus; sed repugnat existere ens substantialiter mutabile non existente subiecto, quod transire potest ab vna forma accidentali ad aliam accidentalem; non enim intelligi potest mutatio nón intellecto transitu subiecti ab vno ad álium statum, ergo est euidens existere aliquod subiectum substantiale, quod modo vnam formam substantialem, modo aliam recipit, adeoque substantialiter mutatur: sed hoc subiectum est subiectum primum, tum quia vel in áliquo, vel in nullo subiecto recipitur; si in nullo, euidens est esse primum si in aliquo, deueniendum tandem est ad subiectum primum, quod in nullo recipitur, ne detur processus

in

in infinitum, qui in omni ordine physico, morali, & intentionali euidenter repugnat; tum quia præcisé intellecto vno subiecto, quod recipiens formam ligni constituit lignum, intelligitur lignum, ergo hoc subiectum est primum subiectum, adeoque materia prima.

8. Demonstratur secundò a posteriori. Euidens est dari mutationem substantialem, & accidentalem, quia euidens est parietem, qui de non albo fit albus, accidentaliter mutari; & lignum, quod de non igne fit ignis, mutari substantialiter: magis enim differt ignis á ligno, quam paries albus á non albo, cum ille substantialiter, iste accidentaliter differat: quod si est euidens á posteriori contingere in rerum natura plures mutationes substantiales, euidens etiam est materiam primam existere, quia si mutatio substantialis existit quando ex ligno fit ignis, debet existere subiectum commune igni, & ligno, quod nimirum transit á forma ligni ad formam ignis, aliter mutari non potest lignum in ignem, quia lignum mutari in ignem est formalissimé aliquam partem substantiæ ligni esse in igne: hæc pars substantiæ non potest esse forma ligni, quæ perit pereunte ligno, ergo est materia ligni, quæ nimirum quando recipit formam ligni, componit lignum, quando recipit formam ignis componit ignem; sed hæc materia est materia prima, quia est substantia incompleta faciens vnum per se cum alia substantia incompleta, ergo &c.

9. Demonstratur tertio, & vltimo: euidens est viribus naturæ aliquid produci, & aliquid destrui: præterea euidens est nihil naturæ viribus creari, nihil annihilari, quia viribus naturæ, nihil fit ex nihilo sui, & subiecti, quidquid enim fit, ex subiecto præexistente fit, & nihil reuertitur in nihilum sui, & subiecti, ergo euidens est materiam primam existere. Consequen-

sequentia probatur, quia ignis quando producitur, ex aliquo subiecto præexistente producitur, non enim creatur, ergo existit aliquod subiectum, ex quo ignis producitur: sed subiectum, ex quo producitur ignis quando lignum incenditur & subiectum ex quo producitur cadauer quando moritur homo, est materia prima, subiectum nimirum commune corpori quod destruitur, & corpori, quod producitur, ergo &c. Confirmatur, quia si nihil substantiæ hominis remaneret in cadauere post mortem hominis, nullo deberent in honore haberi corpora extincta Sanctorum: id autem est apertè falsum, contradicit enim Ecclesiæ, & sensui fidelium.

10. Dico secundo. Quidditas, siue essentia materiæ primæ declaratur duplici definitione, vna negatiua, quam Aristoles tradit in septimo Metaphysicæ cap. 3. Materia per seipsam neque quid, neque quantum, neque aliud quid piam dicitur, ex quibus ens determinatur: alia positiua, quam idem tradit in lib. prim Physic., est subiectum primum vniuscuiusque, ex quo aliquid fit; cum insit, & non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid, in hoc abibit vltimum.

11. Ad geminæ huius definitionis, quæ naturam materiæ declarat, euidentiam, sciendum est, ea de quibus imperfectam solum notitiam habere possumus, vt frequenter docet Philosophus, esse per conceptus prius negatiuos, quam positiuos definienda. Huiusmodi enim, quæ mentis humanæ aciem prætervolant, facilius percipiuntur intelligendo quid non sint, quam intelligendo, quid sint. In hoc rerum genere, vt acutè obseruat S. Thomas, collocantur suprema promiscuè, & infima intelligibilia, cum ad illa intelligenda teste Philosopho comparetur intellectus humanus, licet perspicacissimus, sicuti oculus

noctuæ ad solis meridiani lucem intuendam. Ex diuerso tamen capite nascitur parum intelligi suprema, ac infima intelligibilia; illa enim intelligi non possunt, quia plurimum, ista quia parum habent perfectionis, & intelligibilitatis, adeoque illa ex abundantia, ista ex indigentia perfectionis cognoscibilia non sunt perfectè: sicuti sistendo in rerum visibilium exemplo, est inuisibilis sol, & simul inuisibilia exigua corpuscula; ille ex ábundantia, ista ex defectu lucis. Hinc est, quod materia prima, quæ in genere entium vltimum habet locum, habet cum Deo, hoc est supremo, & nobilissimo ente commune prædicatum perfectæ incognoscibilitatis: hoc prædicatum materia refundit in quantitatem continuam tam successiuam, quam permanentem ab eadem inseparabilem, quæ vt aliqui opinantur, est á materia indistincta, vt alij melius, censent, est proprietas physicé dimanans á materia: ea enim est adeo ignota, vt nihil sit, quod magis torqueat Pilosophos, quam compositio quantitatis continuæ. Ea igitur de causa, qua Deus, vt ex Doctrina Dionysij docet S. Thomas quæst. 16. de malo art. 3, melius intelligitur definiendo quid non sit, quam quid sit, adeoque remouéndo á Deo omnem defectum in rebus creatis existentem, materia prima melius intelligitur cognoscendo quid illa non sit, quam quid sit, remouendo nimirum á materia omnes perfectiones, quas reperimus in rebus cadéntibus sub experientiam sensuum. Consonat huic doctrinæ Augustinus, qui naturam materiæ primæ attenté speculatus, ait lib. 12. suarum confessionum cap. 13. eam cognosci ignorando, & ignorari cognoscendo, cuius rationem á priori tradit in cap. 7. quia nimirum materia est ens adeò tenue, vt sit proximum nihilo, vnde sequitur materiã appellari cum termino diminuente, nimirum ens in potentia non actu.

12. Iuxta hanc doctrinam debuit Philosophus tradere definitonem negatiuam, quæ inseruit ad formandum conceptum negatiuum materiæ; cum enim notissima sint nobis corpora, quæ constituunt aliquod totum sensibile; & sint nobis notissimæ qualitates corporum immediatè sensibiles; necesse fuit, vt Aristoteles definiret materiam definitione excludente hæc omnia: Id etiam egregiè præstitit Augustinus, qui loco citato cap. 6. & 12. ait: materia prima non est color mouens immediatè sensus exteriores, non figura mouens imaginationem; non corpus conflatum ex rebus sensibilibus, & imaginabilibus, non spiritus per se mouens ad cognitionem intellectualem, nec tamen omninò nihil, sed quædam informitas sine vlla specie. Hucusque Augustinus.

13: Ex hac definitione, quæ naturam, & quidditatem materiæ negatiuè potius, quam positiuè declarat, colligitur conceptus positiuus materiæ, qui sufficienter explicatur per definitionem secundo loco traditam. Ratio est quia materia prima intrinsecè constituit, & componit corpus naturale, quod est substantia completa informata accidentibus immediatè sensibilibus, sed non potest componere intrinsecè corpus naturale, nisi recipiat in se illam substantiam incompletam, per quam corpus naturale constituitur in aliqua specie determinata entis completi, ergo materia prima est illud ens, quod recipit in se aliud ens, & recipiendo componit corpus naturale, sed ens, quod recipit substantialiter aliud ens, est subiectum primum, ergo materia prima est subiectum primum vniuscuiusque. Quia verò subiectum primum vniuscuiusque est illud, quo præexistente fit corpus naturale, & in quod vltimò resoluitur idem corpus naturale; quando destruitur; ideó materia prima est illud ens, quod debet præexistere quando ex ligno fit ignis,

& reci-

& recipiendo intrinsecè formam ignis componit ignem, præterea est illud ens, in quod ignis resoluitur, quia extincto igne superest materia ignis, quæ simul cum alia forma constituit aliud corpus, nimirum cinerem.

14. Hinc patet materiam primam, quæ intrinsecè constituit corpus naturale, esse explicandam per analogiam, & proportionem ad materiam rerum artificialium; sicuti enim marmor est materia statuæ, quia statua componitur ex marmore præexistente, in quod resoluitur eadem statua quando destruitur: rursus marmor potest à statuário diuersimodè figurari, adeoque recipiendo figuram Pontificis repræsentat Pontificem, recipiendo figuram Regis Hispani, repræsentat Regem Hispanum; itá materia prima est illud ens, quod neque est lignum, neque ignis, neque aliud corpus, sed recipiendo formam ligni componit lignum, recipiendo formam ignis componit ignem, & in illud vltimo resoluitur lignum, ignis, & quodlibet corpus naturale.

15. Dico tertiò. Materia prima est principium cuiuscumque mutationis substantialis.

16. Probatur illud ens est principium omnium mutationum, ratione cuius præcisè corpus naturale substantialiter mutatur: huiusmodi ens est materia prima, ergo &c. Minor probatur. Ideò præcisè lignum mutatur in ignem substantialiter quia remanet in igne aliqua pars substantiæ communis igni, & ligno: si enim hæc non remaneret, lignum non mutaretur in ignem, sed annihilato ligno crearetur ignis, quando lignũ inceditur. Ratio à priori est, quia lignũ mutari substantialiter est lignum se habere aliter ac ante, ergo lignum non potest mutari substantialiter in ignem, nisi subiectum ligni sit subiectum ignis adeoque remaneat in igne aliqua substantia, quæ erat

in

in igne: huiusmodi substantia est materia, quæ antea erat sub forma ligni, nunc est sub forma ignis, ergo tota ratio; mutationis substantialis ligni in ignem est materia prima transiens ab vna forma ad aliam.

17. Hinc colliges perpetuam rerum, quarum aliæ nascuntur, aliæ occidunt, mutationem fundari vnicè in materia prima, quæ neque est lignum, neque ignis, neque aliud corpus ex illis, quæ sensibus vsurpantur, sed potest esse lignum ignis; & alia similia, quandoquidē á forma ligni determinatur formaliter ad constituendam speciem ligni, á forma ignis ad speciem ignis. Inde est, quod homo, & quodcumque ens sensibile sublunare, est naturaliter mortale, quia nimirum est compositum materiale, & corporeum, quod habet in se radicem mutationis substantialis, nimirum materiam.

12. Obijcitur. Dantur plures formæ contrariæ, nimirum forma ignis, & forma aquæ, ergo materia prima non est subiectum primum vniuscuiusque. Consequentia probatur. Repugnat idem esse simul subiectum duplicis formæ contrariæ, ergo materia prima non est subiectum primum omnibus formis proportionatum.

19. Resp. concedo antecedens: & nego conseq; Ad eius probationem distinguo antecedens: repugnat idem esse simul subiectum duplicis formæ contrariæ simultate potentiæ, nego antecedens, potentia simultatis, concedo antecedens, & nego consequentia. Sicuti potentia libera amandi simul potest amare, & non amare simultate potentiæ, quatenus est potentia amandi coniuncta cum potentia non amandi non potest amare, & non amare potentia simultatis, quia non potest coniungere amorem cum non amore; vt ostensum est tom, 1. disp. 12. qu. 4, nu. 12. ita materia potest recipere formas oppositas simultate

potentiæ, quia est potentia recipiendi formam ignis, & simul est potentia recipiendi formam aquæ, sed non potest potentia simultatis, quia vtramque formam non potest simul recipere saltem naturaliter.

QVAESTIO II.

Vtrum materia prima habeat propriam existentiam distinctam ab existentia formæ.

1. CErtum est apud omnes Philosophos materiam primam, cuius essentiam, & existentiam, in quæstione præcedente demonstrauimus, non habere à se existentiam, alioquin esset ens a se, quod euidenter repugnat. Dubium est, an existentia, per quam materia in genere causæ formalis existit, sit realiter existentia formæ, ita vt materia prima, quæ est in ligno denominetur in genere causæ formalis existens á forma ligni, sicuti paries denominatur in genere causæ formalis albus ab albedine. Materiam existere formaliter per existentiam formæ docet cum vniuersa schola Thomistica Durandus in 2. dist. 12. qu. 2. Caietanus de Ente, & essentia cap, 5. qu. 8. Ferrar. in primo contra Gentes cap. 4. Soncinas lib 7. Met. qu. 3. & lib. 8. qu. 1, Iauellus in 5. Met. qu. 3. & lib. 8. qu. 1. Sotus in primo Physic. qu. 6. quibus adhæret Siluester Maurus qu. 7. physica, citans pro se S.Thomam, & Aristotelem. Argumenta, quibus suadetur hæc sententia sunt huiusmodi.

2. Primo. Materia recipit in se intrinsecé formam, ergo intrinsecè existit per formam. Consequentia probatur. Materia per hoc præcisé, quod recipit intrinsecè formã, denominatur informata á forma, ergo per hoc præcisé, quod recipit existentiam formæ de-

no-

nominatur existens á forma,quia nō minus potest recipere denominationem subiecti existentis, quam denominationem subiecti informati.

3. Secundò. Materia prima est pura potentia, sed pura potentia non habet propriam existentiam, ergo materia prima non habet propriam existentiam, ergo vel non existit, vel existit per existentiam formæ. Minor probatur. Pura potentia nullum habet actum proprium, quia actuatur a forma; sed existentia est aliquis actus. quia est ipsum formale existere, ergo materia prima non habet propriam existentiam.

4. Tertio. Non minus repugnat enti in potentiá actus proprius entitatiuus, quam actus proprius formalis, atqui ens in potentia nullum habet actum formalem proprium, ergo neque entitatiuum. Maior probatur tum quia pura potentia excludit omnem actum, tum quia in genere entis in actu datur aliquod ens, quod est purus actus, nimirum Deus excludens omnem potentialitatém, ergo in genere entis in potentia datur aliquod ens excludens omnem actum, ergo &c.

5. Quarto. Ex duobus entibus in actu non fit vnum per se, sed ex materia, & forma fit vnum per se, ergo materia, & forma non sunt duo entia in actu, sed forma in omnium sententia est ens in actu, ergo materia per seipsam non est ens in actu, adeoque perseipsam non existit.

6. Quinto. Si materia haberet propriam existentiā, qualibet forma esset accidens, consequens est falsum, ergo & antecedens. Sequela probatur. Omnis forma esset entis ens, supponens esse actuale, & substantiale materiæ, sed esse entis ens est formalissimè esse accidens, ergo omnis forma est accidens. Confirmatur, quia substantia formalissime est ens, quod per se stat, accidens veró est ens in alio, hoc est ens

 fun-

fundatum, & receptum in alio ente, sed omnis forma habet esse in alio per se formaliter existente, ergo sola materia est substantia, forma verò accidens.

7. Sexto. Substantia completa definitur esse ens primum constitutum per primum esse, itá vt omne esse, quod illi aduenit, sit secundum esse supponens primum esse, sed materia si habet propriam existentiam, habet primum esse, ita vt omne esse, quod per formam acquirit, sit secũdum esse supponens primum: ergo est substantia completa, adeoque non potest facere cum forma vnum per se.

8. Septimo. Ens per se non potest constitui in ratione entis per se per formam, quæ habet esse in alio, ergo materia vel non est ens per se formaliter existens, vel non facit cum forma vnum ens per se. Antecedens probatur. Ens, quod præscindit á creato, & increato non potest constitui in ratione entis per se per ens in alio.

9. Vltimò. Subiectum, quod potest actuari, non est actuatum in priori ad suum actum, vt patet tum á posteriori, quia cera, quæ est subiectum figurabile figura quadrata, vel rotunda, non est rotunda, vel quadrata tum á priori, quia fieri non potest, vt aliquid fit in potentia respectu illius, quod actu habet; sed materia prima est subiectum actuabile in genere substantiæ existentis, ergo antecedenter ad omnem formam, á qua actuatur, non est substantia existens, ergo in priori ad formam non existit. Confirmatur primo, quia esse est propter operari, ergo materia cui nòn conuenit secundum se operari, neque conuenit secundum se existere; secundo materia non potest existere sine forma substantiali, ergo indiget existentia formæ ad existendum, ergo existit per existentiam formæ. Contra hanc sententiam.

10. Sit nostra conclusio. Materia prima habet pro-

propriam existentiam, adeoque nec existit, nec potest existere per existentiam formæ. Hanc sententiam docet Scotus in prim. dist: 12. qu. 2. cum tota schola Scotistica, Henricus in Quodl. prim. qu. 6. Gabriel, Gregorius Ariminensis, & vniuersa Nominalium schola, cum Francisco Suario disp. 23. Metaphysica sect. 4. Toleto, Ruuio, Arriaga, & omnibus ferè nostræ ætatis Philosophis.

11. Possem pluribus ostendere, ab hac sententiá non fuisse alienos antiquos scholasticos, quidquid contradicant Aduersarii, & præsertim Maurus, qui in loco citato multus est in congerendis in rem suam testimonijs Aristotelis, Platonis, S. Augustini, & D. Thomæ; sed non vacat in re parui momenti diù immorari. Non possum tamen non monere Lectorem ex ijs, quæ idem Author ex præfatis Doctoribus adducit inferri euidenter materiam habere propriam existentiam, vt mox breuissimè ostendam: vnde moueor ad opinandum apud antiquos Philosophos, qui huiusmodi quæstionem de existentia materiæ, sub his terminis non agitarunt, fuisse indubitatum materiam primam, ex quá omnia corpora componuntur, habere propriam existentiam. Non nego Platonem in Timæo inhærentem opinioni, quam Philosophi Ægiptij de materia conceperant, eam vocantes tenebras totius naturæ ludum, & prope nihil, docuisse materiam secundū se carere omni actu, & omni speciē; non nego idem sensisse Plotinum inter Platonicos sapientissimum; idem Aristotelem, qui in primo Physic. ait, materiam esse propè, & quodammodo substantiam; in 7. Met. appellat materiam ipsum possibile esse; idem Augustinum, qui disertè ait in confessionibus: Duo Domine fecisti, vnum propé te videlicet Angelum, aliud prope nihil, videlicet materiam, Idem denique Angelicum Doctorem pluribus in locis

 sed

sed constanter nego; indé inferri materiam primam carere propria existentia: quinimmò miror quomodo possit inferri hæc consequentia, cum euidenter inferatur opposita; si enim materia prima est subiectum si est ens in potentia, si non est simpliciter nihil, sed propé nihil, vt sapientissimè docent ij Philosophi, ergo perseipsam existit, & perseipsam est ens, licet tenué; & imperfectum, vnum enim ab alio separari non potest. Præterea dum materia à Platonicis vocatur acutissimè ludus naturæ, eo quod est subiectum omnium mutationum, quibus per varias vicissitudines natura in orbe terrarum mirabilem ludum videtur ludere, dum Augustinus loco citato ait: *si liceret dicere, quod aliquid est, & non est; hoc dicerem esse materiam.* Nonne ex mente Augustini significatur expresse materiam perseipsam distingui á nihilo, adeoque existere. Quid hoc euidentius? sed his quæ sunt parui momenti, prætermissis, ad argumenta metaphysica transeamus.

12. Probatur primo ex principijs vniuersalissimis entis vt sic. Materia prima per suam entitatem præcisè habet ésse actuale à nihilo contradistinctum, sed id, quód habet esse actuale à nihilo contradistinctum formaliter existit, ergo materia prima perseipsam formaliter existit, ergo habet propriam existentiam. Maior probatur; tùm quia materia prima secundum se præcisè considerata non habet esse à nihilo condistinctũ, alioquin nihil esset, adeoque substantia materialis, quæ differt ab immateriali præcisé per materiam, differret per aliquid, quod est formaliter nihil; tum quia materia prima secundum se præcisè est vna substantia intrinsecè componens substantiam completam materialem, ergo non est intrinsecè nihil, ergo est aliquid intrinsecè distinctum à nihilo.

13 Probatur secundo. habere prædicata intrinseca est formalissimè existere, sed materia habet per se ip-

sam prædicata intrinseca, quæ non accipit á forma, ergo habet per se ipsam existentiam, quam á forma non accipit. Min. probatur, quia materia prima est essentialiter subiectum formæ, ergo est intrinsecè subiectũ formæ, quia nihil est magis intrinsecum rei, quám essentia rei, sed esse subiectum formæ materia non accipit á forma; repugnat enim, vt illud prædicatum accipiat á forma materia, quod essentialiter præsupponitur ad existentiam formę, ergo materia habet prædicatum sibi intrinsecum, quod non accipit á forma, ergo &c.

14. Probatur tertio. Materia prima est causa materialis formæ, ergo existit in priori ad existentiam formæ, ergo non existit per existentiam formæ. Consequentia probatur; tum quia omnis causa existit in priori ad id, cuius est causa, sed materia est causa existentiæ formæ, ergo existit in priori ad existentiam formæ; tùm quia materia in priori ad formam, quam materialiter causat, vel est nihil, vel non est nihil; si primum: ergo non creatur á Deo, quia alius mundus, qui nunc nihil est, á Deo non creatur: præterea infero: ergo materia non causat formam; quod enim nihil est, non potest causare, ergo forma, quæ fit ex materia, fit ex nihilo sui, & subiecti, adeoque creatur, quod repugnat: si secundum; ergo est aliquid, ergo est actu ens, adeoque existit, quia existere, & esse actu ens sunt idem formalissimè. Neque huic inuicto argumento opponas, materiam esse causam materialem formæ non efficientem; id enim verum est, sed non est minus notum fieri non posse, vt id, quod non est, aliquid in se recipiat, adeoque exerceat munus causæ materialis, quam vt aliquid agat, adeoque efficienter causet id, quod non est.

15. Confirmatur, quia materia habet essentiam contradistinctam ab essentia formæ, ergo etiam exi-

stentiam. Antecedens est certum, aliter materia esset forma, quod repugnat. Consequentia probatur: essentia materiæ est realiter indistincta ab existentia materiæ, vt demonstrabimus in quæstione sequenti, vbi agitanda nobis est ex professo quæstio de identitate essentiæ cum existentia, sed essentia materiæ est distincta à forma, ergo etiam existentia. Hinc patet pro perfecta intelligentia huius quæstionis distinguendam esse duplicem existentiam materiæ, aliam incompletam, quam voco existentiam intransitiuam materiæ, quia est existentia propria materiæ, indistincta à materia, quam proindè neque accipit, neque accipere potest à forma, vt demonstratum est; aliam completam, quam voco existentiam transitiuam materiæ, quia est existentia compositi distincta saltem inadæquatè á materia, eo modo, quo totum distinguitur á parte; hanc existentiam procul dubio materia accipit á forma, quia non potest constituere corpus naturale, nisi formam recipiat, a qua informatur, & accipit esse completum. Hanc duplicem existentiam qui rectè distinxerit, facillimè, & ostensiuè soluet omnia argumenta, quibus nostram sententiam vrgent Thomistæ acerrimè propugnantes materiam existentem per existentiam formæ, & hunc suum errorem S. Thomæ doctissimo suo magistro imponentes, qui quoties negat materiam per se existere, loquitur de existentia completa, non de incompleta.

16 Ad primum respondetur: concedo antecedens, & nego consequentiam, vel claritatis gratia distinguo consequens, existit incompletè, & intransitiuè per existentiam formæ: nego consequentiam, completè, & transitiuè, concedo consequentiam. Ad eius prob. concedo antecedens, & dist. eodem modo consequens; materia eo quod intrinsecè recipiens formam denominatur informata, debet habere aliquam existentiam,

quam

quam à forma non accipit, huiusmodi est existentia incompleta, quæ est existentia substantialis materiæ indistincta à materia, adeoque denominat materiam existentem intránsitiuè, est enim primum principium lumine naturæ notissimum, fieri non posse, vt sit subiectum formæ id, quod actu non existit; adeoque argumentum retorquetur.

17 Dices. Existentia formæ vnitur materiæ tanquam perfectiuum perfectibili, ergo facit materiam existere.

18. Resp. concedo antecedens, & dist. consequens, ergo facit materiam existere transitiuè, & completè: concedo consequentiam, intransitiuè, & incomplete: nego consequentiam. Forma vnita materiæ constituit compositum, adeoque facit, vt materia transeat in existentiam completam, quæ est existentia non materiæ, sed compositi.

19 Ad secundum concedo ma: & distinguo minorem: pura potentia non existit completé per propriam existentiam, concedo min. incompleté nego min. & consequentiam. Ad probationem minoris dist. ma. pura potentia nullum habet actum completum, & formalem, concedo ma: incompletum, & entitatiuum, nego ma: & distincta min. nego consequentiam. Actus entitatiuus est actus existendi indistinctus á re existente, indé est, quod materia existit intransitiué per se ipsam, siue per existentiam á se indistinctam, quæ est actus entitatiuus. Actus formalis est ipsa forma, quæ denominat subiectum, in quo recipitur, informatum, adeoque existens existentia completa, quę est existentia compositi, vt dictum est: hunc actum non habet materia per seipsam, sed á forma, à qua perficitur, & actuatur.

20. Ad tertium. nego ma. Ratio est, quia materia est subiectum formæ, cum qua componit corpus naturale

rale, ergo debet excludere á se identitatem cum actu formali, alioquin esset ens completum, nec posset facere cum alio ente vnum per se, non debet excludere identitatem cum actu entitatiuo, aliter non posset esse subiectum physicum, quia nihil esset. Ad probationem maioris dico puram potentiam esse illam, quæ excludit identicé actum formalem, non entitatiuum. Ratio á priori est, quia ens in potentia, quod pura potentia vocatur, non est ens puré possibile, alioquin alter mundus, qui est puré possibilis, esset ens in potentia, adeoque materia prima, quod repugnat; sed est ens non puré possibile, adeoque actuale: sed ens actuale includit identicé actum entitatiuum, siué existentiam, ergo pura potentia non excludit, sed includit identicé actum entitatiuum. Ex eo, quod existit purus actus excludens omnem potentialitatem, non sequitur existere puram potentiam, quæ excludit omnem actũ, sicuti ex eo, quod datur summum bonum excludens omne malum, non sequitur dari summum malum excludens omne bonum, quia summum malum est chimæra, repugnat enim in terminis malum, quod nihil habet boni, vt enim acuté docet Augustinus, non potest malum ab omni bono separari, adeoque qui vult destruere omne malum, necesse est destruat omne bonum, quod repugnat; ità repugnat in terminis ens non puré possibile, nullum actum includens.

21 Ad 4. dist. ma: ex duobus entibus in actu completo non potest fieri vnum per se, concedo ma: incompleto, nego maiorem, & concessa minori, dist similiter consequens.

22. Ad 5. nego sequelam. Ad eius probationem. dist. ma: forma esset ens entis completi nego ma: incompleti, conc. ma: accidens, quod definitur esse entis ens, est forma informans ens completum, adeoque est ens entis completi. Inde est, quod accidens

per-

perficit aliud ens,quod informat accidentaliter, non substantialiter: forma verò substantialis licet supponat aliud ens actu existens, quod informat, non est accidens, quia aduenit enti incompleto, adeòque illud substantialiter perficit. Hinc est quòd forma substantialis differt ab accidentali, quòd ista accidentaliter, illa substantialiter perficit subiectum, cui inhæret, ista non est gratia sui, sed gratia alterius à se contradistincti, illa gratia sui, quia est gratia substantiæ completæ, nimirum compositi, à quo non est contradistincta. Vnde patet ad confirmationem.

23. Ad sextum concedo ma: & dist. min. supponit primum esse completum, nego min.incompletū conc. min. & nego consequentiam. Substantia completa est illa, quæ non potest substantialiter compleri, sed materia prima etiamsi habeat existentiam sibi propriam, potest, & debet substantialiter compleri, quia cum in nulla sit specie determinata entis, debet poni in aliqua specie determinatā entis, ideò recipiendo formam ignis perficitur substantialiter, & collocatur in specie ignis, ergo non est substantia completa. Discrimen inter albedinem aduenientem parieti,& formam ignis aduenientem materiæ est euidens, quia illa aduenit enti completo, adeoque constituto in aliqua specie entis, ista aduenit enti incompleto, adeoque in nulla specie entis constituto.

24. Ad 7. Dist. antecedens, per formam habentem esse in alio completo, concedo antecedens, in alio incompleto, nego antecedens, & consequentiam. Forma substantialis, vt diximus, non est ens habens esse in alio ente completo, sed est ens habens esse in alio incompleto, id enim non repugnat rationi entis per se, quod est imperfectum in ratione entis per se, quia ens per se compositum ex duplici ente incompleto, cuius modi est substantia materialis, siue corpus naturale

est

est essentialiter imperfectum : ens á se non potest constitui in ratione entis á se per ens ab alio, quia est perfectissimum in ratione entis.

25. Ad vltimum concedo ma: & dist: min: in genere substantiæ existentis completè concedo min.incõpleté nego minorem, & consequentiam. Materia antecedenter ad formam substantialem, á qua actuatur in genere entis completi, non habet actum existentiæ completæ, sed solum habet actum existentiæ incompleté, hoc est actum entitatiuum intransitiuè existentem, & ordinatum ad faciendum transitiuè vnum per se cum alio ente. Hinc est, quòd esse, quod vulgò dicitur esse propter operari, non est esse incompletum, sed completum; & materia prima non potest naturaliter, licet posit' supernaturaliter, existere sine omni forma substantiali, vt docebimus infra : vnde patet ad primam, & secundam argumenti confirmationem.

QVAESTIO I.

Vtrum essentia materiæ primæ, et cuiuscumque entis sit distincta ab existentia.

1 NEcessitas nobis incumbit agitandæ in præsenti pulcherrimæ, & celeberrimæ quæstionis de identitate, & distinctione essentię cum existentia, quæ procul dubio est metaphysica, quia esse, & existere est proprium entis abstractissimè considerati, hoc est entis in ratione entis, cuius speculatio spectat ad metaphysicam; neque enim definiri potest an materia, quam Philosophus naturalis speculatur, habeat essentiam distinctam, vel indistinctam ab existentia, nisi rem totam altius repetendo, principia metaphysica, & vniuersalissima speculemur, quæ per omnia genera rerum di-

diuagantur. Accedit nihil esse apud scholasticos magis vsitatum essentia, & existentia, sub quibus vocibus, quæ lateat significatio, præsens quæstio reuelabit.

2 Ad perfectam, & euidentem horum terminorum intelligentiam, sciendum est nullam rem existere, quæ aliqua prædicata essentialia, sibique intrinseca non habeat; id est adeò perspicuum, vt à nullo intellectu penetrante terminos, possit controuerti; ipsa enim experientia demonstrat ostensiuè nullam rem existere, de qua non possint verè, hoc est sine periculo contradictionis affirmari aliqua prædicata intrinseca, quod non potest verificari de chimæra, quæ neque existit, neque existere potest. Ratio à priori est, quia chimæra essentialiter inuoluit terminos repugnantes, adeoque essentialiter inuerificabiles, cum verificari aliquod prædicatum chimæricum sit formalissimè idem ac falsificari; fingamus enim esse hominem habentem identitatem cum equo, qui homo vtique est chimæra: illud idem, quod verificat hunc hominem esse rationalem, verificat non esse, adeoque falsificat illud ipsum, quod verificat, quia rationalitas identificata cum hinnibilitate est rationalitas, quæ non est rationalitas, ergo rationalitas, quę non est rationalitas si verificat hominem hunc chimæricum esse rationalem, simul verificat non esse rationalem, adeoque est ipsum formale falsificatiuum illius, cuius est verificatiuum. Ratio vlterior, & a priori, cur omne id, quod est, habeat prædicata essentialia, sibique propria, petenda est ex natura entis, de quo sermo erit in Metaph. Omne id, quod est, vel habet omnem perfectionem essendi, vel aliquam solum determinatam habet, repugnat enim, vt nullam habeat, aliter non esset, quod est contra hypothesin, sed siuè omnem habeat perfectionem essendi, siuè aliquam determinatam habeat, manifestum

est

est, quod habet aliqua prædicata essentialia, sibique propria, ergo &c. Minor probatur, quia si habet omnem perfectionem essendi, adeò vt nullus sit reperibilis gradus in tota amplitudine essendi, qui in tali ente non sit, huiusmodi ens habet hoc prædicatum intrinsecum, sibique proprium per quod à cæteris distinguitur, nimirum habere omnem gradum essendi. Huiusmodi ens Deus est, qui, vt dictum est tom. 1. disp. 7. qu. 5. num. 6. est tale ens, vt quidquid ab eo differt, imperfectione, non perfectione differat. Quod si ens non habet omnem perfectionem essendi, necesse est, vt habeat aliquem gradum talis perfectionis, sed habere aliquem gradum perfectionis essendi est formalissimè habere aliquod prędicatum essentiale sibi proprium distinctiuum rei à quacumque alia re, vt patet in rebus omnibus creatis, quæ habent esse per participationem, eo quod non habent totam amplitudinem essendi ergo &c.

3 Hinc est, quod nomine essentiæ, quam res omnes existentes habere debent, nihil aliud præcisè intelligitur, quàm illud prædicatum intrinsecum, quod primò constituit vnamquamque rem, & est prima radix cæterarum proprietatum, quæ physicè, vel metaphysicè emanant à tali ente; ita essentia hominis est animal rationale, quia huiusmodi prædicatum est intrinsecum homini existenti, & primò constituit hominem in esse hominis, eumque primò distinguit ab omni non homine, quia intellecto præcisè animali rationali, intelligitur formaliter homo, eo non intellecto, non intelligitur formaliter homo: præterea hoc prædicatum est prima radix omnium proprietatum, quæ sunt in homine, quia hominis proprium est esse risibile, & admiratiuum, quæ duæ proprietates metaphysicè emanant à rationalitate; metaphysicè inquam, quia habent identitatem realem, non formalem

lem cum rationalitate: indè est, quod demonstratur á priori hominem esse risibilem, quia est rationalis, & á posteriori demonstratur esse rationale, quia est risibilis, vt docuimus cum Aristotele in libris Analyticorum tom. 1. disp. 13. qu. 3. num. 2 & 3. Nomine existentiæ intelligitur illud esse intrinsecum, quod habet vnaquæque res, quando actu est in rerum natura, & habet suum esse extra causas: conceptus formalis existentiæ non potest clariùs explicari, quàm per ipsum existere, quod est notissimum cuicumque habenti cognitionem, cui enim notum non est ipsum existere, nihil potest esse notum. Et ratio à priori est, quia conceptus experimentales, hoc est conceptus rerum, quæ cadunt sub experientiã, sunt conceptus notissimi, qui obscurantur potiùs, quam illustrentur, si vlteriùs declarantur: conceptus autem existentiæ est huiusmodi, quia vnusquisque cognoscit se existere, adeoque per coneeptum quemdam experimentalem, & primo apprehensu notissimum format iudicium, quo certissimè, & clarissimè iudicat quid sit existere, quid non existere.

4. Præmissa terminorum intelligentia præsens agitatur quæstio de distinctione reali essentiæ ab existentia, nimirum vtrum illud prædicatum actuale intrinsecum, & primò constitutiuum rei in esse rei sit aliquid distinctum realiter ab hoc prædicato, quod est rem habere esse intrinsecè, & existere extra causas. In hac quæstione locum non habet proculdubio ens infinitũ, & increatum, quod est Deus, quia cum Deus sit actus purissimus existendi excludens omnem excogitabilem compositionem realem, non potest esse ens physicè compositum ex duplici parte reali, quarum vna sit essentia, altera existentia. Hinc est, quod illi Authores, qui recognoscunt aliquam realem distinctionem inter essentiam, & existentiam rerum creatarum; vnicè, vel saltem potissimum hac de causa mouentur ad hu-

huiusmodi distinctionem ponendam, vt ostendatur discrimen simplicitatis inter Creaturas essentialiter inuoluentes aliquam realem compositionem, & Deum ab omni compositione liberum: quod quantum habeat veritatis inferiùs demonstrabimus.

5 Essentiam realiter distingui ab existentia tanquam rem á re docet prima sentenia, quæ censetur esse opinio S. Thomæ, vt potest colligi ex prima parte quæstione 3. art. 4. & 2. contra gentes cap. 52. & cap. 5. de ente, & essentia, & ex 4. Metaphysicæ, eamque fuisse expressam S. Doctoris mentem in locis citatis affirmant Capreolus, Caietanus, Ferrariensis, & cæteri Thomistæ, qui in hanc sententiam descendere.

6. Secunda opinio docet essentiam distingui ab existentia eo genere distinctionis, quo distinguitur modus á re, nimirum vbicatio á re vbicata, intellectio ab intelligente. Iuxta hanc sententiam, quæ tribuitur Scoto in 3. disp. 6. quæstione prima, & Henrico Gandauensi quodl. primo qu. 9. & 10 existentia est modus essentiæ, adeoque non est separabilis ab essentia, licet essentia sit separabilis ab existentia, quia inter modum, & illud ens, cuius est modus non datur mutua separabilitas, vt patet in vbicatione, & re vbicata, intellectione, & intelligente.

7 Tertia sententia nullam distinctionem realem agnoscit inter essentiam, & existentiam, sed asserit solum distingui distinctione formali, eo modo, quo distinguitur animal á rationali. Hanc sententiam docuit expressè ex antiquis scholasticis Alexander Alensis in 7. Met. Text. 22. Aureol. apud Capreol. in primo dist. 8. q. prima, & omnes Nominales cum Gabriele in 3. dist. 3 ex recentioribus Franciscus Suarius in sua Metaphysica, & alij quamplurimi.

8. Argumenta, quibus prima sententia, quæ in idem fermè recidens cum secunda docet distinctionem rea-

realem, & obiectiuam essentiæ ab existentia, sunt huiusmodi.

9. Primo. De essentia, & existentia verificantur prædicata contradictoria, ergo inter essentiam, & existentiam datur realis distinctio. Antecedens probatur. Essentia habet esse æternum, & necessarium, quia semper est verum hominem esse animal rationale: existentia non habet esse æternum, sed contingens, quia non semper est verum hominem existere, sed esse æternum, & non esse æternum sunt prædicata contradictoria, ergo &c.

10. Secundò omnis creatura distat à Deo infinitè, sed Deus ratione perfectionis infinitæ habet essentiam realiter indistinctam ab existentia: ergo omnis creatura habet essentiam realiter distinctam ab existētia. Confirmatur, quia solus Deus est suum esse, adeoque antonomasticè datur existere iuxta illud Exodi 3. *Ego sum qui sum*.

11 Tertio omnis creatura habet esse essentialiter limitatum, ergo habet esse includens essentialiter aliquam compositionem, ergo habét essentiam distinctā ab existentia. Consequentia probatur, quia si essentia non distinguitur ab existentia, nulla datur compositio essentiæ cum existentia, sed si nulla datur compositio, esse Creaturæ excludit omnem compositionem, ergo &c.

12 Quarto: in omnibus rebus creatis distinguuntur realiter id, quod est, & id, quo ést; sed essentia est id, quod est, & existentia id, quo est, ergo essentia, & existentiá realiter distinguuntur. Maior probatur, quia nulla res creata infinite existit, sed id, in quo non distinguitur realiter id, quod est, & id quo est, infinite existit, ergo, &c. Confirmátur, quía intellectus, in quo non distinguitur intelligens ab intellectione est infinitus intellectus, ergo illud ens, in quo non di-

stinguitur existens ab existentia, infinite existit, adeoque est infinitum ens.

13 Quint. Nulla res creatá habet actũ indistinctũ realiter á potentiá, ergo nulla res creata habet actum existendi indistinctum realiter á potentia existendi, sed actus existendi est existentia, potentia existendi est essentia, ergo, &c. Antecedens patet, tum quiá actus currendi distinguítur á currente, actus intelligendi ab intelligente; tum quía actus indistinctus á potentia est infinitus actus, sed infinitus actus repugnat creaturæ, ergo actus indistinctus á potentia repugnat creaturæ.

14 Sexto: Omnis essentia creata est indifferens ad existendum, ergo distinguitur ab existentia, a qua determinatur ad existendum. Consequentia probatur, tum quia existentia non est indifferens, tum quia nihil determinatur per se ipsum formaliter ad habendum id, ad quod est indifferẽs. Confirmatur: omnis res creata, quæ actu existit, potest esse, & potest non esse, sed posse esse, & posse non esse non est idem cum actuali existentia, quia actu existere est ipsum esse, repugnat autem, vt id, quod est ipsum esse, possit non esse.

15 Septimo: Deus est ens per essentiam, creatura per participationem, ergo Deus habet essentiam indistinctam ab existentia, creatura nón habet. Consequentia probatur. Ideo Deus non solum est bonus, iustus, & sapiens. sed etiam est ipsa bonitas, iustitia, & sapientia in ábstracto, quia est bonus per essentiam, & ideo creatura non est ipsa bonitas in abstracto, licet sit bona in concreto, quia est bona per participationem, ergo ídeo Deus habet esse per essentiam, quia est identice suum existere, adeoque habet essentiam indistinctam ab existentia, quod non conuenit creaturæ habentí esse per participationem, ergo &c.

16 Octauo: repugnat, vt ens creatum habeat per-

perfectiones sibi debitas absque vlla compositione; id enim est proprium solius Dei, qui habet esse simplicissimum carens omni compositione, ergo repugnat enti creato esse excludens omnem compositionem, ergo repugnat enti creato essentia indistincta ab existentia. Confirmatur, quia tota ratio, cur Deus sit infinité perfectus, est quia Deus est suum esse, hoc est actus purissimus existendi, vt egregié, & acuté demonstrat S. Thomas, qui in prima parte totum discursum de infinitate Dei, & limitatione creaturæ vnicè fundat in distinctione essentiæ ab existentia, quam habet creatura composita ex essentia, & existentia. eamque non habet Deus.

17 Vltimò: hæc consequentia est bona: *Creatura habet esse ab alio, ergo habet esse receptum in alio*, sed si omnis creatura habet esse receptum in alio, debet in omni creatura distingui id, quod recipitur ab eo, in quo recipitur, hoc est essentia ab existentia, alioquin idem essent recipiens, & receptum, quod repugnat, ergo &c. Antecedens probatur. Hæc consequentia est formalis: *ens increatum, videlicet Deus non est ab alio, ergo non est in alio*, ergo similiter est formalis hæc consequentia: *ens creatum est ab alio, ergo est in alio*. Contra hanc sententiam.

18 Dico primo: Essentia creata non distinguitur ab existentia distinctione aliqua reali, & obiectiua. Ita docent omnes Authores citati in tertia sententia contra Thomistas, & Scotistas.

19 Probatur primo; essentia, & existentia non sunt duæ entitates realiter distinctæ, ergo essentia creata est realiter indistincta ab existentia. Antecedens probatur, quia essentia, vel non existit formaliter per existentiam, vel non est entitas realiter distincta ab existentia, sed essentia existit formaliter per existentiam, vt fatentur aduersarij, ergo essentia

non est entitas realiter distincta ab existentia. Maior probatur, quia si essentia est aliqua entitas realiter distincta ab existentia, hæ duæ entitates realiter componunt vnum totum, eo modo, quo materia, & forma constituunt compositum, ergo si essentia, & existentia sunt duæ entitates constituentes aliquod totum, essentia non potest existere formaliter per existentiam. Ratio á priori huius consecutionis est, quia per illud formaliter res existit, per quod formaliter contradistinguitur ab omni eo, quod non existit, hoc est á nihilo, quia non existere, & nihil esse conuertuntur, sed ín ea hypothesi essentia non contradistinguitur formaliter á nihilo per existentiam, quia essentia quatenus distincta ab existentia est formaliter contradistincta á nihilo, aliter quatenus talis, esset nihil, adeoque componeretur aliquod totum reale ex duplici parte, quarum vna est aliquid, & alia nihil est, quod euidenter repugnat, ergo, &c.

20 Probatur secundo: omne id, quod potest in genere causæ formalis tribuere essentiæ existentiam distincta, habet in se essentia ratione suæ entitatis precisé, ergo existentia non est entitas realiter distincta ab existentia. Antecedens probatur, quía effectus formalis existentiæ est facere rem intrinsece, & formaliter actu existentem, hoc est habentem esse extra suas causas, quia quandiu non intelligitur rem existere, nondum intelligitur habere esse extra suas causas, tantum enim intelligitur habere esse intra causas: sed hoc totum habet essentia per seipsam præcisè quatenus est ens contradistinctum ab existentia; quia essentiá per suam entitatem vtique est a Deo producta, alioquin daretur aliquid á Deo distinctum, quod a Deo non est productum, quod repugnat: quod si est producta, est res intrinsece, & formaliter existens, adeoque habens esse extra suas causas

fas

fas, quid enim tribuit essentiæ illa actio, qua Deus producit essentiam, si eidem non tribuit esse extra causas?

21 Probatur tertio: vel omnis essentia creata distinguitur ab existentia, vel nulla, non omnis, ergo nulla. Minor patet ex ipsa sententia Aduersariorum, qui fatentur in ipsa entitate existentiæ non distingui essentiam ab existentia, & tamen nemo potest dubitare, an existentia habeat suam essentiam, quia non minus possunt de existentia, quàm de essentia hominis verificari aliqua prædicata necessaria, dicendo existentiā esse vltimam actualitatē rei. Maior probatur, tum quia non est maior ratio de vna, quam de alia, cum omnes sint essentiæ creatæ, tum quia ruunt omnia argumenta, quibus conantur probare Thomistæ distinctionem realem essentiæ ab existentia, omnia enim argumenta retorquentur contra essentiam existentiæ indistinctam ab ipsa existentia, vt patebit clarius ex solutione argumentorum.

22 Dices hoc argumentum nullum esse, quia ratio formalis, quæ determinat essentiā ad existendum, siue vltima actualitas essentiæ, non debet determinari ad existendum per aliquid distinctum, sicuti vltima determinatio Petri ad existendum hic non debet determinari ad existendum hic per aliquid distinctum; sed existentia est vltima actualitas rei: ergo existentia non debet determinari per aliquid distinctum ad existendum.

23 Resp. Existentiam distinctam ab essentia esse existentiam chimæricam, adeoque esse talem, vt sequitur ex ipsa quodlibet contradictorium: quare ex vno capite sequitur existentiam distinctam ab essentia non debere determinari per aliquid distinctum, quia ex capite formæ determinantis sequitur non debere determinari, & ex capite rei contingentis, atque adeo

indifferentis ad existendum sequitur debere determinari, si est verum hoc principium, quod in schola Thomistica docente distinctionem realem essentiæ ab existentia est indubitatum, *omne contingens debet determinari ad existendum per aliquid distinctum*. Quare, vel hoc principium non est verum, vt reuera non est, vel existentia, quæ vtique est aliquid contingens, debet determinari ad existendum per aliquam formam a se distinctam, dum existit potius, quam non existit; etiamsi existentia determinet essentiam ad existendum. Hoc igitur argumentum est optimum argumentum ad redarguendos Thomistas, qui ex indifferentia ad existendum fundata in contingentia arguunt realem distinctionem essentiæ ab existentia in rebus creatis. Hoc argumentum non vrget eos, qui docent Petrum esse in loco per aliquam formam à se distinctam, & simul docent huiusmodi formam esse in loco per seipsam; est enim dispar ratio inter vtrumque, Petrus est indifferens, vt sit hic, vel alibi, ea verò forma, per quam est hic, non est indifferens, vt sit hic, vel alibi. Huiusmodi disparitas non potest inueniri inter essentiam, & existentiam cùm vtraque sit indifferens, vt existat, vel non existat.

24. Dico secundò. Essentia actualis distinguitur præcisiuè, & formaliter ab existentia actuali.

25. Probatur, quia intellectus potest cognoscere hominem actu existentem esse animal rationale, quin cognoscat actu existere, ergo potest distinguere distinctione formali, & præcisiuà formalitatem essentiæ à formalitate existentiæ. Antec. probatur quia intellectus potest duplici cognitione attingere hominem, videlicet conditionatè dicendo: *si homo existit est animal rationale*; qui actus præscindit ab existentia, & absolutè dicendo: *homo existit*; qui actus non præscindit ab existentia. Ratio huius distinctionis à priori est, quia

homo

homo itá existit, vt contingenter existat, adeóque nullam habet necessitatem existendi. Hinc est, quod intellectus potest præscindere prædicatum essentiæ à prædicato existentiæ, itá vt concipiendo formaliter prædicata essentialia, non concipiat prædicata existentiæ: hoc non contingit respectu entis increati, cuius essentia cum sit ens à se, hoc est necessitas existendi, non potest intellectus cognoscere essentiam Dei non cognitâ exercitè existentia Dei: in hoc sensu concedunt omnes Theologi, & S.S.P.P. existentiám esse essentialem Deo, non esse essentialem Creaturæ, quia nulla Creatura itá est, vt necessariò existat, cum Deus semper, & necessariò sit, quia est à se. Hæc distinctio Logica inter essentiam, & existentiam satis est vt existentia donetur à Deo rebus existentibus, quia non est necessaria distinctio realis inter illum, qui accipit donum, & ipsum donum, sufficit enim distinctio formalis: Ratio est, quia est aliquod donum, quod est essentialiter primum donum, huiusmodi autem donùm debet habere identitatem realem cùm illo, qui accipit donum, ergo non est necessaria ad rationem doni realis distinctio inter donum, & accipientem donum.

26. Hinc colliges primò, duplicem esse statum in qualibet essentia creata distinguendum, alium Physicum, quem habet essentia actualis, quando Physicè in se existit; alium Logicum, quem habet essentia purè possibilis, quando Logicè existit in sua causa, nimirùm in Diuina Omnipotentia, a qua, vt dicam in Metaph: tanquàm à causa formali denominatur extrinsecè, & Logicè possibilis, indè est, quod sine necessitate distinguendi essentiam ab existentia, semper est verum hominem esse rationalem, non semper est verum hominem existere, quia hanc propositionem *homo est rationalis* verificat homo possibilis,

hoc est homo, qui non existit in se Physicè, sed existit Logicè in sua causa: hanc propositionem *homo existit* verificat homo in se Physicè existens. Cæterùm non potest esse dubium, quin homo possibilis secundum omne id, quod significat, non sit homo actualis, licet secundum id, pro quo supponit, idem sit ac homo actualis. Ratio á priori est, quia iuxta principia in Metaph. stabilienda circa possibilitatem omnium possibilium, homo possibilis constituitur formaliter possibilis per Omnipotentiam Dei actu existentem, sed Omnipotentia Dei non est homo actu existens, ergo homo possibilis secundum omne id, quod significat non est homo actu existens. Hinc patét nullius momenti esse argumenta, quibus probant Aduersarij ex propositionibus æternæ veritatis distinctionem realem essentiæ ab existentia, quia semper æquiuocantur à statu Logico, & possibili, ad statum Physicum, & actualem.

27. Colliges secundò. Nullam esse denominationem, quàm sustinet essentia, eamque non sustineat existentia, adeòque nullam esse distinctionem realam inter essentiam & existentiam. Ratio est, quia omnes denominationes, quas sustinet essentia, vel sunt necessariæ, vel contingentes: denominationes necessariæ sunt denominatione Logicæ, & conueniunt essentiæ in statu Logico: has denominationes sustinet non solúm essentia, sed etiam existentia, quia non modo est verum esse possibilem essentiam hominis, & essentiam hominis esse animal rationale, sed etiam est verum esse possibilem existentiam hominis, & existentiam hominis esse existentiam animalis rationalis. Hinc illa eadem forma, quæ denominat possibilem esséntiam, denominat possibilem existentiam, & illa eadem forma, quæ denominat essentiam hominis esse animal rationale, denominat

existentiam hominis esse existentiam animalis rationalis: est enim vtrobique par ratio. Quia vero forma, quæ denominat essentiam hominis possibilem, eamque denominat animal rationale, est forma extrinseca, & Logica respectu essentiæ, ideo forma, quæ denominat existentiam hominis possibilem, est forma extrinseca, & Logica respectu existentiæ. Hinc essentia perindè vt existentia dicitur esse in statu Logico, cum vtraq; sustineat has denominationes. E contrario denominationes contingentes sunt Physicæ, & conueniunt essentiæ non minùs quàm existentiæ in statu Physico: ratio est, quia forma, quæ tribuit huiusmodi denominationes essentiæ & existentiæ, est forma vtrique intrinseca, est enim ipsa essentia, & ipsa existentia Physicé existens: atque adeo eamdem denominationem, quam sustinet essentia, sustinet existentiá.

28. Colliges tertiò. Inter denominationes necessarias, & contingentes, quas sustinent essentia simul & existentia, hoc esse discrimen, quod forma denominans in denominatione necessariá est diuersa á forma denominãte in denominatione contingenti, quia illa est ens necessarium distinctum ab essentia, & existéntia creatá, hæc verò est ens contingens in distinctum ab essentia, & existentia creatá. Cæterum nulla est diuersitas, & nulla distinctio in re denominatá, quia illa eadem res, quæ denominatur Logicé existens, quando est possibilis, denominatur Physicé existens, quando actu existit: eo fermé pacto quo inter Petrum cognitum, & Petrum existentem non est aliud discrimen nisi penes formam denominantem, quæ in Petro cognito est illi extrinseca, in Petro existente est intrinseca. Hinc essentia transit de statu Logico ad statum Physicum, eo ipso quod Physicé existit. Nulla igitur est apparens ratio ex

hoc

hoc capite ponendi realem distinctionem essentiæ ab existentia.

29. Ad primum. Nego antec. Ad eius probationem dist. mai. essentia actualis, & Physicé existens habet esse æternum, nego mai. essentia possibilis, & existens Logicé in sua causa: concedo mai. & min. & dist. conseq. ergo essentia actualis, & Physicé existens distinguitur ab existentia: nego consequentiam, essentia possibilis, & Logicé existens: concedo consequentiam. In duplici statu considerari potest quælibet res creata; in statu Physico, & in statu Logico, vt dictum est n. 26. nulla res creata est in statu Physico æterna, & necessaria, vt est euidentissimum, quia id conuenit soli Deo, qui semper, & necessarió existit; ideó contingens est esse Physicé essentiam hominis, sicuti contingens est hominem existere, adeóque nascitur, & occidit essentia hominis, sicuti nascitur, & occidit homo. Præter hunc statum Physicum, in quo essentia hominis contingenter existit, datur status Logicus, siué denominatiuus, in quo non est Physicé, sed Logicé essentia hominis, quatenùs existit Physicé aliquod ens ab ipsa realiter distinctum, videlicet Deus, qui est æterna, & necessaria eiusdem possibilitas: indé est, quod essentia hominis, & cuiuscumque rei creatæ est æterna, & necessaria solum Logicé & denominatiué ab illa necessitate, quæ actu existit, vt homo sit semper animal rationale, adeóque verificatiuum formale omnium propositionum æternæ veritatis est Deus, qui denominat Logicé possibile omne id, quod non repugnat. Fateor hoc argumento, quod á propositionibus æternæ veritatis desumitur, vrgeri acriter illos, qui docent Mundum nunc non existentem esse intrinsecé possibilem, ideó ex hoc etiam capite refellitur huiusmodi sententia de qua dicam in Metaphisica, vtpoté repugnans

pugnans

pugnans identitati essentiæ cum existentia.

30. Ad secundum. Conc. mai. & dist. min. Deus habet essentiam indistinctam ab existentia præcisé ratione perfectionis infinitæ, nego min. non præcisé ratione perfectionis infinitæ, conc. min. & nego consequentiam; Deus habet essentiam indistinctam ab existentia, quia per seipsum identicé, & intransitiué existit, adeóq; potiùs est, quàm non est, non verò quia infinité existit; sed etiam quælibet creatura; quæ est potiùs; quàm non est, per seipsam identicé, & intransitiué existit, ergó quælibet creatura habet essentiam indistinctam ab existentia; adeóque ex hoc capite nullum est discrimen inter Deum existentem; & creaturam existentem: Quia veró Deus infinité existit, ideó non solùm per seipsum existit, sed etiàm à se existit, adeóque necessarió; & indefectibiliter existit: Creatura quia infinité non existit; licet per seipsam existat, à se non existit; adeóque contingenter existit, habens indigentiam alterius entis à se distincti, à quo suscipit esse in genere causæ efficientis; non in genere causæ formalis. Hinc est, quod Deus antonomasticé dicitur esse; quia infinité existit, cùm sit ens à se, habens necessitatem Metaphysicam existendi. Ratio autem à priori est; quia Deus ita est suum esse, vt non solum per seipsum formaliter sit; sed etiàm à seipso sit, excludens omnem causam sui; quod de nulla re à Deo distincta verificari potest; quia nihil à Deo distinctum habet esse à se; adeóque nihil creatum est suum esse in eo sensu, in quo Deus est suum esse, de quo veré dicitur: *Ego sum qui sum.*

31. Vrgebis. Valet ita arguere; *Deus existit per suam essentiam; ergo essentialiter existit*, ergó arguendo ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis valebit ita arguere: *Nulla creatura per suam essentiam existit, ergo omnis creatura existit per existentiam distinctam ab essentia.*

32. Resp. dist. antec. Valet consequentia materiali, conc. antec. consequentia formali, nego antec. & consequentiam. Ratio est, quia Deus non ideó existit essentialiter, quia existit per suam essentiam, sed quia existit per essentiam infinitam, hoc est per essentiam, quæ habet esse à se, adeóque necessarium, & indefectibile: indé est, quod creatura non existit essentialiter, licet existat per suam essentiam, quia existit per essentiam habentem esse non à se, sed ab alio.

33. Ad tertium. Concedo totum Enthymema, & nego secundam consequentiam. Ad eius probationem conc. mai & nego min. Esse creatum ex eo quod non est compositum ex essentia, & existentia, non excludit omnem compositionem, licet excludat compositionem essentiæ cum existentia, non enim valet arguere à secundum quid ad simpliciter, à particulari ad vninersale, Ratio est, tum quia nulla creatura existit, vel potest existere, quæ non componatur Physicé ex natura, & subsistentia, adeóque suppositum creatum, quod est prima substantia, habet esse compositum, túm quia omnis res creata componitur ex substantia, & accidente.

34. Ad quartum. Dico maiorem propositionem esse veram, si sermo sit de natura, & supposito, quia suppositum est id, quod est, & natura est id, quo suppositum est. In hoc sensu locutum censeo S. Thomam quotiescumque assumit hoc principium ad probandum esse limitatum entis creati, & esse illimitatum entis increati, quia in rebus creatis distinguitur realiter natura à supposito, in Deo non distinguitur nisi virtualiter: quia tamen Thomistæ abutuntur hoc principio, quod est verissimum, & indubitatum apud S. Doctorem ad probandam realem distinctionem essentiæ ab existentia; ideó neganda est absoluté maior. Ad eius probationem conc. mai. & nego min. & ratio

est, quia infinitè existere, & esse a se conuertuntur; habere autem essentiam indistinctam ab existentia, & esse à se non conuertuntur; illud enim ens, quod per se formaliter existit, contingenter existit, ergo &c.

31. Ad confirmationem conc: antec: & nego conseq: Disparitas est euidens inter intellectum, in quo non distinguitur realiter intellectio ab intelligente, & ens in quò non distinguitur existentia à re existente, quia intellectus intelligens per intellectionem indistinctam est ens à se; non est à se ens existens per existentiam indistinctam. Ratio à priori est, quia omnis intellectio est ab intelligente, ergo intellectus, qui intelligit per intellectionem realiter indistinctam est ens a se, sed repugnat ens creatum, quód sit ens à se, ergo repugnat intellectus creatus intelligens per intellectionem indistinctam. Antecedens patét, quia intellectio est actus vitalis, adeoque debet esse ab intelligente, cum omnis actus vitalis sit á viuente. Consequentia probatur: si intellectió indistincta ab intelligénte non est á se, datur aliqua intellectio, quæ non est ab intelligente, sed répugnat intellectio, quæ non est ab intelligente, ergo intelléctio indistincta ab intelligente est ens à se. Idem non contingit in ente creato, quod existit per existentiam indistinctam, quia existentia non debet esse ab existente, sicuti intellectio ab intelligente.

36. Ad 5. dist: antecedens, nulla rés creata habet actum transitiuum indistinctum à potentia conc: antec: actum intransitiuum: nego antec: & conseq: Actus transitiuus, cui respondet potentia physica, quæ vocatur subiectiua, est actus physicè distinctus à subiecto, quod actuat; ità albedo est actus transitiuus parietes albi, quia est forma distincta physicé a pariete, quem physicè informat. Actus intransitiuus, cui respondet potentia logica, siue obiectiua, est actus

logice distinctus a subiecto, quod actuat: ita quælibet perfectio est actus intransitiuus respectu entis habentis omnem perfectionem, & perfectio existendi est actus intransitiuus, respectu cuiuscumque entis, quia nulla res potest existere, quæ non habeat identitatem cum se ipsa, adeoque non existat identice, & formaliter per suam entitatem. Hinc est, quod actus intransitiuus, qui denominat subiectum actuatum identicè, non physice, non debet esse distinctus physice, sed logice a potentia, quæ actuatur, quia ea, quæ habent identitatem realem non possunt distingui nisi formaliter, & logicè. Potentia intrinseca cuiuscumque rei ad existendum est potentia logica, & obiectiua, non physica, & subiectiua, ideo est distincta logice non physice, ab actu existendi: potentia veró currendi, potentia intelligendi, & quælibet alia potentia, quæ non est potentia existendi, est potentia physica, & subiectiua, ideò distinguitur physice ab actu a quo perficitur. Ratio à priori est, quia omnis actus qui non est actus existendi, præsupponit rem intrinsece existentem, actus verò existendi non præsupponit, quia repugnat, vt aliquid intrinsece existat antequam existit: ideò actus existendi est primus actus adeoque non distinguitur ab illa re, cuius est actus, cæteri actus, sunt actus secundi, adeoque realiter distincti ab illa re, cuius sunt actus. Hinc patet ad confessionem argumenti, quod euidenter retorquetur contra Thomistas meritò negantes existentiam existere per aliquid distinctum. Cauenda est in similibus argimentis æquiuocatio, quæ non raro committitur arguendo ab actu existentiæ, qui est actus intransitiuus, ad quemcumque alium actum, qui est actus transitiuus, quia licet identitas alterius actus cum habente actum, arguat perfectionem infinitam, qua de re in præsenti non disputo; eam certé non arguit iden-
titas

titas actus existendi cum re existente, quia potest res existere, quę infinité non existit, non potest res existere, quæ non habet identitatem cum sui existentia.

37. Ad 6. concedo antec: & nego conseq: Hunc enim arguendi modum esse falsum constat ex eo, quod existentia, quæ est indifferens ad existendum, non determinatur formaliter ad existendum per aliquid á se distinctum. Ratio á priori cur non valeat prædictus arguendi modus est, quia indifferentia rei ad existendum est indigentia alterius entis á quo debet esse in genere causæ efficientis, repugnat enim, vt illud, quod contingenter, adeoque non necessario existit, sibi sufficiat ad existendum, ergo ex indifferentia sequitur essentiam non esse á se, non sequitur essentiam per se, & identicé non existere. Hinc patet ad probationem consequentiæ, tum quia existentia est indifferens ad existendum non minus, quam essentia, vtraque enim est contingens, tum quia hęc indifferentia indicat necessitatem causæ efficientis, quæ determinat efficienter rem indifferentem ad existendum. Ad confirmationem conc: ma: & nego mi: quia esse contingens quod vtique est esse conueniens rebus creatis, est formalissimè esse defectibile, adeoque imperfectum, sed esse defectibile est esse, quod intrinsecè potest non esse, ergo &c.

38. Ad 7. concedo anteced. & nego conseq: Ratio est, quia esse per essentiam est esse essentialiter adeoque á se, quod repugnat creaturæ. Ad probationem consequentiæ conc: antec: & nego conf. Ratio, cur Deus habet esse per essentiam, est, non, quia identicè, & intransitiue est suum existere, id enim conuenit omnibus rebus existentibus, sed quia habet á se suam existentiam. Inde est, quod non solum est bonus, sed etiam est ipsa bonitas, quia habet boni-

bonitatem á nullo mendicatam.

39. Ad 8. concedo antec: & nego conseq: Deus est ens simplicissimum, quia habet esse á se, quod excludit omnem compositionem, ex natura, & subsistentia, ex substantia,& accidente,creatura non habet esse simplicissimũ,quia habet esse ab alio,& habet esse cōpositum ex natura, & subsistentia ex accidente, & substantia. Inde est in Deo, qui necessario existit, non distingui esse, & posse esse, sicuti distinguitur in rebus creatis, quæ præter esse physicum, quod habent in se, habent esse logicum, quod antequam existant, habent in sua causa. Ad cōfirmationem dico Deum esse infinitè perfectum, quia est purissimus actus existendi, habet enim esse irreceptum iuxta phrasim S. Thomæ, vnde arguitur necessitas existendi.

40. Ad vltimum conc: antec: & dist: conf: ergo habet esse in alio, ly *in alio* appellante essentiam distinctam ab existentia, nego consequentiam, appellante naturam distinctam á supposito conc: conseq: ad eius probationem dico hanc consequentiam esse formalem: *Deus non habet esse ab alio, ergo non habet esse receptum in alio*: non esse formalem istam. *Creatura habet esse ab alio, ergo habet esse receptum in alio*: tum quia ab opposito consequētis infertur oppositū antecedentis, sed ab opposito antecedentis non infert oppositum consequentis; tum quia ens, quod habet esse á se, habet omnem perfectionem, adeoque valet ab affirmatione aseitatis ad affirmationem cuiuscumque perfectionis, at ens, quod habet esse ab alio sicuti non habet omnem perfectionem,itá neq;habet omnem imperfectionem, ideò non valet á negatione áseitatis ad negationem cuiuscumque perfectionis.

41. Hinc colliges inter essentiam, & existentiam nullam esse possibilem distinctionem nisi formalem, adeoque materiam non posse intransitiue existere per

exi-

existentiam formæ, quia nihil potest existere per aliquid á se distinctum, neque enim datur aliquod esse medium inter esse puré possibile, & rem existentem. Vnde patet, quid opinandum circa existentiam materiæ in ea hypothesi, in quá essentia distingueretur ab existentia, & daretur esse medium inter esse puré possibile, & rem existentem, qua in quæstione certè inutili multum impendunt temporis nostræ ætatis Philosophi: ego rem totam breuissimè expedio, monendo generatim Lectorem ex hypothesi impossibili sequi vtrumq; cōtradictorium, adeoque ex distinctione essentiæ ab existentia, quæ distinctio est chimærica, vt ostensum est num. 19 & 20. sequi materiam existere per existentiam formæ, & simul non existere, illud consequentia formali, hoc materiali, sicuti homo in ea hypothesi in quá esset equus, discurreret, & non discurreret, discurreret quatenus homo, non discurreret quatenus equus, adeoque vi consequentiæ formalis, hoc est præcisé spectato prædicato hypothesis non discurreret, spectato præcise subiecto, discurreret. Addo modum arguendi ab hypothesi imposibili esse prorsus inutilem, nisi forte contingat, eum, contra quem arguitur, dubitare de impossibilitate hypothesis. Itá magna cum laude PP. Latini in Concil. Florent: redarguerunt inconsequentiæ PP. Græcos, qui negabant Spiritum Sanctum procedere á Filio, eumque fatebantur esse distinctum á Filio hoc argumento ineuitabili, *Si Spiritus Sanctus non procedit á Filio, non distinguitur á Filio: Sed distinguitur, ergo procedit.* Ex quo factum fuit, vt causam de Spiritus Sancti processione diú agitatam in Ecclesia, vel ipsis Græcis id temporis consentientibus, Latini perorauerint. 5

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum materia prima ſit ingenerabilis, et incorruptibilis.

1. VIdetur non eſſe primo, quia materia prima eſt principium cuiuſcumque generationis, & corruptionis, ſed principiũ generationis eſt generabile, & corruptibile, ergo materia prima eſt generabilis, & corruptibilis.

2. Secundò: materia prima, que eſt ens in potentiâ, eſt imperfectior forma ſubſtantiali, quæ eſt ens in actu, ergo eſt corruptibilis. Conſequentia probatur; quia aliter eſſet perfectior, incorruptibile enim eſt perfectius corruptibili.

3. Tertiò: materia primá non poteſt naturaliter conſeruari ſine forma, ergo poteſt naturaliter deſtrui. Conſequentia probatur quia poteſt naturaliter deſtrui vna forma alia non producta, vt contingit in luce reſpectu aeris, ergo &c.

4. Quartó: ſaltem Deus, vt agens naturale poteſt deſtruere materiam ſubtrahendo ſuum concurſum, tum quia datur aliquod ens, quod nullum habet contrarium, & tamen poteſt naturaliter deſtrui á Deo tum quia non repugnat naturæ materiæ, vt deſtruatur á Deo remouendo ſuum concurſum ergo &c.

5. Reſpondeo cum Ariſtotele, & omnibus Peripateticis materiam primam eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem.

6. Ratio primi eſt; quia illud, quod non poteſt fieri ex ſubiecto præexiſtente, eſt ingenerabile, huiuſmodi eſt materia prima, alioquin non eſſet ſubiectum primum, ergo eſt ingenerabilis, adeoque non poteſt

nisi

nisi creari á Deo, qui proinde in ipso mundi exordio condidit materiam, ex cuius potentia omnes formæ materiales educuntur:

7. Ratio secundi est, tum quia nullæ dispositiones sunt contrariæ materiæ, quæ est subiectum primum receptiuum omnium dispositionum, tum quia materia est id, in quod resoluitur corpus naturale, quando corrumpitur: ergo est incorruptibilis. Hinc est, quod materia semper eadem perseuerat, licet eadem forma non perseueret.

8. Ad primum: conc. ma: & nego min: sicuti enim principium demonstrationis debet esse indemonstrabile, ne procedatur in infinitum, itá principium generationis debet esse ingenerabile, adeoque argumentum retorquetur.

9, Ad secundum: conc: anteced: & nego conseq: quia non valet arguere á secundum quid ad simpliciter: incorruptibile est perfectius ex genere, quam corruptibile; non est perfectius á toto genere, quia datur aliquod incorruptibile imperfectius corruptibili, nimirum sol homine.

10. Ad tertium: dist. antec:, sine aliqua forma determinata nego antec: indeterminata: conc. antec: & nego conś: Non potest agens naturale destruere vnam formam, quin aliam producat, quia destructio non intenditurper se á natura: neque valet lucem destrui sine productione alterius formæ, quia lux pendet in fieri, & conseruari á sole, forma substantialis conseruatur a solo Deo.

11. Ad vltimum: esto detur aliquod ens, quod petit á Deo conseruari solum ad tempus, id conuenire non potest materiæ, tum quia est substantia, tum quia exigit semper durare, vt sit perpetuus decedentium, & succedentium formarum fluxus.

DISPVTATIO TERTIA.

De potentia, et appetitu materiæ.

MATERIA est principium materiale corporis naturalis, quia habet potentiam recipiendi formam substantialem, vnde factum est, vt materiam appellauerit Philosophus appetentem formæ, à qua perficitur, sicuti turpe appetit pulchrum: hanc potentiam inuestigare præsentis disputationis erit institutum.

QVAESTIO I.

Vtrum potentia materiæ sit indistincta à materia eique essentialis.

1. Videtur non esse primo, quia materia disponitur per aliquid acidentale ad formam recipiendam, nimirum per dispositiones, quarum apparatum exigit materia, vt formam accipiat, ergo potentia receptiua formæ distinguitur á materia, eique est accidentalis.

2. Secundo: anima rationalis recipit intellectionem, â qua denominatur intelligens per potentiam accidentalem distinctam ab anima, ergo etiam materia recipit formam per potentiam accidentalem distinctam. Consequentia probatur, quia potentia materię est inclinatio materiæ in formam, tanquam in bonum, & centrum suum, sed inclinatio rei in bonum suum

suum se distincta á re, sicuti grauitas, quæ inclinat lapidem ad centrum, distinguitur á lapide, ergo &c.

3. Tertió: existente forma ignis in materia, non existit potentia receptiua formæ ignis, & tamen existit essentia materiæ, ergo potentia receptiua formæ non est essentia materiæ. Antecedens probatur, tum quia materia actuata á forma ignis, non est in potentia ad formam ignis, tum quia actus excludit potentiam.

4. Quartó: materia habens formam ligni non potest habere formam auri, ergo materia non est potentia receptiua omnium formarum. Consequentia probatur, alioquin lignum haberet priuationem ignis quod repugnat. Confirmatur, quia non potest quodlibet fieri ex quolibet: potest enim ignis fieri ex ligno, aurum non potest fieri ex ligno.

5. Quintó: materia per seipsam est indifferens ad formam ignis, ergo determinatur per aliquid á se distinctum, sed á potentia receptiua formæ ignis materia determinatur. ergo &c.

6. Sextó: materia per seipsam non habet relationem transcendentalem ad omnes formas possibiles: sed potentia receptiua formæ est formalissimè ordó transcendentalis ad ipsam formam, ergo materia essentialiter non est potentia receptiua formæ. Maior probatur, tum quia inde sequeretur repugnare materiam repugnante qualibet forma, tum quia materia haberet infinitós respectus, quia haberet ordinem ad formas infinitas.

7. Vltimo: materia si habet ordinem ad omnes formas est infinitè perfecta: consequens est falsum, ergo est antecedens. Sequela probatur. Eo magis crescit perfectio materiæ, quo plures sunt formæ, quas potest recipere, quia materia, quæ potest recipere

duas formas, est procul dubio perfectior materia, quæ potest vnam tantum, sed formæ, quas potest recipere, sunt infinitæ, ergo &c.

8 Resp. ad huius quæstionis euidentiam notandum est duplicem esse potentiam in materia respectu formæ substantialis, vnam remotam, aliam proximā. Potentiam proximam, quæ præparat materiam, eamque disponit ad formam possidendam, distingui realiter à materia, eique esse accidentalem non potest esse dubium, quia huiusmodi potentia consistit in accidentibus, quibus materia disponitur ad habendam formam, eam enim legem sanciuit natura, vt accidentium, & dispositionum apparatus formæ substantialis ingressum antecedat, inde est, quod lignum incendi non potest, nisi prius opera caloris omnis humor exsudauerit. Difficultas, quæ in præsenti agitatur, est circa potentiam remotam, quam habet materia præscindendo à quacumque dispositione accidentali ad recipiēdam formā, adeoq; ad faciendum cōpositum, quod est effectus formalis, quē præstat forma cōmunicata materię. De hac potentia primum quęritur, an sit distincta, vel indistincta à materia: secundo, an sit essentia, vel proprietas materie supposita identitate: tertio, an huiusmodi potentia habeat ordinem transcendentalem ad omnes formas sublunares, quales sunt formæ, quæ possunt constituere compositum corruptibile; ex quo apertè sequitur nomine potentiæ, de qua hic sermonem habemus, intelligi capacitatem recipiendi formam, siue non repugnantiam ad faciendum compositum. Pro huius solutione difficultatis.

9 Dicendum primo: potentiam recipiendi formā esse realiter indistinctam à materia: Ita docet expresse pluribus in locis S.Thom. & præsertim in primo Physicorū, vbi ait, potentiam materiæ non esse aliquid materiæ addi-

additum; idem in prima parte quæst.73.art.1.& in primo contra Gentes capit 45.S.Thomam sequuntur omnes fere Thomistæ cum Suario disp. 13. sect. 8. & alijs recentioribus contra Auerroem. Ratio a priori huius sententiæ est, quia forma recipitur immediaté in materia, cum qua facit vnum per se, nimirum substantiam completam, ergo materia est ipsa potentia receptiua formæ, ergo capacitas habendi formam est realiter indistincta ab entitate materiæ. Consequentia probatur, quia id, in quo recipitur immediatè forma, est potentia receptiua formæ, sed materia est id, in quo recipitur immediatè forma, quæ propterea vnitur, & communicatur immediatè materiæ, ergo &c. Addo omne compositum foré accidentale, si potentia materiæ immediatè receptiua formæ, esset accidens distinctum á materia.

10 Dicendum secundo: huiusmodi potentiam non esse proprietatem, sed essentiam materiæ: ita Suar. loc. cit. contra Arriagam disp.2.phy.

11 Probatur: Illud est essentiale rei, quo præcisé intellecto res intelligitur, quo non intellecto res non intelligitur, sed huiusmodi est potentia receptiua respectu materiæ, ergo est essentialis materiæ. Maíor patet, quia hoc est discrimen inter essentiam, & proprietatem, siue passionem metaphysicam realiter indistinctam ab essentia, nimirum ínter rationalitatem, & risibilitatem, quod intellecta rationalitate, etiamsi non intelligatur risibilitas, intelligitur homo, qui per principium discurrendi primo discernítur à quolibet non homine. Minor probatur ex pluribus capitibus: primo, quia materia definitur subiectum primum, sed esse subiectum primum est formalissimé esse ens receptiuum formæ, ergo conceptus formalis materiæ est conceptus potentiæ passiuæ, hoc est potentiæ, quæ est receptiua formæ: secundò forma essentialiter est

actus, qui potest recipi, & receptus actuare, ergo materia prima est essentialiter potentia, quæ potest recipere, & recipiendo actuari; forma enim, & materia sunt essentialiter ordinatæ ad faciendum vnum per se, illa per modum actus determinantis, ista per modum potentiæ determinandæ: tertiò non potest præscindi conceptus materiæ á conceptu potentialitatis, sicuti potest præscindi rationalitas á risibilitate in ordine ad effectus diuersos, nimirum ad actum ridendi, & actũ discurrendi, ergo essentia materiæ non est formaliter radix huiusmodi potentialitatis, vt falso contendit Arr. sicuti rationalitas formaliter est radix risibilitatis, sed est ipsa formalis potentialitas.

12 Dicendum tertio: huiusmodi potentiam habere ordinem transcendentalem ad omnes, & singulas formas sublunares, quæ nimirum tales sunt, vt possint naturaliter componere compositum corruptibile.

13 Probatur: materia prima quatenus potentia receptiua formæ respicit transcendentaliter omnes formas, non respicit omnes indeterminaté, ergo omnes determinate, ergo omnes, & singulas. Maior est certa etiam apud aduersarios. Minor probatur: materiam respicere formam respectu transcendentali est formalissimè materiam posse recipere formam, & cum ea facere compositum, quod est effectus formalis proueniens à forma informante materiam: hæc propositio videtur ex terminis nota, tum quia non potest aliundé argui respectus, & ordo materiæ ad formam, tum quia quælibet res creata vt ostendam in Metaphysica, habet relationem transcendentalem ad Deum, & cum eo essentialiter connectitur, non alia de causá, nisi quia potest accipere esse á Deo: præterea euidens est, quod materia prima potest recipere determinate, quamcumque formã,

tum

tum quia nulla est forma determinata (loquor in præsenti de formis sublunaribus quæ faciunt compositum corruptibile, vt præscindam à cœlestibus) cum qua non possit materia constituere corpus naturale, ex quo fit materiam esse incorruptibilem, licet compositum sit corruptile, cum possit ab vna forma ad aliam migrare; tum quia eodem modo se habet materia respectu compositi naturalis, sicuti æs, & marmor respectu artificialis, nimirum statuæ; sed æs, & marmor potest recipere determinaté omnes formas, ergo etiam materia omnes formas.

14 Hinc colliges materiam primam esse vnam, & eandem specie in omnibus compositis corruptibilibus, quæ sunt corpora naturalia subiecta perpetuæ mutationi, tam accidentali, quam substantiali. Ratio est, quia esse eiusdem speciei, & habere eandem essentiam, eandem inquam præcisiné, & formaliter, non positiué & realiter est idem formalissimé, sed materia hominis, & materiá lapidis (idem dico de quacumque alia materia) habent eandem essentiam, vtraque enim est potentia receptiua cuiuscumque formæ, cum ab vna forma transire ad aliam non minus possit materia, quæ informatur ab anima rationali, quam materia, quæ informatur á forma lapidis: si enim vna potest, alia non potest, vel aliquod corpus naturale est incorruptibile, vel aliqua materia potest naturaliter spoliari quacumque forma, quod repugnat, ergo &c. Hinc ést, quod sicuti Petrus, & Paulus non differunt specie, sed numero, quia habent similitudinem in essentia coniunctam cum dissimilitudine in ordine ad primo existendum in circumstantijs diuersis, iuxta nostram doctrinam de differentia specifica in Logica traditam: ita materia hominis, & materia lapidis non differunt nisi in prædicto ordine, cum in prædicatis essentialibus habeát omnimodam similitudinem

pæ-

prębentem intellectui fundamentum cognoscendi vtramque materiam sub vno formali conceptu, nimirum sub conceptu potentiæ receptiuæ. Quia vero differentia in ordine ad circumstantias diuersas est differentia materialis, vt ibidem docuimus cum S. Thoma, ideo materia hominis non est diuersa nisi materialiter á materia lapidis, & cuiuscumque compositi: inde est, quod homo differt a lapide tantum secundum formam: immo homo, & lapis sunt sub eodem genere physico, quia habent eamdem materiam, licet non sint sub eodem genere logico, vt dictum est in logica.

15 Ad primum: patet ex dictis. In forma conc: antecedens, & distinguo consequens, ergo potentia proxima est distincta á materia: concedo consequentiam: potentia remota, nego conseq.

16 Ad secundum: omitto antecedens, de cuius veritate hic non disputo, cum pertineat ad libros de anima, & nego consequentiam. Disparitas est, quia ex potentia intelligendi, & intellectione non fit vnum per se, sicuti ex potentia recipiendi formam, & forma: inde est potentiam recipiendi formam esse substantialem, adeoque indistinctam á materia, quidquid sit, an potentia intelligendi sit accidentalis, adeoque distincta ab anima. Ad probationem consequentiæ: concedo maiorem, & nego vniuersaliter minorem. Disparitas inter lapidem, quem ad centrum inclinat gráuitas distincta, & materiam, quam ad formam inclinat potentia indistincta, est euidens, quia lapis non facit vnum per se cum centro, in quo quiescit, sicuti materia cum forma.

17 Ad tertium: nego primam partem antecedentis; ad eius probationem dico has duas propositiones: Materia est in potentia ad formâ ignis, & materia est potentia formæ ignis; esse valde diuersas, prima enim significat materiam esse coniunctam cum negatione for-

mæ

mæ ignis, cuius est potentia : ideo existente forma ignis est euidenter falsa, quia repugnat, vt in eodem subiecto sit forma simul, & negatio formæ; secūda significat materiam habere non repugnantiam ad recipiendam formam ignis, quod est indubitatum etiamsi habeat formam, quia nullum certius argumentum est ad ostendendam non repugnantiam materiæ ad habendam formam ignis, quam ipsa materia habens formam ignis; sicuti nihil est, quod euidentius demonstret non repugnantiam rei ad existendum ipsa existentia rei: indè est, quod materia habens formā ignis potest recipere formam ignis, adeoque est potentia recipiendi hanc formam, licet non sit in potentia ad hanc formam. Ratio á priori est, quia potentia recipiendi formam indistincta á materia est non repugnantia, siue capacitas recipiendi formam, sed existente formá existit hæc non repugnantia, alioquin materia acquirendo formam amitteret non repugnantiam ad formam acquirendam, quod repugnat in terminis, sicuti repugnat, vt quælibet res existendo amittat non repugnantiam ad existendum.

18 Ad illud, quod instantius vrgetur. Pura potentia excluditur per actum: potentia materiæ est pura potentia, ergo excluditur per actum, adeoque per formam; dist. ma: potentia pura præcisiuè excluditur per actum nego ma: pura negatiuè conc. ma: & dist. min: potentia materiæ est potentia pura præcisiuè conc. minorem, pura negatiuè nego min: & consequentiam. Potentia materiæ est non repugnantia materiæ, sed non repugnantia materiæ præscindit á forma, & negatione formæ, quia est indifferens, vt coniungatur cum forma, vel negatione formæ, sicuti non repugnantia ad existendum est indifferens, vt coniungatur cum existentia, vel non existentia, ergo potentia materiæ indistin-

distin&a à materia, præscindit à forma, & negatione formæ, adeoque est potentia purè præcisiua.

19 Ad 4. distinguo antecedens: non potest immédiatè recipere formam auri: concedo antecedens, mediate: nego antecedens, & consequentiam. Non potest immediatè quodlibet fieri ex quolibet: quid certius? potest tamen mediaté, vt experientia constat, quia ex ligno fit ignis, ex igne cinis, ex cinere terra, ex terra debito modo disposita fit aurum: neque proindè sequitur materiam informatam forma ligni habere priuationem auri, & ratio est, quia potentia requisitá ad priuationem auri est potentia proxima indistincta ab accidentibus, quæ disponunt materiam ad formam auri, sed hanc potentiam non hábet materia dum informatur forma ligni, ergo &c.

20 Ad 5. concedo totum argumentum, & nego antecedens subsumptum. Ratio est, quia determinatur formaliter ab ipsa forma; effectiuè à causa, quæ formam producit, sicuti paries fit albus formaliter ab albedine, effectiué á dealbante.

21 Ad 6. nego ma: Ad eius probationem dico nullum esse inconueniens, si materia repugnet in eá hypothesi, in qua vna forma repugnaret. Ratio est, quiá necesse est, vt in ea hypothesi repugnet materia, in qua desinit esse possibilitas materiæ, quæ est indistincta à possibilitate formæ, nimirum ab omnipotentia Dei, ergo necesse est, vt in prędicta hypothesi materia repugnet, ergo non est inconueniens si ex repugnantia vnius formę sequitur consequentia formali repugnantia materiæ, quia fieri non potest, vt non sit conueniens omne id, quod necesse est esse. Addo iuxta nostra principia de possibilitate mundi, de quibus in Metaph: necessario sequi, vt omnia possibilia euadant impossibilia, & omnia impossibilia euadant possibilia in ea hypothesi, in qua vna tantum musca fieret impossi-

possibilis. Ratio à priori est, quia non potest fieri impossibilis vna musca nisi desinat esse eius necessaria possibilitas, adeoque omnipotentia Dei, & consequenter Deus, quo non existente necesse est existere quamcumque chimæram. Ex eo autem quod materia habet ordinem transcendentalem ad omnes formas sequitur esse in materia respectus infinitos non physicé, sed logicé distinctos, quod non repugnat, quia materia respiciendo omnes formas possibiles in quantum possibiles respicit possibilitatem omnium possibilium, quæ est vna physicé, & logicé multiplex, qui denominat possibiles infinitas formas.

22 Ad vltimum dico hoc argumentum, quod vocatur calculatorium, eo quod fundatur in proportione, nullius esse momenti, vt patet innumeris exemplis quæ euidenter demonstrant eius infirmitatem. Tantò magis crescit offensa in ratione offensæ, quanto magis crescit dignitas personæ, quę offenditur, sed dignitas personæ, quæ offenditur per peccatum lethale, est infinita simpliciter, quia est Deus, ergo peccatum lethale est offensa simpliciter infinita. Consequentia est falsa, vt docent Theologi, aliter omnia peccata essent æqualia, quod repugnat. Præterea tantò est perfectior cognitio, quanto est perfectius obiectum, quod cognoscitur, sed obiectum cognitionis cognoscentis Deum est simpliciter infinitum, ergo huiusmodi cognitio est simpliciter infinita. Consequentia est falsa, aliter cognitio, quæ cognoscit Deum, esset Deus, quod repugnat: itá in rem nostram fallus est hic modus arguendi *eo perfectior est materia, quo plures sunt formæ, ad quas ordinatur, sed formæ, ad quas ordinatur, sunt infinitæ ergo materia est infinita*; ideo concessa ma: & min: nego consequentiam. Ratio à priori est, quia términus, quem respicit relatio transcendentalis non cónstituit intrinsecè relationem, vt dicam in Meta-

phy-

physica, ideò non debet tantum perfectionis tribui relationi, & consequenter rei, quæ habet identicé relationem, quantum tribuitur termino, esto terminus perfectior arguat perfectiorem relationem, quod non facit ad rem præsentem. Inde est, quod relatio materiæ ad duas formas est quidem specie diuersa, & si vis, etiam perfectior relatione materiæ ad vnam tantum formam: an propterea tanta erit perfectio entitatiué in relatione, siue in materia, quanta est in duplici forma? Quis non videat falsitatem consequentię? ita philosophor de cognitione, quæ refertur transcendentaliter ad obiectum; de offensa respiciente extrinsecé personam offensam.

23. Ad vberiorem tamen doctrinam, & maiorem abundantiam dico in hac materia opus esse distinguere duplicem excessum, arithmeticum nimirum, & geometricum, sicuti æqualitas alia est arithmetica, alia geometrica; ità inter duas quantitates palmares datur æqualitas arithmetica, quia vna alteri superposita, neque excedit, neque exceditur; inter numerum binarium, & quaternarium datur æqualitas geometrica, quia ita se habent duo ad quatuor, sicuti quatuor ad octo: inde est primo vnam quantitatem esse arithmeticé maiorem alia, quæ crescit secundum partes æquales vni certæ, esse maiorem geometrice, quæ crescit secundum partes proportionales: secundo quantitatem e. g. palmarem non euadere arithmeticé infinitam, adeoque infinité maiorem aliá palmari per hoc præcisé, quod acquirat partes infinitas proportionales, sed per hoc, quod acquirit partes infinitas æquales vni certæ. Ratio est euidens, quia si quantitati palmari additur medietas eiusdem medietatis, & sic in infinitũ, ita vt incrementum fiat semper per partes minores, & minores, hoc est proportionales, siue geometricé æquales, huiusmodi quantitas semper euadet maior

alia quantitate, sed nunquam infinité maior, quia nunquam euadet infinita, immò nunquam euadet bipalmaris; vt ergo fiat infinita necesse est partes, quæ semper adduntur, esse æquales vni certæ, nimirum semipalmo, quia quantitas composita ex infinitis semipalmis est infinita. Ex hoc discursu, qui est euidentissimus, supposita doctrina Aristotelis de quantitate continua diuisibili in infinitum, aperté sequitur frequentem esse in his argumentis calculatorijs æquiuocationem, quæ committitur confundendo incrementum arithmeticum cum geometrico; ideò in forma dist. ma: eo maior arithmeticé est perfectio materiæ, quo plures sunt formę: nego ma: geometricé conc. ma: & min. & nego consequentiam.

QVAESTIO II.

Vtrum materia prima appetat æqualiter formas inæquales.

1 Videtur non appetere primò, quia non potest appeti bonum, quod non cognoscitur, sed materia nullam formam cognoscit, ergo nullam appetit.

2 Secundò: vel appetit formas, quas habet, vel quas non habet, neutras appetit, ergo nullas. Minor probatur, non appetit, quas habet, quia nemo quærit adeoque nemo appetit habere id, quod habet: neque quas non habet, quia materia nunquam esset contenta, nemo enim est contentus, qui nunquam habet id, quod vult habere.

3. Tertio: vel appetit omnes formas, vel nullas: non

duas formas, est procul dubio perfectior materia, quæ potest vnam tantum, sed formæ, quas potest recipere, sunt infinitæ, ergo &c.

8 Resp. ad huius quæstionis euidentiam notandum est duplicem esse potentiam in materia respectu formæ substantialis, vnam remotam, aliam proximā. Potentiam proximam, quæ præparat materiam, eamque disponit ad formam possidendam, distingui realiter à materia, eique esse accidentalem non potest esse dubium, quia huiusmodi potentia consistit in accidentibus, quibus materia disponitur ad habendam formam, eam enim legem sanciuit natura, vt accidentium, & dispositionum apparatus formæ substantialis ingressum antecedat, inde est, quod lignum incendi non potest, nisi prius opera caloris omnis humor exsudauerit. Difficultas, quæ in præsenti agitatur, est circa potentiam remotam, quam habet materia præscindendo à quacumque dispositione accidentali ad recipiēdam formā, adeoq; ad faciendum cōpositum, quod est effectus formalis, quē præstat forma cōmunicata materię. De hac potentia primum quęritur, an sit distincta, vel indistincta à materia: secundo, an sit essentia, vel proprietas materie supposita identitate: tertio, an huiusmodi potentia habeat ordinem transcendentalem ad omnes formas sublunares, quales sunt formæ, quæ possunt constituere compositum corruptibile; ex quo apertè sequitur nomine potentiæ, de qua hic sermonem habemus, intelligi capacitatem recipiendi formam, siue non repugnantiam ad faciendum compositum. Pro huius solutione difficultatis.

9 Dicendum primo: potentiam recipiendi formā esse realiter indistinctam à materia: Ita docet expresse pluribus in locis S. Thom. & præsertim in primo Physicorū, vbi ait, potentiam materiæ non esse aliquid materiæ

addi-

additum; idem in prima parte quæst.73.art.1.& in primo contra Gentes capit 45.S.Thomam sequuntur omnes fere Thomistæ cum Suario disp. 13. sect. 8. & alijs recentioribus contra Auerroem. Ratio a priori huius sententiæ est, quia forma recipitur immediaté in materia, cum qua facit vnum per se, nimirum substantiam completam, ergo materia est ipsa potentia receptiua formæ, ergo capacitas habendi formam est realiter indistincta ab entitate materiæ. Consequentia probatur, quia id, in quo recipitur immediaté forma, est potentia receptiua formæ, sed materia est id, in quo recipitur immediaté forma, quæ propterea vnitur, & communicatur immediaté materiæ, ergo &c. Addo omne compositum foré accidentale, si potentia materiæ immediaté receptiua formæ, esset accidens distinctum á materia.

10 Dicendum secundo: huiusmodi potentiam non esse proprietatem, sed essentiam materiæ: ita Suar. loc. cit. contra Arriagam disp.2.phy.

11 Probatur: Illud est essentiale rei, quo præcisé intellecto res intelligitur, quo non intellecto res non intelligitur, sed huiusmodi est potentia receptiua respectu materiæ, ergo est essentialis materiæ. Maíor patet, quia hoc est discrimen inter essentiam, & proprietatem, siue passionem metaphysicam realiter indistinctam ab essentia, nimirum inter rationalitatem, & risibilitatem, quod intellecta rationalitate, etiamsi non intelligatur risibilitas, intelligitur homo, qui per principium discurrendi primo discernítur á quolibet non homine. Minor probatur ex pluribus capitibus: primo, quia materia definitur subiectum primum, sed esse subiectum primum est formalissimé esse ens receptiuum formæ, ergo conceptus formalis materiæ est conceptus potentiæ passiuæ, hoc est potentiæ, quæ est receptiua formæ: secundó forma essentialiter est

actus, qui potest recipi, & receptus actuare, ergo materia prima est essentialiter potentia, quæ potest recipere, & recipiendo actuari; forma enim, & materia sunt essentialiter ordinatæ ad faciendum vnum per se, illa per modum actus determinantis, ista per modum potentiæ determinandæ: tertió non potest præscindi conceptus materiæ á conceptu potentialitatis, sicuti potest præscindi rationalitas á risibilitate in ordine ad effectus diuersos, nimirum ad actum ridendi, & actũ discurrendi, ergo essentia materiæ non est formaliter radix huiusmodi potentialitatis, vt falso contendit Arr. sicuti rationalitas formaliter est radix risibilitatis, sed est ipsa formalis potentialitas.

12 Dicendum tertio: huiusmodi potentiam habere ordinem transcendentalem ad omnes, & singulas formas sublunares, quæ nimirum tales sunt, vt possint naturaliter componere compositum corruptibile.

13 Probatur: materia prima quatenus potentia receptiua formæ respicit transcendentaliter omnes formas, non respicit omnes indeterminaté, ergo omnes determinate, ergo omnes, & singulas. Maior est certa etiam apud aduersarios. Minor probatur: materiam respicere formam respectu transcendentali est formalissimè materiam posse recipere formam, & cum ea facere compositum, quod est effectus formalis proueniens á forma informante materiam: hæc propositio videtur ex terminis nota, tum quia non potest aliundé argui respectus, & ordo materiæ ad formam, tum quia quælibet res creata vt ostendam in Metaphysica, habet relationem transcendentalem ad Deum, & cum eo essentialiter connectitur, non alia de causa, nisi quia potest accipere esse á Deo: præterea euidens est, quod materia prima potest recipere determinate, quamcumque formã,

tum

tum quia nulla est forma determinata (loquor in præsenti de formis sublunaribus quæ faciunt compositum corruptibile, vt præscindam á cœlestibus) cum quá non possit materia constituere corpus naturale, ex quo fit materiam esse incorruptibilem, licet compositum sit corruptile, cum possit ab vna forma ad aliam migrare; tum quia eodem modo se habet materia respectu compositi naturalis, sicuti æs, & marmor respectu artificialis, nimirum statuæ; sed æs, & marmor potest recipere determinaté omnes formas, ergo etiam materia omnes formas.

14 Hinc colliges materiam primam esse vnam, & eandem specie in omnibus compositis corruptibilibus, quæ sunt corpora naturalia subiecta perpetuæ mutationi, tam accidentali, quám substantiali. Ratio est, quia esse eiusdem speciei, & habere eandém essentiam, eandem inquam præcisiué, & formaliter, nòn positiuè & realiter est idem formalissimè, sed materia hominis, & materiá lapidis (idem dico de quacumque alia materia) habent eandem essentiam, vtraque enim est potentia receptiua cuiuscumque formæ, cum ab vna forma transire ad aliam non minus possit materia, quæ informatur ab anima rationali; quam materia, quæ informatur á forma lapidis: si enim vna potest, alia non potest, vel aliquod corpus naturale est incorruptibile, vel aliqua materia potest naturaliter spoliari quacumque forma, quod repugnat, ergo &c. Hinc ést, quod sicuti Petrus, & Paulus nón differunt specie, sed numero, quia habent similitudinem in essentia coniunctam cum dissimilitudine in ordine ad primo existendum in circumstantijs diuersis, iuxta nostram doctrinam de differentia specifica in Logica traditam: ita materia hominis, & materia lapidis non differunt nisi in prædicto ordine, cum in prædicatis essentialibus habeát omnimodam similitudinem

præ-

prębentem intellectui fundamentum cognoſcendi vtramque materiam ſub vno formali conceptu, nimirum ſub conceptu potentiæ receptiuæ. Quia vero differentia in ordine ad circumſtantias diuerſas eſt differentia materialis, vt ibidem docuimus cum S. Thoma, ideo materia hominis non eſt diuerſa niſi materialiter á materia lapidis, & cuiuſcumque compoſiti: inde eſt, quod homo differt a lapide tantum ſecundum formam: immo homo, & lapis ſunt ſub eodem genere phyſico, quia habent eamdem materiam, licet non ſint ſub eodem genere logico, vt dictum eſt in logica.

15 Ad primum: patet ex dictis. In forma conc: antecedens, & diſtinguo conſequens, ergo potentia proxima eſt diſtincta à materia: concedo conſequentiam: potentia remota, nego conſeq.

16 Ad ſecundum: omitto antecedens, de cuius veritate hic non diſputo, cum pertineat ad libros de anima, & nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia ex potentia intelligendi, & intellectione non fit vnum per ſe, ſicuti ex potentia recipiendi formam, & forma: inde eſt potentiam recipiendi formam eſſe ſubſtantialem, adeoque indiſtinctam à materia, quidquid ſit, an potentia intelligendi ſit accidentalis, adeoque diſtincta ab anima. Ad probationem conſequentiæ: concedo maiorem, & nego vniuerſaliter minorem. Diſparitas inter lapidem, quem ad centrum inclinat gráuitas diſtincta, & materiam, quam ad formam inclinat potentia indiſtincta, eſt euidens, quia lapis non facit vnum per ſe cum centro, in quo quieſcit, ſicuti materia cum forma.

17 Ad tertium: nego primam partem antecedentis; ad eius probationem dico has duas propoſitiones: Materia eſt in potentia ad formã ignis, & materia eſt potentia formæ ignis; eſſe valde diuerſas, prima enim ſignificat materiam eſſe coniunctam cum negatione for-

mæ

mæ ignis, cuius est potentia: ideo existente forma ignis est euidenter falsa, quia repugnat, vt in eodem subiecto sit forma simul, & negatio formæ; secũda significat materiam habere non repugnantiam ad recipiendam formam ignis, quod est indubitatum etiamsi habeat formam, quia nullum certius argumentum est ad ostendendam non repugnantiam materiæ ad habendam formam ignis, quam ipsa materia habens formam ignis; sicuti nihil est, quod euidentius demonstret non repugnantiam rei ad existendum ipsa existentia rei: indè est, quod materia habens formã ignis potest recipere formam ignis, adeoque est potentia recipiendi hanc formam, licet non sit in potentia ad hanc formam. Ratio á priori est, quia potentia recipiendi formam indistincta á materia est non repugnantia, siue capacitas recipiendi formam, sed existente formá existit hæc non repugnantia, alioquin materia acquirendo formam amitteret non repugnantiam ad formam acquirendam, quod repugnat in terminis, sicuti repugnat, vt quælibet res existendo amittat non repugnantiam ad existendum.

18 Ad illud, quod instantius vrgetur. Pura potentia excluditur per actum: potentia materiæ est pura potentia, ergo excluditur per actum, adeoque per formam; dist. ma: potentia pura præcisiuè excluditur per actum nego ma: pura negatiuè conc. ma: & dist. min: potentia materiæ est potentia pura præcisiuè conc. minorem, pura negatiuè nego min: & consequentiam. Potentia materiæ est non repugnantia materiæ, sed non repugnantia materiæ præscindit á forma, & negatione formæ, quia est indifferens, vt coniungatur cum forma, vel negatione formæ, sicuti non repugnantia ad existendum est indifferens, vt coniungatur cum existentia, vel non existentia, ergo potentia materiæ indistin-

distincta à materia, præscindit à forma, & negatione formæ, adeoque est potentia purè præcisiua.

19 Ad 4. distinguo antecedens: non potest immédiatè recipere formam auri: concedo antecedens, mediate: nego antecedens, & consequentiam. Non potest immediatè quodlibet fieri ex quolibet: quid certius? potest tamen mediaté, vt experientia constat, quia ex ligno fit ignis, ex igne cinis, ex cinere terra, ex terra debito modo disposita fit aurum: neque proindè sequitur materiam informatam forma ligni habere priuationem auri, & ratio est, quia potentia requisitá ad priuationem auri est potentia proxima indistincta ab accidentibus, quæ disponunt materiam ad formam auri, sed hanc potentiam non hábet materia dum informatur forma ligni, ergo &c.

20 Ad 5. concedo totum argumentum, & nego antecedens subsumptum. Ratio est, quia determinatur formaliter ab ipsa forma; effectiuè à causa, quæ formam producit, sicuti paries fit albus formaliter ab albedine, effectiué á dealbante.

21 Ad 6. nego ma: Ad eius probationem dico nullum esse inconueniens, si materia repugnet in eá hypothesi, in qua vna forma repugnaret. Ratio est, quiá necesse est, vt in ea hypothesi repugnet materia, in qua desinit esse possibilitas materiæ, quæ est indistincta à possibilitate formæ, nimirum ab omnipotentia Dei, ergo necesse est, vt in prędicta hypothesi materia repugnet, ergo non est inconueniens si ex repugnantia vnius formę sequitur consequentia formali repugnantia materiæ, quia fieri non potest, vt non sit conueniens omne id, quod necesse est esse. Addo iuxta nostra principia de possibilitate mundi, de quibus in Metaph: necessario sequi, vt omnia possibilia euadant impossibilia, & omnia impossibilia euadant possibilia in ea hypothesi, in qua vna tantum musca fieret impossi-

poſſibilis. Ratio á priori eſt, quia non poteſt fieri impoſſibilis vna muſca niſi deſinat eſſe eius neceſſaria poſſibilitas, adeoque omnipotentia Dei, & conſequenter Deus, quo non exiſtente necesſe est exiſtere quamcumque chimæram. Ex eo autem quod materia habet ordinem tranſcendentalem ad omnes formas ſequitur eſſe in materia reſpectus infinitos non phyſicé, ſed logicé diſtinctos, quod non repugnat, quia materia reſpiciendo omnes formas poſſibiles in quantum poſſibiles reſpicit poſſibilitatem omnium poſſibilium, quæ eſt vna phyſicé, & logicé multiplex, qui denominat poſſibiles infinitas formas.

22 Ad vltimum dico hoc argumentum, quod vocatur calculatorium, eo quod fundatur in proportione, nullius eſſe momenti, vt patet innumeris exemplis quæ euidenter demonſtrant eius infirmitatem. Tantò magis creſcit offenſa in ratione offenſæ, quanto magis creſcit dignitas perſonæ, quę offenditur, ſed dignitas perſonæ, quæ offenditur per peccatum lethale, eſt infinita ſimpliciter, quia eſt Deus, ergo peccatum lethale eſt offenſa ſimpliciter infinita. Conſequentia eſt falſa, vt docent Theologi, aliter omnia peccata eſſent æqualia, quod repugnat. Præterea tantò eſt perfectior cognitio, quanto eſt perfectius obiectum, quod cognoſcitur, ſed obiectum cognitionis cognoſcentis Deum eſt ſimpliciter infinitum, ergo huiuſmodi cognitio eſt ſimpliciter infinita. Conſequentia eſt falſa, aliter cognitio, quæ cognoſcit Deum, eſſet Deus, quod repugnat: itá in rem noſtram falſus eſt hic modus arguendi *eo perfectior eſt materia, quo plures ſunt formæ, ad quas ordinatur, ſed formæ, ad quas ordinatur, ſunt infinitæ ergo materia eſt infinita*; ideo conceſſa ma: & min: nego conſequentiam. Ratio á priori eſt, quia terminus, quem reſpicit relatio tranſcendentalis non conſtituit intrinſecè relationem, vt dicam in Meta-

phy-

physica, ideò non debet tantum perfectionis tribui relationi, & consequenter rei, quæ habet identicé relationem, quantum tribuitur termino, esto terminus perfectior arguat perfectiorem relationem, quod non facit ad rem præsentem. Inde est, quod relatio materiæ ad duas formas est quidem specie diuersa, & si vis, etiam perfectior relatione materiæ ad vnam tantum formam: an propterea tanta erit perfectio entitatiué in relatione, siue in materia, quanta est in duplici forma? Quis non videat falsitatem consequentię? ita philosophor de cognitione, quæ refertur transcendentaliter ad obiectum; de offensa respiciente extrinsecé personam offensam.

23. Ad vberiorem tamen doctrinam, & maiorem abundantiam dico in hac materia opus esse distinguere duplicem excessum, arithmeticum nimirum, & geometricum, sicuti æqualitas alia est arithmetica, alia geometrica; ità inter duas quantitates palmares datur æqualitas arithmetica, quia vna alteri superposita, neque excedit, neque exceditur; inter numerum binarium, & quaternarium datur æqualitas geometrica, quia ita se habent duo ad quatuor, sicuti quatuor ad octo: inde est primo vnam quantitatem esse arithmeticé maiorem alia, quæ crescit secundum partes æquales vni certæ, esse maiorem geometrice, quæ crescit secundum partes proportionales: secundo quantitatem e. g. palmarem non euadere arithmeticé infinitam, adeoque infinité maiorem aliá palmari per hoc præcisé, quod acquirat partes infinitas proportionales, sed per hoc, quod acquirit partes infinitas æquales vni certæ. Ratio est euidens, quia si quantitati palmari additur medietas eiusdem medietatis, & sic in infinitũ, ita vt incrementum fiat semper per partes minores, & minores, hoc est proportionales, siue geometricé æquales, huiusmodi quantitas semper euadet maior

alia

alia quantitate, sed nunquam infinité maior, quia nunquam euadet infinita, immò nunquam euadet bipalmaris; vt ergo fiat infinita necesse est partes, quæ semper adduntur, esse æquales vni certæ, nimirum semipalmo, quia quantitas composita ex infinitis semipalmis est infinita. Ex hoc discursu, qui est euidentissimus, supposita doctrina Aristotelis de quantitate continua diuisibili in infinitum, aperté sequitur frequentem esse in his argumentis calculatorijs æquiuocationem, quæ committitur confundendo incrementum arithmeticum cum geometrico; ideò in forma dist. ma: eo maior arithmeticé est perfectio materiæ, quo plures sunt formę: nego ma: geometricé conc. ma: & min. & nego consequentiam.

QVAESTIO II.

Vtrum materia prima appetat æqualiter formas inæquales.

1 Videtur non appetere primò, quia non potest appeti bonum, quod non cognoscitur, sed materia nullam formam cognoscit, ergo nullam appetit.

2 Secundò: vel appetit formas, quas habet, vel quas non habet, neutras appetit, ergo nullas. Minor probatur, non appetit, quas habet, quia nemo quærit adeoque nemo appetit habere id, quod habet: neque quas non habet, quia materia nunquam esset contenta, nemo enim est contentus, qui nunquam habet id, quod vult habere.

3. Tertio: vel appetit omnes formas, vel nullas: non om-

omnes, ergo nullas. Min. probatur primo, quia nemo prudenter appetit id quod habere non potest, sed omnes formas non potest habere, ergo non omnes appetit. Secundo, quia si materia habens vnam formam appetit aliam, nouercam agit, non matrem, respectu sui partus, nimirum formæ, quia eius interitum machinatur, quod non spectat ad matrem, sed ad nouercam.

4 Quarto. Forma nõ est materiæ proportionata, ergo non est bonũ á materia concupitum. Antecedens probat. Inter ea, quæ summè distant non datur proportio; materia, & forma summè distant, illa enim est in genere potentiæ, ista in genere actus, ergo &c.

5 Quinto. Si appetit, inæqualiter appetit formas inæquales, cõsequens est falsũ, ergo & antecedens. Sequela probatur. Si appetit; in quantum perficitur appetit, sed inæqualiter perficitur, quia magis perficitur á forma nobiliori, ergo inæqualiter appetit.

6. Vltimo: forma perfectior est maius bonum materiæ, quam imperfectior, ergo illa est magis appetenda, quam ista, ergo &c. Consequentia probatur, tùm quia sicuti bonum est appetendum, ita maius bonum est magis appetendum, tùm quia qui appetit rem non appetendam, malè appetit, ergo qui non magis appetit rem magis appetendam malè appetit, ergo materia si appetit æqualiter formas inæquales, malè appetit, adeoque non appetit.

7 Resp. pro huius quæstionis, & difficultatis propositæ solutione, sciendum primo, bonum describi potiùs, quã definiri à Philosopho in primo Rhet. c. 6. *esse id, quod omnia appetunt, vel appeterent si haberent intellectum*, ideò bonum, & amabile reciprocantur, quia omne id, quod est bonum est amabile, & quidquid est amabile, est bonum. Ratio à priori est, quia repugnat appetitus, qui non appetit sub ratione boni id, quod

appe-

appetit, cum enim omnis appetitus sit quædam inclinatio in rem concupitam, & omnis inclinatio sit quædam propensio in bonum, consequens est, vt omnis appetitus feratur in bonum adeoque idem sit bonum, & amabile, iuxta illud Aristotelis *amabile bonum, vnicuique autem proprium*. Hinc est, quod Deus, qui totum hunc mundum sapientissimè moderatur, rebus omnibus inseruit appetentiam boni sibi debiti, omnia per vias mirabiles ad finem suum conducens, lapidi enim dedit grauitatem, igni leuitatem, vt ille centrum, iste circumferentiam petendo in locis sibi debitis tandem conquiescant.

8. Sciendum secundo hunc appetitum quo vnaquæque res in bonum rapitur alium esse innatum, aliũ elicitum; appetitus elicitus, qui propriè, & citra metaphoram vocatur appetitus, in solis rebus vitam agentibus inuenitur, quia huiusmodi est appetitus boni cogniti ab appetente, repugnat autem esse cognitionem boni, vbi non est vita, cum cognitio sit formalissimé vita; quia verò vita alia est sentiens, alia intelligens (omitto vegetantem, quæ est imperfectissima vita, adeoque incapax huiusmodi appetitus) ideò bonum in quod fertur appetitus elicitus, potest esse bonum cognitum sensu, vel intellectu; si sensu; est terminus appetitus sentientis, qui est appetitus boni cadentis sub sensum, & reperitur in omnibus Brutis, & etiam in hominibus secundum partẽ, quam vocant inferiorem, siue animalẽ. Quod si est cognitum intellectu mouet appetitum intelligentem, qui est voluntas appetens bonum vniuersale, siue bonum intelligibile, & inuenitur in Deo, Angelis, & hominibus secundum partem nobiliorem, nimirum spiritalem. Huiusmodi appetitus tam sentiens, quam intelligens quatenus appetit bonum in genere, vocatur amor, quatenus appetit bonum absens, dicitur desiderium, quatenus appetit bo-

num possibile, sed arduum, adeoque consequendum cum aliqua victoria difficultatis vocatur spes, quatenus appetit bonum præsens dicitur gaudium, siue quies in bono possesso. Per quandam analogiam ad appetitum elicitum vocatur appetitus illa inclinatio, quam res vita carentes habent ad bonum sibi debitum. Inde est, quod inclinatio lapidis in centrum quæ est vera, & naturalis inclinatio, vocatur metaphoricè appetitus, non elicitus, sed innatus.

9 Sciendum tertio non esse hic quæstionem de appetitu elicito, quis enim non videat materiam carentem cognitione non esse capacem huius appetitus? Controuersia est de innato, hic quæritur an sit in materia respectu formæ, an á materia indistinctus, an æqualis respectu formarum inæqualium. Vbi suppono tamquam certum, inter formas substantiales, de quibus tantum sermo occurrit, alias esse magis, alias esse minus perfectas, quis enim dubitet, an formæ viuentes sint perfectiores non viuentibus, an inter viuentes anima leonis sit perfectior, quàm anima formicæ, & anima hominis, quam cæteræ animæ? adeoque quæritur an materia magis appetat formas perfectiores. Huic quæstioni locum fecit Philosophus, qui ex doctrina Platonis ait á materia appeti formam, sicuti turpe appetit pulchrum, eo quod materiam suapte natura deformem forma facit esse formosam.

10. Dico. Materia prima appetit omnes formas appetitu innato.

11. Probatur primo. Appetere appetitu innato est habere naturalē inclinationem ad omnem formam tamquam bonum suum, quia bonum materiæ est compositum, quod fit á quacumque forma inhærente materiæ, ergo appetit omnem formam. Præterea si aliquam formam non appetit, datur forma, quæ non perficit materiam, adeoque non potest recipi in materia

teria, sed materia potest recipere omnes formas, vt demonstratum est qu. 1. num. 12. ergo nulla est forma, quam materia non appetat.

12. Dico secundo. Appetitus materiæ est indistinctus á materia.

13. Probatur. Appetitus materiæ est potentia materiæ, sed potentia materiæ est indistincta a materia vt ostensum est ibidem num. 9. ergo appetitus materiæ est indistinctus á materia.

14. Dico tertió. Materia appetit æqualiter formas inæquales.

15. Probatur. Ratio formalis, sub qua materia appetit formam consistit in indiuisibili, & est omnino eadem respectu omnis formæ, ergo materia appetit æqualiter omnes formas, ergo æqualiter inæquales. Conseq; probat. quia quoties ratio formalis appetendi, quæ vocatur ratio formalis *sub qua*, est æqualis, toties appetitus est æqualis, vnum enim ex alio sequitur. Antecedens probatur. Ratio formalis, sub qua materia appetit formam est substantia completa, siue vnum per se, quod materia intendit facere, sed hæc ratio est omnino eadem, & consistit in indiuisibili, tum quia æque est substantia completa lignum, ac homo; tum quia materia æquè facit vnum per se cum forma ligni, ac cum forma hominis, vt est manifestum, ergo &c.

16. Ratio vlterior, & à priori accuratè notanda in præsenti est, quia appetitus innatus materiæ, qui est appetitus metaphoricus, est formalissimé potentia materiæ receptiua formæ; huiusmodi potentia est formalissimè potentia faciendi vnum per se, siuè substantiam completam. Hæc potentia est omnino æqualis, immò eadem respectu omnium formarum, quia non communicatur magis materiæ forma perfectior, Hinc vna substantia non est magis substantia, quam

alia, esto vna sit perfectior alia, ergo de primo ad vltimum appetitus materiæ est æqualis, siuè idem respectu omnium formarum, indè est quod illa perfectio, qua vna forma excedit aliam, materialiter se habet in ordine ad appetitum materiæ, adeoque non potest refundere in materiam inæqualem vim appetendi, quia certissimum argumentum ad definiendum, an excessus perfectionis in re concupita sit materialis, vel formalis respectu appetitus, est ratio formalis *sub qua* appetendi, si enim hæc consistit in indiuisibili, semper est materialis, si non consistit in indiuisibili potest esse formalis; cur enim potentia visiua appetit inæqualiter colores inæquales? Cur potentia gustandi appetit inæqualiter sapores inæquales? Cur idem militat in voluntate, quæ inæqualiter appetit bonum inæquale, quia nimirum ratio visibilis, ratio sapidi, & ratio boni, quæ sunt rationes formales ab ipsis potentijs áttactæ, suscipiunt magis, & minus.

17. Ad primum dist. ma: non potest appetitu elicito bonum, quod non cognoscitur, concedo maior, appetitu innato, négo maiorem, & concessa mi: nego consequentiam, vel vt melius dicam distinguo consequens, ergo non áppetit appetitu elicito, concedo consequentiam, appetitu innato, nego consequentiam.

18. Ad secundum: concedo ma: & nego minorem. Materia appetit formas, quas habet non appetitu desiderij tendentis in bonum absens, sed gaudij quiescentis in bono præsenti præterea appetit appetitu desiderij formas, quas non habet, neque proindé est inquieta, eas enim habere vult, in ea tamén hypothesi, in qua amittat formam, quam habet.

19. Ad tertium: concedo ma: & nego minoem. Ad primam eius probationem, concedo ma: & dist. mi:

mi: non poteſt habere omnes in ſenſu compoſito,concedo mi. in ſenſu diuiſo, nego minorem, & diſtinguo conſequens, ergo non appetit ſimul omnes ſimultate appetitus, nego conſequentiam, appetitu ſimultatis, concedo conſequentiam. Appetitus materiæ eſt potentia materiæ, vt dictum eſt num. 16. ſed huiuſmodi potentia eſt receptiua omnium formarum ſimultate potentiæ, non potentia ſimultatis, ergo etiam appetitus. Ad ſecundam probationem opus eſt diſtinguere duplicem appetitum in materia, vt dictum eſt de ipſa potentia, qu. 1. num. 8. vnum accidentalem, alium eſſentialem; materia appetitu eſſentiali non appetit interitum formæ præſentis, quia hoc appetitu non appetit formam abſentem, niſi conditionaté, vt explicatum eſt: appetitu accidentali appetit, ſed hiç appetitus eſt diſtinctus à materia vt poté indiſtinctus ab accidentibus, quæ diſponunt ad formam contrariam.

20. Ad quartum:nego antecedens: Ad eius probationem, diſt. ma: non datur proportio inter ea, quæ ſummè diſtant diſtantia entitatis, ſiuè perfectionis: nego mi: diſtantia proportionis, concedo ma: & diſtincta mi: nego conſequentiam. Diſtantia perfectionis, ſiuè entitatis non arguit improportionem; ſed potius proportionem fundatam in eo, quod ſe mutuo perficiant, vel vnum perficiat, aliud perficiatur: ita forma minus diſtat entitatiué á forma, quam a materia, & tamen non poteſt facere vnum per ſe cum forma, poteſt cum materia. Præterea, quę maior diſtantia, quam inter Deum, & Creaturam? & tamen non habent diſtantiam proportionis, quia Deus poteſt hypoſtaticè vniri Creaturæ tamquam perfectiuum perfectibili, vt contingit in natura humana, quam Verbum Diuinum aſſumpſit.

21. Ad quintum nego ma: ad eius probationem:

concedo maiorem, & distinguo minorem, inæqualiter perficitur inæqualitate rationis formalis, sub qua appetit, nego mi: sub qua non appetit transeat mi: & nego consequentiam. Ratio formalis, sub qua materia appetit formam, non suscipit magis, & minus, adeoque est incapax inæqualitatis, vt dictum est num. 16. ideò æqualiter appetit, licet inæqualiter perficiatur, quia huiusmodi inæqualitas non attenditur, cum non sit ratio formalis, neque includatur in ratione formali, sub qua materia appetit.

22. Ad vltimum: dist. antec: forma perfectior est maius bonum materiæ in ratione formali, sub qua materia appetit formam: nego antecedens: in alia ratione formali: omitto antecedens, & nego consequentiam. Ad eius probationem dico huiusmodi rationem militare pro appetitu appetente bonum sub ratione formali, quæ non consistit in indiuisibili, quod non contingit in re nostra, materia enim appetit formam præcisè, vt faciat vnum per se, quæ ratio, vt patet, est eadem in omni forma.

QVAESTIO III.

Vtrum materia appetat formas destructas.

1. Videtur non appetere primo; quia non potest recipere formas destructas, id enim, quod fuit semel productum non potest reproduci, ergo non appetit.

2. Secundo. Materia neque appetit, neque potest recipere formam impossibilem, ergo nec formam destructam. Consequentia probatur, quia forma destructa saltem naturaliter est impossibilis, id autem, quod est naturaliter impossibile, licet sit possibile super-

pernaturaliter, non potest à materia appeti, alioquin deberet aqpeti simultas plurium formarum supernaturaliter possibilis, ergo &c

3. Tertiò. Ista potentia, quà materia appetit formam destructam, vel est naturalis, vel obedientialis, non naturalis, aliter reproductio formæ semel productæ esset naturalis, non obedientalis, quia huiusmodi potentia est entitas materiæ, sed entitas materiæ est naturalis materiæ, ergo potentia est naturalis, non obedientalis.

4. Respondetur. Certum est formas semel productas non posse naturę viribus iterum produci, cuius rationem trademus cum Philosopho in libris de Ortu & interitu: indè est dum lignum inceditur non reproduci ignem semel extinctum, sed nouum ignem produci, poma, quæ hoc anno pendent ab arbore non esse eadem, sed diuersa, ab illis quæ anno præterito pendebant, neque easdem in campis segetes luxuriare, id enim conducit ad pulchritudinem, varietatem, & elegantiam naturæ. Prę:erea certum est posse diuinitus reproduci corpus naturale destructum, neque enim plus virium requiritur, vt egregiè discurrit Augustinus, ad faciendum, vt iterum sit quod aliquando fuit, quam vt incipiat esse, quod nunquam fuit; quod si potest hoc Deus omnipotens, illud etiam poterit. Præter quamquod id apud omnes Catholicos est indubitatum, qui indubitanter credunt homines semel extinctos ad vitam aliquando redituros, indè est, quod resurrectio iuxta phrasim Sacræ Scripturę nostre regenerationis appellatur: dubium, quod nascitur, est an materia appetat formas destructas.

5. Dico appetere. Hanc sententiam, quam docent omnes ferè recentiores, reputat falsam Arriaga disp 2. sect. 4. sed immeritò, vt mox ostendam, nisi fortè se-

limus quæstionem de nomine prorsus inutilem intueri.

6 Ratio est, quia appetitus materiæ est formalissimè potentia materię receptiua formæ, sed huiusmodi potentia est in materia respectu formæ destructæ, ergo & appetitus, ergo materia appetit formas destructas. Ma: patet ex dictis, quia appetitus materię est innatus, adeoque indistinctus ab eius potentia. Minor probatur primo, quia eadem potentia est in materia respectu formæ ignis, siué hæc sit semel producta, siué nunquam producta, cum sit realiter indistincta á materia, quę semper est eadem, quia si Deus reproduceret formam ignis semel productam, eamque materiæ communicaret, vtiq; ex ista forma communicata materiæ fieret vnum per se non minus, quã ex alia forma non reproducta: quis enim non videat eundem effectum formalem ab vtraque forma pręstandum? ergo in materia est capacitas recipiendi formam destructam, neque enim aliunde nobis innotescit capacitas subiecti respectu formæ, quam ex effectu formali.

7. Hæc videntur certa: dubium leuis momenti potest esse, an huiusmodi potentia, siué appetitus vocandus sit naturalis, vel obedientialis; pro quo suppono potentiam receptiuam, aliam esse naturalem, quæ est capacitas recipiendi bonum naturaliter debitum, aliam obedientialem, quæ est capacitas recipiendi bonum naturaliter indebitum: hanc existere est indubitatum ex principijs fidei, eamque recognoscunt Theologi in quacumq; substantia rationali, quæ potest eleuari ad videndam Deum, fruendum eoq; in patria, & in vita credendum, sperandum, diligendumque fide, spe, & charitate supernaturali. Indé est vocandam potiús obedientialem potentiam materiæ, quàm naturalem respectu formæ destructæ, quia

est

est bonum naturaliter indebitum materiæ, cæterúm hæc potentia est indistincta à materia, immó est ipsa entitas materię, licet enim habere formã destructam sit supernaturale, posse tamen habere est ipsa natura materiæ: ità egregié ait Augustinus *posse habere fidem natura est bonum, habere autem gratia, est fidelium*. Hinc patet ad rationem dubitandi.

8. Ad primam. Dist. antec. non potest reproduci naturaliter, conc. antec. supernaturaliter, nego antecedens, & consequentiam.

9. Ad secundam. Concedo antecedens & nego consequentiam Disparitas inter formam impossibilem, & formam destructam est euidens, quia illa repugnat, ista non repugnat, adeóque illa si foret in materia faceret simul, & non faceret effectum formalem, vt sæpius dictum est de ente chimærico: secus ista, ex eo autem, quod reproducatur forma semel producta, supernaturaliter non naturaliter, sequitur materiam appetere huiusmodi formam appetitu obedientiali, non naturali.

10. Ad tertiam. Pateat ex dictis. Ad vltimum syllogismum in forma dist. mai. huiusmodi potentia entitatiué est entitas materiæ conc. mai. terminatiué nego mai. & concessa min. dist. conseq. ergo huiusmodi potentia est naturalis entitatiué conc. conseq. terminatiué nego consequentiam. Ratio est, quia habet pro termino formam possibilem tantúm supernaturaliter.

QVAE-

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrùm materia dependeat essentialiter à forma substantiali.

1. VIdetur dependere primo, quia vel non dependet naturaliter, vel dependet essentialiter, sed naturaliter dependet, ergo essentialiter dependet. Maior probatur, quia vel non potest supernaturaliter esse sine omni forma substantiali, vel potest naturaliter, est enim vtrobique eadem ratio, ergo, &c.

2. Secundò. Materia magis dependet à forma substantiali, quàm ab accidentali, sed dependet essentialiter à forma accidentali, ergo etiam à substantiali. Min.prob. quia neque supernaturaliter potest esse sine vbicatione, & duratione, quæ sunt formæ accidentales. Maior probatur, quia magis perficitur à forma substantiali, cum qua facit vnum per se, quàm ab accidentali, cum qua facit vnum per acccidens, ergo magis dependet.

3. Tertiò. Si materia posset esse supernaturaliter sine omni forma substantiali, sequeretur, quod esset magis necessaria materiæ forma accidentalis, quàm substantialis, cõsequens est falsum, ergo & antecedens minor probatur; alioquin esset maius bonum materię habere formam accidentalem, quàm substantialem.

4 Quartò. Bonum magis necessarium materiæ est maius bonum materiæ, sed forma accidentalis stante hac hypothesi est bonum magis necessarium, ergo est maius bonum materiæ, ergo materia vel dependet essentialiter à forma substantiali, vel magis perficitur ab accidentali, quám á substantiali:

Maior

Maior probatur. Illud est maius bonum, cuius negatio est deterior, sed negatio formæ substantialis est deterior quàm negatio formæ accidentalis, quia materia sine omni forma substantiali potest existere; non potest sine accidentali, ergo, &c.

5. Quintò. Repugnat genus; quod sub aliqua specie non contineatur, adeòque non contrahatur per aliquam differentiam, ergo repugnat materia separata ab omni forma substantiali: Antecedens probatur, quia repugnat animal, quod neque sit rationale, neque irrationale. Consequentia probatur; tùm quia materia est genus respectu corporis naturalis, vt dictum est; tùm quia materia constituitur in aliqua specie entis per formam substantialem, ergo materia sine forma substantiali est genus sine specie, quod repugnat,

6. Sextò. Repugnat ens non existens in aliqua specie entis, sed materia separata ab omni forma in nulla specie entis existit, ergo repugnat. Minor probatur, quia non potest esse in aliaqua specie entis, quando non est cum forma, à qua ponitur in aliqua specie entis.

7. Vltimò. Materia potest supernaturaliter esse sine omni forma substantiali, ergo potest esse naturaliter. Consequentia probatur, tùm á priori, tùm quia materia fuit aliquando sine omni forma substantiali, ergo potest esse naturaliter. Vltimum antecedens probatur primo; in Mundi exordio terra erat inanis, & vacua, vt Sacræ testantur paginæ; nomine autem terræ intelligitur materia, nomine vacuitatis carentia formæ substantialis, vt videtur innuere Aug. in lib. Gen. ad litteram Chrisost. Hom. 2. in Gen. Ambrosius, & alij P.P. Secundo materia fuit á Deo creata, & forma non fuit creata, sed educta ex materia, ergo materia fuit in priori ad formam, quatenus causa formæ.

mæ: ſed in illo priori nullam habuit formam, quia ante primam formam nulla erat forma, ergo, &c.

8. Reſp. Ex iis, quæ hactenus diximus circa eſſentiam, exiſtentiam, & potentiam paſſiuam materiæ, ſatis aperté conſtát materiam, & formam præſertim ſubſtantialem, de qua tantum ſermo eſt non eſſe res inconnexas, quomodo enim poſſunt conſtituere vnum per ſe? Quomodo vna poteſt aliam determinare? Si nullum habent inter ſe ordinem, & nullam connexionem. Omnis autem connexio (omitto in præſenti connexionem, quam vocant conſequentiæ, ea enim eſt connexio Logica, qua connectitur conſequens cum antecedenti) vel eſt connexio, qua connectitur cauſa cum ſuo effectu, vel eſt connexio effectus cum cauſa; itá ignis connectitur cum calore, qui eſt proprietas Phyſica ignis connexione cauſæ cum effectu; calor veró connectitur, cum igne connectione effectus cum cauſa; quia veró omnis connexio eſt aliqua indigentia, & omnis indigentia eſt aliqua dependentia, conceptus veró indigentiæ, & conceptus dependentiæ ſunt conuertibiles, vt patet, quia ens nullam habens indigentiam nullam habere poteſt dependentiam; ideó dependentia alia eſt á priori, alia á poſteriori: dependentia á priori dependet calor ab igne, nimirùm effectus, qui non ſolùm non poteſt eſse ſine cauſa, ſed etiam habet eſse productum á cauſa: dependentia á poſteriori dependet ignis á calore, & cauſa ab effectu, quo non exiſtente non poteſt exiſtere, itá Sol pendet á luce, quia Sol non poteſt eſse ſine luce, licet non habeat eſse productum á luce.

9. Materiam non dependere á priori á forma, adeòque non connecti cum formá connexione effectus cum cauſa eſt indubitatum iuxta noſtra principia de exiſtentia materiæ, quia materia non accipit á for-

ma

ma existentiam sui, quæ est existentia intransitiua; ideò non est effectus formæ, sed potiùs forma est effectus materiæ, quia materia sustentat formam (loquor de materiali, non de immateriali, qualis est Anima hominis) adeòque causat materialiter formam, de quo genere causandi nihil in præsenti, id enim reijcimus in tractatum de causis, vbi ex professo causæ materialis virtutem explicabimus.

10. Dubium est de dependentia á posteriori, an nimirúm materia ità connectatur cum forma substantiali, vt non possit existere separata ab omni forma: quæ controuersia potest agitari, túm in ordine naturæ, in quo Deus agit tanquam Author naturæ, & exercet potentiam, quam ordinariam appellant, eo quòd certis quibusdam limitibus est circumscripta: non absolutam, quæ extenditur ad omne id, quod nullam inuoluit repugnantiam terminorum; túm etiam in ordine supernaturali, in quo consueto naturæ cursu prætermisso miraculosé operatur: indé est quòd materia eo modo dependet á forma, quo non potest esse á quacumque forma separata; si enim potest diuinitus, & non potest naturaliter, dicitur habere dependentiam naturalem; quòd si nullatenus potest, dependet essentialiter eo pacto, quo qualibet res dependet essentialiter ab vbicatione, per quam est in loco, á duratione, per quam est in tempore, quia nulla res neque diuinitus potest existere, quæ nunquàm sit, & nusquam sit.

11. Materiam posse naturaliter esse sine qualibet forma substantiali, immó aliquando fuisse, nimirúm in prima Mundi formatione spoliatam quacumque forma nonnulli Philosophi asserere non dubitarunt, ad quos accessere ex Theologis Marsilius in 3. quæst. 13. arti 1. & Gabriel in 3. dist. 21. quæst. vnic. art 1. qui in ea fuere sententia, quod in morte Christi Domini

loco

loco animæ rationalis non succederit alia forma substantialis ad informandum Diuinum eius corpus, sicuti contingit in morte cuiuscumque hominis, vbi forma cadaueris succedit animæ. Iuxta hanc opinionem, quæ apud scholasticos non est vsitata, materia nullam habet dependentiam á forma substantiali.

12. Oppositum sentiunt feré omnes Thomistæ, qui negantes materiam primam existere per existentiam propriam docent eam dependere essentialiter à forma, sine qua neque diuinitus pòtest existere; quòd tamen non sequitur necessitate consequentiæ ex materia existente per existentiam formæ, vt patet ex duobus Thomistis Soto in primò physicorum, & Bannes in prima parte qu. 67. art, 1., qui docent materiam existentem per formam posse supernaturaliter existere sine forma.

13. Medium tenet locum Ricard. in 2. dist. 13. quæst. 4. Scotus qu. 2. cum omnibus suis Sectatoribus, Gregorius Ariminensis cum omnibus recentioribus, qui opinantes materiam primam dependere à forma substantiali naturaliter, nòn essentialiter, consequenter dòcent posse materiam supernaturaliter, non posse naturaliter esse separatam ab omni forma substantiali. Cum istis Philosophis.

14. Dico primo; Materia prima non potest naturalitet esse sine omni forma substantiali. Ratio est, quia materia prima magis appetit formam substantialem, quam ignis appetat calorem, sed ignis non potest naturaliter esse sine calore, ergo &c. Maior probatur, tùm quia materia prima perficitur substantialiter à forma, cum qua facit vnum per se, ignis verò perficitur accidentaliter à calore, cum quo facit vnum per accidens, tum quia materia prima est essentialiter ens incompletum ordinatum a natura essentialiter ad faciendum compositum.

15. Ne-

15. Neque huic rationi repugnat anima rationalis, quæ perficitur substantialiter, & tamen potest naturaliter esse à corpore separata, quia est maxima disparitas inter materiam, & animam rationalem: primo anima rationalis est forma subsistens, sicuti est forma subsistens substantia Angelica, adeoque licet possit facere vnum per se cum corpore, eo quod est substantia incompleta, quod non potest Angelus, qui est forma subsistens completa, non habet tamen indigentiam corporis ad existendum: materia prima non est ens subsistens, licet sit ens substantiale, adeoque non solum potest, sed etiam debet facere vnum per se cum alio ente, cuius indiget ad existéndum sicuti omnis forma materialis, quæ est forma non subsistens, indiget materia, sinè qua non potest naturaliter existere. Secundò: anima rationalis est principium adæquatum multarum operationum, quas exercet independenter à corpore: huiusmodi operationes sunt longè perfectiores operationibus, quas exercet dependenter á corpore, cum illæ pertineant ad vitam intelligentem, istæ ad vitam sentientem, & vegetantem: inde est, quod anima rationalis magis est gratia sui, quam gratia compositi, eatenus enim petit in prima suî formatione vnionem cum corpore, quatenus hæc vnio conducit ad vitam agendam á corpore separatam, quæ est vita perfecta, & immortalis: oppositum euidenter contingit in materia, quæ vel non est principium actiuum alicuius operationis, vt plurimi docent, vel si est principium actiuum alicuius operationis, vt aliqui opinantur, exercet operationes multò imperfectiores operationibus compositi, vt apud omnes est indubitatum, adeoque non est gratia sui, sed gratia compositi. Tertiò, quia materia separata á forma euadit omninò inutilis naturæ, cui non est inutilis anima á corpore separata, ad quam

tan-

tanquam ad vltimum finem vtilitatis non excellentiæ tota natura ordinatur, eo modo, quo exercitus ordinatur ad Imperatorem.

16. Dico secundó: materia prima potest supernaturaliter esse sine forma substantiali.

17. Probatur: materia habet existentiam distinctam ab existentia formæ, ergo separabilem, ergo materia saltem diuinitus potest existere separata ab omni forma. Consequentia probatur. Illa, quæ sine vlla identitate sunt realiter distincta distinctione rei á re, sunt separabilia, nisi aliundé repugnet separabilitas, sed existentia materiæ indistincta á substantia materiæ, & existentia formæ indistincta á forma distinguuntur realiter distinctione rei á re, & aliundé non repugnat separabilitas, ergo sunt separabiles. Maior est certa, in qua notanter mentio fit de ijs, quæ habent distinctionem sine identitate, quia personæ diuinæ, quæ sunt realiter distinctæ, sunt realiter inseparabiles, eo quod habent identitatem in natura cum distinctione in personis, præterea dicitur *nisi aliunde repugnet inseparabilitas*, quia creatura distinguitur realiter a Deo distinctione rei á re, & tamen non potest existere sine Deo, eo quod necesse est Deum existere, & qualibet res creata distinguitur á duratione, & tamen non potest separari ab omni duratione ex peculiari repugnantia, qua repugnat rem existere, & nunquam existere. Minor probatur; materia prima non potest esse modus respectu formæ, tum quia modus debet recipi in re, quam modificat; materia autem non recipitur in forma, tùm quia modus non est indifferens; sicuti est materia, quæ determinatur, non determinat: inde est, quod non repugnat separabilitas materiæ a forma, tum quia nullum aliud est caput, ex quo possit repugnare, nisi hoc; sed ex hoc capite non repugnat, vt ostensum est,

ergo

ergo ex nullo repugnat, tum quia non repugnat separabilitas formæ á materia, vt docebimus disp. seq. ergo neque materiæ á forma, magis enim dependet forma á materia, quam materia á forma.

18 Hinc est primo materiam non dependere essentialiter à forma substantiali: secundo materiam in hypothesi separationis, á Deo conseruandam eodem plané concursu, quo conseruatur in statu coniunctionis: ratio est, quia materia etiamsi dependeat á forma naturaliter, quatenus habet exigentiam faciendi cum forma vnũ per se, non accipit esse à forma, adeoque siue sit, siue non sit cum forma, eodem modo conseruatur.

19 Ad primum: nego maiorem: ad eius probationem dico multa posse fieri supernaturaliter, quæ non possunt naturaliter, vt est certum; non potest naturaliter accidens esse sine subiecto, & tamen potest esse supernaturaliter, vt contingit in Eucharistia: præterea duo corpora non possunt naturaliter esse in eodem loco, possunt supernaturaliter; vt contigit Christo, qui morte extincta sepulchrum penetrauit. Ratio à priori est, quia plus potest facere Deus, vt author ordinis supernaturalis, qui est ordo gratiæ, quam, vt author naturæ, quia terminus potentiæ naturalis est bonum debitum naturæ, terminus potentiæ supernaturalis est bonum non repugnans, sed multo vniuersalius est bonum non repugnans, quam bonum debitum, quia hoc est finitum, illud verò infinitum, ergo, &c.

20 Ad sec. nego maiorem ad eius probationem: conc.ant. & nego consequentiam. Ratio est, quia ex maiori perfectione non arguitur maior dependentia, quod enim magis dépendet magis indiget, quod autem magis indiget ex capite maioris indigentiæ nõ magis perficitur, sunt enim rationes formales diuer-

ſæ, vt patet, ergo de primo ad vltimum ex maiori perfectione, qua vnum ab alio perficitur, non arguitur maior dependentia.

21 Ad tertium: concedo maiorem, & nego minorem: ad eius probationem dico formam accidentalem eſſe bonum magis neceſſarium materiæ, quam ſit forma ſubſtantialis, non proinde ſequitur eſſe maius bonum materiæ formam accidentalem, quia maius, vel minus bonum deſumitur ex maiori, vel minori perfectione, quam accipit materia, non ex maiori neceſſitate, ſed maiorem perfectionem accipit materia a forma ſubſtantiali, vt patet, ergo eſt maius bonum materiæ forma ſubſtantialis, eſto ſit magis neceſſaria forma accidentalis, quia ratio neceſſarij materialiter ſe habet ad rationem perfectiui.

22 Ad quartum: nego maiorem: ad eius probationem nego vniuerſaliter maiorem, cuius falſitatem demonſtro cum philoſopho pluribus exemplis. Quid eſt maius bonum bene eſſe, an eſſe? vtique bene eſſe; & tamen quid eſt deterius non eſſe, an non bene eſſe? vtique non eſſe, quia poteſt res non bene eſſe, & tamen eſſe: at non poteſt res non eſſe, & ſimul bene eſſe, ergo negatio boni minoris eſt deterior negatione boni maioris, quia non eſſe, quod negat eſſe, videlicet bonum minus, eſt deterius, quam non bene eſſe, quod negat bene eſſe, nimirum bonum maius; ergo vniuerſaliter eſt falſum illud eſſe bonum maius, cuius negatio eſt deterior. Præterea melius eſt habere ſanctitatem ſummam, qualis eſt ſanctitas Deiparæ, & Chriſti, quam habere ſanctitatem minimam, & tamen deterius eſt carere ſanctitate minima, quam maxima; quia carentia ſanctitatis minimæ eſt coniuncta cum peccato, adeoque cum inimicitia Dei, eſt enim negatio omnis ſanctitatis, & carentia ſanctitatis maximæ non eſt coniuncta cum peccato, adeoque cum ini-

micitia Dei, alıter omnes sancti, qui non peruenerunt ad sanctitatem Christi, essent peccatores, quod repugnat. Idem discursus valet de visione Beata infimi ordinis comparata cum visione superioris ordinis, & in alijs rebus, ex quibus euidenter constat falsitas illius principij.

23 Ad quintum: distinguo antecedens: repugnat genus physicum, quod non est sub aliqua specie; nego antecedens, repugnat genus logicum; concedo antecedens, & nego consequentiam. Materia est genus non logicum, sed physicum respectu compositi, quod cum forma constituit. Ratio autem, cur repugnet genus logicum separatum ab omni specie, non repugnet genus physicum, est euidens, quia genus logicum est realiter indistinctum à specie, quam constituit propter identitatem realem cum differentia. Genus verò physicum est distinctum realiter saltem inadæquate à specie propter distinctionem realem materiæ à forma.

24 Ad sextum dico materiam separatam ab omni forma non esse in aliqua specie entis completi, sed esse in specie entis incompleti, nimirum in specie subiecti primi, quod est physicè perfectibile.

25 Ad vltimum: concedo antecedens, & nego consequentiam. Disparitas patet ex dictis: in prima mundi formatione non fuit materia sine forma substantiali, quia in eodem instanti fuit creata materia & ex ipsa educta forma; neque repugnat authoritas scripturæ, quia nomine terræ informis intelligitur terra sine ornatu florum, atque fructuum, quæ omnia fuere producta, vt ex sacris litteris patet, diebus consequentibus: ex eo autem, quod materia sit causa formæ, arguitur materiam præcessisse formam natura, non tempore, sicuti sol, qui est causa lucis, præcedit lucem natura, non tempore, quia sem-

 per

per eſt cum luce. Cauenda eſt Æquiuocatio puerilis inter inſtans naturæ, & inſtans temporis, hoc enim cum ſit inſtans reale non præſcindit ab vtroque contradictorio, illud vero præſcindit, quia eſt inſtans præciſionis, illud enim tantum intelligitur in priori ad formam, quod eſt cauſa formæ, ſed cauſa formæ, neque eſt forma, neque negatio formæ, vt eſt euidens: ergo in priori ad formam, neque eſt forma, neque negatio formæ, ſed materia.

DISPVTATIO QVARTA.

De principio formali corporis naturalis.

INter ea, quæ conſtituunt intrinſecé corpus naturale, potiſſimum habet locum forma, quæ dicitur principium formale ſubſtantiæ materialis, tum quia materia, & forma conueniunt in ratione formali principiandi, differunt, quia materia habet rationem principij materialis, forma vero formalis; tum quia ens per formam præcisè diſtinguitur ab alio ente, ignis enim a ligno differt per formam, non per materiam, eo pacto, quo figura, per quam vna ſtatua differt formaliter ab alia, eſt principium formale ſtatuæ.

QVAESTIO I.

Quid sit forma substantialis; & an sit tota quidditas compositi.

1 DE forma substantiali satis ieiunè antiqui Philosophi, copiosè verò, & subtiliter tractauit Aristoteles, qui eius existentiam, vel primus inuenit, vt opinantur nonnulli, vel saltem primus illustrauit, vt alij melius sentiunt, quia non potest esse dubium, an aliqui Philosophi, qui ante Aristotelis ætatem floruere, hanc veritatem fuerint assequuti, vt eruditè refert noster Suarius disp. 15. sect. 1. Præterea idem apertè colligitur ex ipsius Aristotelis verbis in primo de partibus animalium cap. primo, & Plato in Timæo appellat formas rerum existentium simulacra, hoc est, vt omnes interpretes exponunt, idearum participationes, vbi alludit ad celebrem suam sententiam de Ideis, de qua multa egimus in Logica. tom. 1. disp. 4. qu. 3. num. 5. & seq.

2 Formam substantialem existere docent omnes Peripatetici cum Philosopho pluribus in locis, & præsertim in primo Physic. neque id potest, generatim loquendo in dubium vocari á Catholicis est enim definitum in Concilio Lateranensi animam rationalem esse formam corporis, vndé desumitur inuictum argumentum ad demonstrandam existentiam formæ substantialis in quolibet corpore naturali, vt patet ex ijs, quæ docuimus disp. 1. quæst. 2. num. 8. arguendo contra Philosophos opinantes omnia ex atomis constare.

3 Cæterum eisdem planè argumentis demonstratur existentia formæ, quibus demonstratur mate-

riam existere: illud solum addo, pro forma singulariter militare, quod innuit Aristoteles in Text. 24. huius libri, quia nimirum euidens est corpora naturalia differre specie, sed euidens est differre specie non per materiam, eo quod vnum in aliud conuertitur, ergo per formam, adeoque euidens est formæ substantialis existentia, quæ constituit corpus naturale in aliqua determinata specie, inde est ignem differre specie à ligno, quia materia ignis perficitur, & actuatur à forma substantiali specie diuersa ab ea forma à qua perficitur, & actuatur materia ligni.

4 Quid sit forma substantialis nobis innotescit ex definitione, quam ex mente Aristotelis tradit Suarius disp. 61. sect. 7. *Est substantia simplex, & incompleta actuans materiam cũ qua constituit essentiam substantiæ completæ*, vel breuius, *est actus primus substantialis vnum per se constituens cum materia*, Dicitur esse *actus*, ne confundatur cum materia, quæ est potentia, siue subiectum: *substantialis*, ne confundatur cum accidentibus, quæ sunt formæ accidentales: *vnum per se constituens cum materia*, ne confundatur cum substantijs immaterialibus completis, quales sunt intelligentiæ, quas ex Aristotelis doctrina vocat S. Thomas formas separatas, & assistentes, eo quod mouent corpora, non per informationem, sed per assistentiam, siue localem præsentiam, quo motu corpora cœlestia mouentur ab Angelis, vt docent Theologi cum S. Thoma in prima parte, & nos aliqua dicemus in Metaphysica, vbi sermo erit de intelligentijs, siué substantijs à corpore abstractis.

5 Difficilius est explicare, quid intelligatur nomine actus, id enim plerisque Philosophis non leue negotium facessit; varij varia, quæ videri possunt apud Arriagam loco citato, qui in hac difficultate explananda, & aliorum sententijs referendis simul, & refellen-

fellendis multus est, ne dicam, nimius. Nobis non vacat rem cæteroquin leuis momenti diutius, quam par est, expendere: breuissimè dico: nomine actus, quo Aristoteles appellat formam, nihil aliud significari quam ens formaliter determinans, ita, vt actuare, & determinare idem sit, & nomine subiecti, quod tribuitur materiæ, ens determinabile, ita vt esse in potentia & esse determinabile idẽ sit. Ratio, qua moueor ad hoc opinandum est, quia cõceptus subiecti, siue materiæ, & concepus actus siue formæ desumitur per analogiã ad conceptum materiæ, & formæ rerum artificialium, quę nobis sunt notissimæ; sed in rebus artificialibus id habet rationẽ materiæ, & subiecti, quod cum sit indifferens ad hoc, vel illud artefactum, determinatur à figura ad vnum potius, quam ad aliud: & id habet rationẽ formæ, & actus, quod formaliter determinat; ita in statua marmor est materia, figura est forma, quia illud determinatur, hæc determinat, ergo in rebus naturalibus eodem modo philosophandum est ita vt illud ens sit materia, adeoque subiectum, quod est determinabile, & illud ens sit forma, siue actus, quod determinat; vnde sequitur formã esse nobiliorem materia, quia exercet dominium in ipsam materiã, quę præterea subijcitur formæ, cuius determinatione indiget.

6 Hinc est, actum actuantem, siue determinantem esse duplicem, alium substantialem, qui vocatur actus primus, eo quod non supponit alium actum (loquor de formali, nõ entitatiuo) aliter non faceret cũ subiecto, quod actuat vnum ens per se, quia adueniret enti actuato actu formali, adeoq; cõpleto: alium accidẽtalem, qui vocatur actus secundus, eo quod præsupponit actũ primum, qui semper præcedit saltem natura actũ secundum ordine, vel causalitatis, vt contingit in proprietatibus formã consequentibus, vel intentionis, vt contingit in dispositionibus formám antecedentibus.

De existentia huius actus primi formalis, qui est forma substantialis, eodem modo philosophandum est, ac de existentia materiæ, sicuti enim materia existit intransitiuè, & identicè per existentiam indistinctam; vt dictum est disp. 2. qu. 2. num. 5. ita forma existit intransitiuè, & identicè per existentiam indistinctam; adeoque forma est actus formalis incompletus loquendo de actu entitatiuo, qui est existentia formæ, est actus formalis completus loquendo de actu transitiuo, qui est existentia compositi.

7 Forma substantialis informans, quæ est actus compositi substantialis, quia facit in genere causæ formalis totum substantiale, alia est materialis, alia immaterialis, vtraque communicatur materiæ, quam actuat, & perficit: vtraque recipitur in materia, eo modo, quo actus recipitur in potentia, nimirum cognitio in cognoscente, & albedo in pariete, non tamen eodem modo vtraque recipitur, quia modus, quo recipitur forma immaterialis, est adhæsio, & modus quo recipitur forma materialis, est inhæsio. Ratio huius discriminis est, quia forma immaterialis non dependet á materia, in qua recipitur, materialis verò dependet, adeoque forma materialis sustentatur à materia, indè est, quod illa dicitur adhærere materiæ, eo quòd vnitur materiæ, iste inhærere materiæ, quia dependet á materia, quod euidentius constabit ex dicendis in tractatu de causis, vbi sermo erit de causa materiali. Formæ materiales aliæ sunt viuentes, aliæ vita carentes; illæ sunt animæ vegetantes, & sentientes, quæ nimirum in genere causæ formalis constituunt principium vegetandi, & sentiendi: istæ sunt formæ aliæ elementares, vt forma ignis, aeris, terræ, & aquæ; alię non elementares, quales sunt formæ cuiuscumque mixti, vt forma lapidis, forma auri, & alia id genus. Hinc est esse quatuor gradus in substantijs adæquatè

ma-

materialibus, quas nimirum constituant formæ materiales. In primo, & imperfectissimo gradu collocantur elementa, in secundo mixta, quæ carent vita, vt lapides, metalla, & similia, in tertio plantæ, in quarto animalia. Ratio est, quia eo magis, vel minus sunt perfecta corpora, quo magis, & minus est perfecta forma, sed forma elementaris est imperfectissima: forma minus imperfecta est forma mixtorum non viuentium: minús forma plantæ: multó minús forma animalium; & ratio á priori est, quia maior perfectio formæ, sicuti cuiuspiam entis, vt dictum est tomo 1. disp 7. q. 5. num. 4. desumitur ex minori materialitate, siue ex maiori abstractione á materia, sed minorem materialitatem habent formæ animalium, quam formæ plantarum, & sic de alijs, habent enim minorem diuisibilitatem, adeoque minorem compositionem, quæ fundatur in materialitate, si enim diuidatur in duas partes equus, statim forma destruitur, quod in plantis non contingit, & in alijs mixtis, quæ carent vita, multó minús in elementis, quæ si diuidantur in minutissimas partes, eadem substantialiter perseuerant, ergo &c.

8 Formas immateriales esse á materia separabiles est indubitatum, quia anima hominis est immaterialis, vt fides docet, & lumen naturæ persuadet. De formis materialibus eodem modo discurrendum est, ac de materia, sicuti enim materia, quia est ens incompletum non subsistens, non potest naturaliter separari ab omni forma, ita forma materialis, quæ est forma non subsistens, non potest naturaliter á materia separari: quód autem possit diuinitús videtur certum, quia forma accidentalis, quæ magis dependet á substantia, quam forma substantialis á materia; potest diuinitús separari á substantia, vt contingit in accidentibus eucharisticis.

9 Hæc sunt certa. Dubium, quod in præsenti controuertitur, est, an forma sit tota essentia, siue quidditas corporis naturalis, nimirum an forma ignis sit tota essentia ignis, anima sit tota essentia hominis, ità vt materia non spectet ad essentiam compositi, sed nihil aliud sit, quam vehiculum formæ, vt loquar cum phrasi Auerrois, qui fuit in hac sententia.

10 Ratio dubitandi est primo, quia forma vocatur ab Aristotele quidditas rei, siue species, & quod quid erat esse rei, vt patet ex secundo Physic. cap 5 & 7. Metaphysicæ cap. 22. ergo materia non est pars essentiæ. Consequentia probatur, quia si materia esset pars essentiæ esset quid, consequens est falsum, vt patet ex definitione negatiua materiæ, quam ex Aristotele tradidimus disp. 3. qu. 1. num. 4.

11 Secundo. Principium, quod discernit vnum corpus ab alio est sola forma, ergo principium, quod constituit corpus naturale, est sola forma, ergo &c. Antecedens patet, quia lignum differt ab igne solum per formam. Consequentia probatur, tum quia principium constitutiuum rei est eiusdem distinctiuum, túm quia per illud præcisè constituitur homo in esse hominis, per quod discernitur ab omni non homine, ergo &c.

12 Tertio: sola forma est compositum, quia solá forma est causa formalis compositi, sed causa formalis non distinguitur ab effectu formali, ergo sola forma est essentia compositi.

13 Quarto: anima hominis est tota essentia hominis, ergo forma est tota essentia compositi. Antecedens probatur, túm quia tota essentia hominis est principium intelligendi, sed sola anima est principium intelligendi, ergo &c. tum quia, vel non viuit separata á corpore, vel est tota essentia hominis, sicuti anima leonis, quæ non est tota eius essentia, non viuit separata á corpore.

14 Quin-

14. Quinto: si anima non est tota hominis esse ntia non est idem homo, quando est senex, ac quando fuit puer, consequens est falsum, ergo & antecedens Minor probatur, quia licet anima sempet sit eadem, tamen corpus mutatur, homó enim dum nutritur acquirit nouas partes materiæ succedentesq; illis partibus, quas calor naturalis consumit, ergo &c.

15 Vltimo: vel materia non pertinet ad essentiam hominis, vel non resurget idem homo, qui fuit mortuus, sed idem homo resurget, vt patet ex illis verbis: *In carne mea videbo Deum meum, quem visurus sum ego ipse, & non alius*, ergo &c. Maior probatur, quia non potest resurgere idem homo, nisi resurgat idem corpus, adeoque eadem máteria, séd hoc est impossibile, quia potest contingere, vt duo homines eandem materiam habeant, vt illis accidit, qui humanis carnibus vescuntur, ergo &c. Sed contra:

16 Sit nostra sententia, quam sequuntur ferè omnes Philosophi. Forma substantialis, quæ informat materiam non est tota quidditas, siuè essentia corporis naturalis.

17 Ratio á priori est, quia repugnát in terminis ábstractum prædicari de concreto quando concretum est physicum, sed si forma est tota essentia corporis naturalis, potest abstractum prædicári veré de concreto ergo repugnat formam esse totam essentiam corporis naturalis. Maior patet, tum quia repugnat partem physicam prædicari vere de toto physico; tum quia concretum physicum differt á concretò metaphysico siuè totum physicum á toto metáphysico, eo quod in illo non potest, in hoc potest veré prædicari ábstractum de concreto, siue id, quod significat concretum, de eo, pro quo supponit, propter realem identitatem abstracti cum concreto, quæ inuenitur in concreto metaphysico, non inuenitur in concreto physico: ideò

hæc

hæc propositio est vera: *rationale est rationalitas*: in sensu reali: non est vera ista: *album est albedo*. Minor probatur, quia si tota essentia corporis naturalis est formá, datur adæquata identitas inter formam, & compositum, sicuti datur adæquata identitas inter hominem, & animal rationale, quod si datur adæquata identitas inter formam, & compositum, potest veré prædicari forma de composito, adeoque abstractum de concreto physico, quod repugnat, ista enim propositio. *Homo est Anima* est fálsa, quia homo essentialiter includit corpus, & animam, ergo sola anima non est essentia hominis. Ratio vlterior est, quia forma secundum suum esse intransitiuum non est ens incõpletum, alioquin non posset façere vnum ens per se cum materia, sicut patet in formis separatis, siue intelligentijs, quæ habent esse completum, sed corpus naturale nimirũ homo, equus, & ignis est ens completum, ergo forma non est tota essentia corporis naturalis.

17 Illud in re præsenti notandum diligenter est, cuius ignoratio Philosophis contrarium opinantibus locum fortasse fecit errandi, nimirum formam non esse quidem totam essentiam corporis naturalis, vt demonstratum est num. 16. sed esse illam partem, quæ potissimum atttẽditur in omni corpore náturali, quod formaliter constituit in determinata specie entis, spectata enim præcisé materia non est cur lignũ ab igne discernatur. Ratio á priori est, quia ita se habet materia respectu compositi, quod est totum physicum, sicuti genus respectu essentiæ, quæ est totum metaphysicum, sed in toto metaphysico nimirum in animali rationali magis attenditur rationalitas, quam animalitas, illa enim discernit, ista non discernit (loquor in sensu formali, non reali) hominem á cæteris animantibus, adeoque ista materialiter, illa formaliter constituit hominem, licet vtraque essentialitee constituat, inde

inde est, quod ratio generica solet appellari ratio materialis, & differentia formalis, quod non est ita intelligendum, quasi ratio generica non pertineat ad essentiam rei, id enim est falsum, sed quia formale discretiuum vnius essentiæ ab alia non est genus, sed differentia, ergo materia licet constituat corpus naturale, sicuti constituit forma, non constituit eodē modo, quia materia constituit materialiter, forma verò formaliter. Hac de causa vocat Aristoteles formam quidditatem, siue speciem rei, eo quòd res desumit formaliter à forma suam speciem, ea enim cognita statim cognoscitur discrimen vnius substantiæ ab alia, sicuti rationalitas dicitur quidditas hominis, quia constituit formaliter essentiam hominis, quam propterea discernit ab omni non homine. Hinc originem traxere speciosa illa nomina, quibus forma solet appellari, dicitur enim vnum, quia confert vnitatem rebus, dicitur mens propter similitudinem cum diuina mente, á qua procedit esse rerum omnium: dicitur pulchrum, quia confert rebus omnibus pulchritudinem; dicitur optimum, finis, diuinum quid, species, eo quod constituit corpus naturale in aliqua determinata specie entis. Hinc patet quid sit dicendum ad primum argumentum sententiæ oppósitæ.

18 Ad secundum concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad eius probationem dico rationem constitutiui latiùs patere ratione discretiui, licet ratio constitutiui, & ratio distinctiui sint termini conuertibiles. Ratio est, quia quælibet res distinguitur ab omni alia re per omnia sua prædicata, sed non discernitur per omnia prædicata, ita Petrus distinguitur ab equo per animalitatem simul, & rationalitatem, sed discernitur solum per rationalitatem: inde est, quód omne prædicatum discretiuum vnius rei á cæteris rebus est etiam constitutiuum, sed non omne constitu-

tuti-

tutiuum est discretiuum: ita in re præsenti ignis di stinguitur intrinsecé á ligno tám per materiam, quam per formam, sed discernitur per solam formam, ideò forma est principium constitutiuum: adeoque distinctiuum, & discretiuum: sed materia est principium constitutiuum, adeoque distinctiuum, sed non discretiuum. Cauenda est igitur æquiuocatio inter principium, quod distinguit, & principium, quod discernit.

19. Ad tertium: dico effectum formalem distingui solum inadæquaté á causa formali, ita album distinguitur inadæquatè ab albedine, & natura humana ab anima: ratio est, quia causa formalis, est causa intrinseca, sed causa intrinseca distinguitur inadæquatè á suo effectu distinctione partis á toto, ergo &c.

20. Ad quartum: nego antecedens. Tota essentia hominis est principium non solum intelligendi, sed etiam sentiendi, aliter homo non differt specie ab Angelo: inde est animam rationalem non esse totam essentiam hominis, licet illá sit adæquatum principium intelligendi, quia non potest esse principium sentiendi, nisi corpori sit coniuncta; vnde patet discrimen inter animam rationalem, quæ est immaterialis, & aliam formam materialem, quód ista nullas operationes ad compositum spectantes potest adæquatè exercere, illa verò est principium adæquatum aliquarum operationum, non tamen omnium. Hinc redditur ratio, cur anima hominis possit ab homine separari, anima equi non possit separari ab equo, quia illa est forma subsistens, adeoque exercet aliquas operationes independentes á corpore.

21. Ad quintum: duobus modis potest fieri, vt aliqua res eadem remaneat, nimirum moraliter, siue æquiualenter, sicuti aqua fluminis, & physicé sicuti Do-

Domus, & quælibet res permanens. Videtur indubitatum; hominem, animalia, & plantas, quæ semper nutriuntur, eadem remanere physicé, quid quid aliqui Authores contradicant, qui propterea difficultatem præsentem euadunt, dicendo hominem esse eundem solum moraliter tempore senectutis, ac tempore infantiæ, quod tamen mihi videtur rationi, & experientiæ repugnare. Præterea *fieri potest*, vt aliquid remaneat idem physicè tantum *materialiter*, nimirum secundum materiam, ità lignum, quod in ignem conuertitur, remanet idem materialiter; vel materialiter simul, & formaliter, nimirum secundum materiam, & formam, vt domus, & statua, quæ perseuerat eadem materialiter, & formaliter, quia temporis decursu retinet eandem materiam, & formam. animal quandiú viuit, remanet idem non solum materialiter; sed etiam formaliter, quia licet semper mutetur, & nunquam eundem retineat statum, agente calore naturali in humidum nutrimentale, nihilominus non mutatur eo pacto, quo mutatur, quando moritur, vel quando lignum in ignem conuertitur: in quo casu manifestum est animal non remanere idem formaliter licet remaneat idem materialiter. Præterea potest aliquid remanere idem materialiter, & formaliter adæquatè, hoc est secundum omnes partes materiæ, & formæ; hoc pacto sunt semper eadem corpora Cœlestia; quæ sunt incorruptibilia, non sunt semper eadem corpora sublunaria præsertim viuentia, quæ semper amittunt, & semper acquirunt nouas partes tam materiæ, quam formæ, loquendo de substantijs adæquatè materialibus: Rursus potest aliquid remanere idem materialiter, & formaliter solum inadæquatè, retinendo aliquas partes materiæ, & formę quas semel habuit. Hoc pacto remanet idem animal, quia semper retinet easdem partes, quas vocant primige-

migenias acceptas á generante, & idem humidum nutrimentale, quo imminuto paulatim senescit, ex quo deficiente extinguitur. Proportionaliter discurrendum est de homine, ac de cæteris animantibus, cum eo tamen discrimine, quod homo remanet idem formaliter adæquatè secundum formam, quia anima hominis caret partibus, vtpoté immaterialis, & simplex, adeoque est tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, non remanet idem materialiter secundum omnes partes materiæ, id enim non pertinet ad statum vitæ corruptibilis, quæ potius dicenda est mors, quam vita propter continuas ætatum, & rerum vicissitudines: vnde ab Augustino egregiè appellatur potius mors vitalis, quam vita mortalis, sed pertinet ad statum vitæ futuræ, quando nimirum corpus, quod seminatur animale, vt inquit Apostolus, resurget spirituale.

22. Ad vltimum nego ma; homo idem resurget secundum corpus, quia recuperabit easdem partes magis præcipuas, nimirum partes primigenias, Deo omni potentissimá sua virtute supplente defectum aliarum partium, quæ transierunt in alimentum alicuius hominis; cæterum dico cum S. Thoma pertinere ad prouidentiam Dei res ita disponere, vt eædem omninò partes primigeniæ nō inueniantur in duobus hominibus, etiamsi vnus alterius carnes deuorauerit.

QVAESTIO II.

Vtrum forma vniatur materiæ per vnionem distinctam.

1. Videtur non vniri per vnionem distinctam primo, quia forma immediatè recipitur in ma-

materia, sicuti actus in potentia, ergo vnitur immediaté materiæ, ergo non vnitur per vnionem distinctam. Consequentia probatur. Formam vniri immediaté materiæ nihil est aliud, quam inter materiam, & formam nullum inueniri ens medium: sed forma vnitur immediaté materiæ, ergo inter materiam, & formam nullum datur ens medium, ergo vnio materiæ cum forma non est distincta á materia, & forma.

2 Secundo: Forma informat materiam præcisa quacumque re á materia, & forma distincta: ergo forma connectitur materiæ præcisa quacumque re distincta, ergo nexus materiæ cum forma est realiter indistinctus á materia, & forma. Antecedens probatur, tum quia forma per seipsam informat materiam, tum quia duo parietes albi sunt inuicem similes præcisa quacumque entitate distincta, ergo etiam materia, & forma se mutuo perficiunt præcisâ quacumque entitate distincta.

3. Tertiò: forma intime præsens materiæ dispositæ non est indifferens ad perficiendam intrinsecé, & actuandam materiam, ergo sine vlla entitate distincta perficit intrinsecè, & actuat materiam. Antecedens probatur, tum quia non potest forma esse intimé præsens materiæ, eamque simul non perficere, præsertim si materia est disposita, tum quia forma, quæ habet esse in materia, perficit intrinsecè materiam, sed forma intimé præsens materiæ habet esse in materia, quia ibi est, vbi est materia, ergo &c.

4. Quartò: forma materialis per hoc præcisè, quod habet esse dependens á materia perficit intrinsecé materiam, ergo forma materialis informat materiam sine vlla vnione distincta. Antecedens probatur primo, quia dependere á materia formalissimè est recipi in materia, sed recipi in materia est forma-

lissimè vniri materiæ, ergo dependere á materia est formalissimè recipi in materia, ergo &c. Secundó forma dependens á materia non est amplius indifferens, vt perficiat intrinsecé materiam, adeoque vt sit in materia, ergo tota indifferentia, quam habet forma ad perficiendam materiam, aufertur per dependentiam á materia.

5. Quinto: actio, qua forma dependet á materia communicat formam materiæ, ergo communicatio formæ cum materia non est aliquid distinctum á forma dependente á materia, ergo &c.

6. Confirmatur, quia forma non potest esse cum materia, nisi perficiat intrinsecè materiam, & faciat compositum; sed materiam esse simul cum forma nihil aliud significat, quam existentiam materiæ, & existentiam formæ in eodem loco, & tempore, ergo &c. Mi: probatur. Sicuti Petrum, & Paulum coexistere non est aliquid distinctum ab existentia Petri, & existentia Pauli in eodem tempore, ita existentia materię cum forma non est distincta ab existentia materiæ, & formæ in eodem loco, & tempore, ergo materia est simul cum forma præcisa omni entitate distincta.

7. Vltimo. Vnio materiæ cum forma non vnitur materiæ per vnionem distinctam, ergo neque forma vnitur materiæ per vnionem distinctam. Antecedens patet, alioquin daretur processus in infinitum: consequentia probatur primo. Non minus recipitur in materia vnio, quam forma, ergo vel vtraque, vel neutra recipitur per vnionem distinctam: secundo hæc vnio nullum facit effectum formalem distinctum á Forma communicata materiæ, quando enim albedò communicatur parieti, vel forma ignis materiæ, nullus alius effectus formalis præstatur præter esse album, & esse ignem.

8. Res-

8. Respondetur. Pro huius quæstionis perfecta intelligentia sciendum primò dari in rerum natura aliquas entitates, quas modos appellant, eo quòd nullum aliud munus præstant, quam determinare in genere causæ formalis indifferentiam, quam habet aliqua res ad effectum formalem præstandum. Id euidentissimè constat in formis accidentalibus, in quibus necesse est distinguere, vt optimè aduertit S. Thomas actualem inhærentiam ab ipsa natura accidentis, cum enim hanc veritatem nobis reuelauerit fides de separatione accidentis à subiecto, quam Philosophi Gentiles ignorarunt, statim lumen naturæ per legitimam consequentiam deducit existentiam accidentis esse realiter distinctam ab actuali eiusdem inhærentia, ea enim, quæ sunt realiter separabilia, sunt realiter negabilia, & per consequens distincta, vt patet ex nostro Tractatu de identitate, & distinctione tom. 1. disp. 3. qu. 1. num. 9. Inde est, quod actualis inhærentia, quæ formalissimè est nexus accidentis cum substantia, in genere causæ formalis determinat formam, siuè est ipsa formalis determinatio formæ ad præstandum effectum formalem: ita albedo est forma essentialiter ordinata ad præstandum effectum formalem albi, quia est essentialiter entis ens; sed huiusmodi effectum formalem actu non præstat, nisi applicetur subiecto, adeoque indiget aliqua re a se distincta, á qua in genere causæ formalis determinetur. Ratio à priori, cur existant in rerum natura huiusmodi entitates modales, quarum munus est determinare indiffentiam alterius entis, peti debet ex conceptu entis creati, qui est conceptus entis essentialiter limitati, adeoque dependentis, atque mutabilis: vbi autem datur mutabilitas, ibi datur indifferentia; quod enim est mutabile in quantum mutabile non semper est, vel quoad substantiam, vel quoad modum:

vbi verò est indifferentia ibi est necessitas entitatis distinctæ formaliter determinantis, quia fieri non potest, vt auferatur indifferentia albedinis ad parietem dealbandum, Petri ad existendum Romæ, nisi aliquid sit, quod huiusmodi indifferentiam auferat, est enim principium notum naturæ lumine, quod idem in quantum idem semper facit idem: indè est in Deo, quod est ens essentialiter simplicissimum, independens, & immutabile, non posse reperiri huiusmodi entium genera.

9. Sciendum secundo. Discrimen entitatis realis ab entitate modali non desumi ex eo, quod vna habeat esse physicum, & reale, alia logicum, & intentionale; id enim est apertè falsum, cum vtraque habeat esse physicum, & reale, quatenus reale opponitur non solum chimærico, sed etiam intentionali; quis enim potest in dubium vocare, an nullo intellectu cogitante non minus existat in rerum natura applicatio, siuè vnio albedinis, cum pariete, quam albedo parietem dealbans? Illud igitur inter realem, & modalem entitatem interest, quód realis est essentialiter indifférens ad existendum in subiecto, quod informat, modalis non est indifferens, cum sit essentialis determinatio; vnde nascitur formam realem esse intránsitiuè absolutam, hoc est per illud esse, quod habet identicé absolutam & expeditam ab omni nexu cum subiecto, adeoque ab eodem saltem diuinitus separabilem; formam verò modalem esse intransitiuè, & identicè connexam, quia est ipsa formalis connexio tam sui quam formæ distinctæ cum subiecto, adeoque ab eodem essentialiter inseparabilem: quiá vero necesse est, vt quiquid á nihilo contradistinguitur, habeat identitatem cum se, & distinctionem a quolibet non ipso, id enim spectat ad rátionem formalem vnitatis transcendentis per omne ens, ideò huiusmodi entitates

tes distinguuntur á rebus, quas determinant, & modificant distinctione non reali, sed modali, quæ distinctio non est rei à re, qualis datur inter extrema inuicem separabilia, quorum vnum aliud intrinsecé perficit. Hinc est entitatem modalem definiri esse illud ens, *quod non potest esse, quin sit intrinsecum alteri, quod est ab ipso separabile.* Quæritur in præsenti vtrum vnio, quæ nihil est aliud, quam nexus, & vinculum formę, & materiæ se mutuo perficientium sit entitas modalis distincta à materia, & forma.

10 Dico vnionem esse entitatem modalem distinctam: ità docet Suarius disp. 14. sect. 3. Gabriel Vasquez tom. 1. in tertiam partem disp. 13. Hurtad. & Arriaga cum alijs recentioribus contra Gregorium Ariminensem, cum tota Nominalium schola, qui negant omnes entitates modales.

11. Probatur primo. Repugnat dari effectum formalém sine causa formali, sed formā vniri materiæ sine vnione distinctà, est dari effectum formalem sine causa formali, ergo repugnat formā vniri materię sine vnione distincta, ergo &c. Min: prob: causa, quæ denominat formaliter, formā communicatā materiæ, eamq; intrinsecé perficientem, non est existentia formę, & existentia materiæ tantum, quia potest in rerum natura esse vtraque existentia, & simul non esse causa formalis denominans formam actu communicatam materiæ, in pręsenti enim existit anima D. Petri in Cœlo, & eiusdem materia in sepulchro, neque tamen anima communicatur materiæ, quod etiam contingit in omnibus formis materialibus; quæ, vt ostensum est saltem virtute diuina possunt existere separatæ à materia, quam informant; vnde argumentum validissimum desumitur ad demonstrandum non esse realiter idem materiam, & formam se mutuo perficere, & simul existere materiam, & formam, cum

vnum ab alio sit separabile. Quod si causa formalis, quę formaliter denominat animam corpori communicatam, & quamcumque formam inhærentém materiæ, quem effectum formalem existere existente composito est indubitatum, non potest esse existentia formæ, & existentia materiæ, consequens est vt vel vnio, quæ in genere causę formalis denominat formam communicatam materiæ sit distincta à materia, & forma: vel detur effectus formalis, sine causa formali, quod euidenter repugnat illi principio metaphysico. *Idem non potest simul esse, & non esse.*

12. Huic argumento, quod semper iudicaui ostensiuum ad demonstrandam necessitatem huiusmodi entitatis modalis, triplicem conantur adhibere solutionem aduersarij, dicentes causam formalem formæ communicatæ materiæ esse primò formam prout in materia, siue formam cum materia: secundo esse formam, & materiam dispositam: tertiò esse formam intimé præsentem materiæ, cuius nomine significatur forma penetrata cum materia, siue in eodem loco existens.

13. Prima solutio non est ad rem, quia vel est apertè falsa, vel sibi contradicit affirmando exercité quod signatè negat, vt breui hoc dilemmate ostendo. Forma prout in materia, vel est aliquid obiectiue distinctum à duplici existentia materiæ, & formæ, vel non: si secundum, ergo existente præcisé in rerum natura forma, & materia, existit compositum quod est euidenter falsum: si primum, ergo datur aliquid distinctum à materia, & forma, quod vnam alteri connectit.

14. Secunda etiam solutio est falsa primò; quia licet materia disposita exigat perfici á forma, non est idem formaliter materiam esse dispositam ad habendam formam, & habere formam; vnum enim est sepa-

separabile ab alio saltem diuinitus, vt in pluribus alijs rebus contingit, in quibus Deus potest operari præter exigentiam causæ secundæ: quia dispositiones præparant quidem materiam ad formandum compositum, sed non constituunt compositum, quia non intellectis dispositionibus intelligitur compositum: præterea dispositiones sunt accidentia, adeoque non possunt intrinsecé substantiam constituere.

15. Tertia tandem solutio reiicitur primo, quia duas res esse penetratas, & se mutuo perficere, adeoque facere vnum per se sunt effectus formales diuersi, & separabiles, adeoque procedentes a formis diuersis, potest enim diuinitus fieri vt sint in eodem loco, quin se inuicem perficiant, ergo causa formalis denominans materiam & formam se mutuo perficientes non est intima præsentia formæ cum materia: Secundo anima Christi fuit intime præsens materiæ B. Virginis, quando nimirum Christus nascendo eiusdem Sanctissimum vterũ penetrauit: Tertio intima pręsentia formæ cum materia sequitur vnionem formæ cum materia, in priori enim ad intimam præsentiam forma communicatur materiæ, quia in priori ad existentiam rei in loco, quæ est vbicatio, datur existentia rei, ergo á diuersa forma prouenit, materiam penetrari cum forma, & eidem communicari. Intima præsentia formæ cum materia est formalissimè vbicatio compositi, quæ est eidem accidentalis, adeoque nullatenus spectans ad rationem formalem compositi, ad quam spectat forma communicata materiæ.

16. Vltimo: quoties mouetur corpus naturale ab vno in alium locum, mutatur intima præsentia formæ cum materia indistincta ab vbicatione, & tamen corpus non mutatur substantialiter, ergo non pertinet ad constituendum corpus in ratione compositi.

17. Probatur secundò: non omnis forma communicatur materiæ per vnionem indistinctam, ergo nulla. Antecedens probatur, quia anima rationalis non potest constituere hominem vna cum corpore per vnionem indistinctam ab anima, & corpore, alioquin homo non generaretur, quia neque generatur forma, neque materia, ergo si non datur vnio distincta, quæ generatur, nihil generatur, quando producitur homo, quod repugnat.

18. Hactenus demonstratum est, vnionem, quæ communicat materiam formę, esse distinctam á materia, & forma; superest demonstrandum esse distinctam modaliter, non realiter, id autem facilè ostenditur ex ijs, quæ docuimus de entitate modali num. 9. quia huiusmodi entitas, nimirum vnio habet quidquid requiritur ad rationem formalem modi, cum sit intrinseca rei, quam modificat, & ab illa essentialiter inseparabilis, alioquin proceditur in infinitum, quod repugnat. Hinc est eodem modo philosophandum de formis accidentalibus, quæ possunt á subiecto separari, ac de substantialibus.

19. Ad primum: dist: antecedens: forma recipitur in materia immediatè, vt quod, conc: antec: immediatè, vt quo nego antec: & conseq. Forma immediatè connectitur materiæ, etiamsi inter formam, & materiam existat vnio. Ratio á priori est, quia vnio nihil est aliud, quám ratio formalis vniendi materiam immediatè formæ, adeoque non obstat, quo minus forma vniatur immediatè materiæ, sicuti causa immediaté agit, licet inter causam, & effectum mediet actio, quæ est ratio formalis agendi: Petrus, qui est Romæ, est immediatè in Vrbe Romana, licet Petrum inter, & Romam existat vbicatio Romana, quæ est ratio formalis ponendi Petrum Romæ: inde

de est, quod forma recipitur immediaté, vt quod in materia, quia vnio est id, quo forma recipitur: vnde patet ad probationẽ consequentiæ: in forma dist: ma: formam vniri immediatè materię est nullũ esse ens medium distinctum á ratione formali vniendi conc: ma: indistinctum nego ma: & distincta min: nego consequentiam.

20 Ad secundum: nego antecedens: Forma informat materiam per se ipsam, vt quod, non vt quo. Ratio est, quia in albedine, quæ informat parietem, eumque denominat album, duo debent attendi, nimirum forma, quæ facit album, huiusmodi est albedo, quæ hac de causa dicitur dealbare parietem, vt quod, siuè tamquam ratio formalis, *quæ* & applicatio formæ; huiusmodi est vnio, quæ dealbat vt quo, siuè tamquã ratio formalis *qua*, eo quod nihil aliud præstat, quam applicare parieti, qui est subiectum denominationis, rationem formalem *quæ*. Necessitas distinguendi in effectu formali albi rationem formalem, quæ dealbat á ratione formali *qua* siuè formam ab applicatione formæ, refundi debet in naturam formæ essentialiter indifferentis ad existendum in subiecto. Disparitas inter duos parietes albos, qui sine entitate distincta sunt similes, & materiam, & formam, est euidens, quia non possunt esse duo parietes albi nisi sint similes, possunt esse materia, & forma, etiamsi non se perficiant.

21 Ad tertium: nego, vel potius distinguo antecedens: forma intimè præsens materiæ non est indifferens formaliter ad perficiendam materiam, nego antecedens: argnitiuè omitto antecedens, & nego consequentiam. Omitto in præsenti non posse formam esse intrinsecè præsentem materiæ, qui eam informet, quod tamen est falsum, vt ex dictis constat num. 15. non tamen indé sequitur intimam pręsentiam

esse

esse vnionem. Ratio est, quia intima præsentia connectitur quidem cum vnione, sed non est ipsa formalis vnio, adeoque non determinat formaliter, sed solum arguitiuè indifferentiam materiæ ad habendam formam, quia ex intima præsentia arguitur existentia vnionis formaliter determinantis. In forma ad probationem consequentiæ distinguo maiorem: forma quæ habet esse in materia intimè præsens materiæ, perficit formaliter materiam: nego maiorem: quæ habet esse in materia inhærens materiæ, conc: maiorem, & distincta minori nego consequentiam. Formam esse intimè præsentem materiæ, & inhærere materiæ sunt duo effectus formales distincti, licet connexi, vt in præsenti omitto, indè est quod vnus effectus non potest a b alio separari, sed vnus præstatur ab intima præsentia, alius ab vnione.

22 Ad quartum: nego antecedens: ad eius probationem: nego maiorem: fateor formam dependentem actu a materia recipi in materia, eamque propterea perficere, & informare, sed nego recipi per hoc præcisè, quod dependeat, adeoque nego vnionem esse formalem dependentiam. Ad secundam probationem, dist: antecedens, non est indifferens efficienter: conc: ant: formaliter nego ant: & dist: conseq: aufertur formaliter: nego consequentiam: efficienter concedo consequentiam. Dependentia formæ á materia ideo tollit indifferentiam, quam habet forma ad perficiendam materiam, quia ponit efficienter illam formam, quæ tollit formaliter indifferentiam.

23 Ad quintum: distinguo antecedens: communicat formaliter formam materiæ: nego antecedens: communicat efficienter: concedo antecedens, & nego cons: Ratio est, quia ipsa actio, per quam forma dependet á materia, est actio productiua vnionis, sed actio, quæ producit vnionem, non vnit, siue communi-

municat formam materiæ formaliter, sed tantum efficienter, ergo dependentia formæ á materia communicat efficienter, non formaliter formam materiæ. Ratio á priori est, quia forma actu dependens á materia, siue habens existentiam actu dependentem á materia, exigit essentialiter recipi in materia, adeoq; non potest non recipi; quod apud me est indubitatum, licet non sit apud omnes certum, mihi enim semper visum fuit incredibile fieri posse, vt forma dependeat á materia in genere causæ materialis, & nō recipiatur in materia, vt dicā in tractatu de causis: sed exigentia inhærentiæ non est ipsa formalis inhærētia, sicuti exigentia risibilitatis nō est ipsa formalis risibilitas; alioquin animal rationale esset formaliter risibile, & exigentia lucis non est realiter ipsa formalis lux, aliter sol, qui exigit lucē, nō distingueretur á luce, ergo depēdētia formæ a materia, quæ formalissimè est actio per quam forma dependet á materia, non est ipsa formalis inhærentia, adeoque non est ipsa formalis communicatio, ergo si communicat formam materiæ non communicat formaliter, sed efficienter; vt dictum est.

24. Ad confirmationem: conc: ma: & nego min: quia licet fieri non possit, vt materia, & forma sint in eodem loco & tempore, quin vna recipiat aliam, non est idem materiam, & formam esse simul simultate loci, & esse simul simultate compositi, vt est notum ex terminis, sunt enim diuersæ denominationes; præterea non potest esse res in loco, quin simul existat, & tamen non est idem rem esse in loco, & rem existere, quia illud præstat vbicatio essentialiter distincta, hoc præstat existentia indistincta, quæ vt dictum est disp. 12. qu. 6. num. 10. identicè est essentia. Ad probationem minoris conc: antec: & nego conseq. disparitas est euidens, tum quia intellecta

pre-

præcisé existentia Petri, & existentia Pauli, in eodem tempore, intelligitur Petrum coexistere Paulo, & intellecta præcisé existentia materiæ, & existentia formæ in eodem loco non intelligitur compositum, tum quia simultas loci non ingreditur formalem conceptum rei existentis.

25. Ad vltimum: conc. antec: & nego conseq; est enim dispar ratio formæ, ac vnionis, quia illa non est formalis determinatio ad informandam materiam, cum possit existere, quin materiam informet, ista est formalis determinatio, adeoque non est indifferens. Cæterum effectus formalis, quem præstat vnio, non præstatur á forma, quia est determinatio formæ ad materiam perficiendam. Hinc est omnes effectus formales, qui præstantur á forma communicata materiæ, præstari, vt quod á forma, vt quo ab vnione, quæ est ratio formalis applicans formam materiæ. Ex hac doctrina sequitur sanctitatem animæ inhærentem denominare vt quod animam sanctam, & vnionem sanctitatis cum anima denominare vt quo: ratio est; quia vnio sanctitatis non est formalis sanctitas, sed est vltima determinatio sanctitatis ad sanctificandum, trahit enim essentialiter sanctitatem, cum fieri non possit, vt existat vnio sanctitatis non existente sanctitate. Eodem modo philosophandum est de illa mirabili vnione, quam vocant hypostaticam, eo quod increatam sanctitatem nimirum Verbum Diuinum naturæ humanæ coniungit, ea enim sanctificat, vt quod naturam humanam propter infinitam sanctitatem, quam communicat eidem naturæ.

QVÆ-

QVAESTIO III.

Vtrum vnio formæ substantialis cum materia sit accidens, vel substantia.

1. VIdetur esse accidens primo, quia potest existere compositum substantiale, licet vnio sit accidens, ergo vnio formæ cum materia est accidens. Antecedens probatur. Compositum, quod habet principia intrinseca substantialia, est substantiale, sed principia intrinseca corporis naturalis sunt substantialia, nimirum materia, & forma, etiamsi vnio sit accidens, ergo compositum est substantiale, licet vnio sit accidens, ergo, &c.

2. Secundo. Vnio sanctitatis cũ Anima etiamsi non sit identicè, & intransitiuè Sanctitas, facit *vt quo* Animam Sanctam, ergo à pari vnio formæ substantialis cum materia etiamsi non sit substantia, facit vt quo substantiam completam. Consequentia probatur, quia vnio nihil aliud præstat, quam communicare formam materiæ, sed ad communicandam formam materiæ, ratio substantiæ, vel accidentis materialiter se habet, ergo ratio substantiæ non requiritur in vnione ad faciendum totum substantiale.

3. Tertio. Per hoc præcisè, quod forma sit in materia tanquam actus in potentia, constituitur ens per se vnum, siuè substantia completa, sed forma est in materia, tanquam actus in potentia, siuè vnio sit accidens, vel substantia, ergo constituitur ens perse vnum, licet vnio sit accidens. Minor probatur, quia vnum lignum alteri colligatur æquè per vinculum argenteum, ac per vinculum aureum, ergo etiam

forma vnitur materiæ tanquam actus potentiæ æquè per vnionem accidentalem, ac substantialem.

4. Vltimo: Vnio licet sit entitas modalis, & relatiua, constituit substantiam, quæ est entitas realis, & absoluta, non modalis, & relatiua, ergo licet sit accidens potest constituere substantiam. Consequentia probatur primò à pari: Secundo, quia vnio eatenùs facit totum substantiale, vel accidentale, quatenùs communicat formam substantialem, vel accidentalem materiæ, ergo vnio, quæ communicat materiæ formam substantialem, constituit totum substantiale, licèt sit accidens. Confirmatur, quia totum substantiale est formalissimè forma substantialis communicata materiæ, ergo vnio accidentalis si communicat materiæ formam substantialem, facit totum substantiale.

5. Respondetur, vnionem formæ cum materia esse essentialiter substantialem.

6. Ratio a priori est, quia formalis determinatio formæ substantialis ad perficiendam materiam est essentialiter substantia, sed vnio formæ substantialis cum materia est formalis determinatio formæ substantialis ad perficiendam materiam, ergo essentialiter est substantia. Maior probatur. Determinatio formalis formæ substantialis ad perficiendam materiam est vnum formale constitutiuum substantiæ completæ, quia per illud formaliter constituitur substantia completa in esse substantiæ completæ, per quod forma determinatur in genere causæ formalis ad informandam materiam, sed formale constitutiuum substantiæ completæ non potest esse accidens, alioquin substantia completa quatenùs completa est, non esset vnum per se, sed vnum per accidens, illud enim, quod constituitur intrinsecè per aliquam partem accidentalem, est vnum per accidens, tùm quia malum

oritur

oritur ex singulis defectibus, bonum ex integra causa, túm quia album est vnum per accidens, eo quód includit albedinem, quæ est accidens, licet includat parietem, qui est substantia, ergo formalis determinatio formæ ad perficiendam materiam dicitur esse substantia, adeóque vnio est essentialiter substantia, quod erat demonstrandum.

7. Præterea, vel non datur vnio distincta, vel non est accidens, quia de ratione accidentis est ésse entis ens, nimirúm esse ordinatum ad aliud ens à se adæquatè distinctum, quod est idem formalissimè, ac aduenire enti iam constituto in aliqua specie entis completi, sed hoc verificari non potest de vnione distincta, túm quia vnio distincta ordinatur ad formandum compositum, à quo non est adæquatè distincta propter negationem adæquatæ distinctionis inter totum, & partem, túm quia vltimo constituit materiam in specie entis completi, cum formaliter determinet formam ad materiam informandam, ergo si est distincta non est accidens, ergo vel non est distincta, vel non est accidens. Accedit huic rationi, quod modus, (vt acute notat Suar. disp. 7. met. sect. 1. vbi totam hanc materiam de entitatibus modalibus breuiter & comprehensiué exhaurit) illius rei naturam, & rationem induit, quam modificat, adeóque reducitur ad idem prædicamentum, vt demonstrat inductio facta per huiusmodi rerum genera, inde est modum substantiæ esse substantiam, & modum accidentis esse accidens; est autem manifestum vnionem formæ substantialis cum materia esse modum substantiæ, quia copulando substantiam incompletam cum incompleta constituit compositum, quod est prima substantiá, ideó huiusmodi vnio debet esse substantia sicuti vice versa vnio formæ accidentalis cum materiá secunda, est accidens.

8. Ad

8. Ad primum, nego antec. ad eius probationem dist. mai. quod habet adæquatè principia substantialia est substantia: conc. mai. inadæquatè: nego mai. & distincta minori: nego consequentiam. Principia corporis naturalis, vt dictum est disp. 1. quæst. 3. nu. 7. sunt materia, & forma se mutuo perficientes, sed materia, & forma se mutuo perficientes sunt materia, & forma, & vnio, vt demonstratum est, quæst. 2. n. 11. ergo compositum non potest esse substantiale nisi materia, forma, & vnio sint substantia, neque proindè sequitur tria esse principia corporis in facto esse, quia vnio est principium vt quo, adeòque facit vnum cum materia, & forma, ad quas habet ordinem.

9. Ad secundum: conc. antec. & nego consequentiam. Disparitas inter vnionem Sanctitatis, quæ intransitiuè non est Sanctitas, & vnionem formæ, quæ intransitiuè est substantia, videtur euidens, quia vnio Sanctitatis facit aliquod concretum, cuius singulæ partes non sunt, immó non debent esse Sanctitas, cum faciat formaliter hominem Sanctum, qui vtique non est Sanctitas alioquin esset infinité Sanctus, quod repugnat: vnio verò formæ substantialis cum materia facit concretum physicum, cuius singulæ partes debent esse substantia, quia facit formaliter substantiam completam, cuius omnia constitutiua sunt substantia, forma enim substantialis si reciperetur in materia, quæ esset accidens, procul dubio non constitueret substantiam completam, vt illi etiam debent fateri, qui hoc nobis opponunt. Ad probationem consequentiæ dist. Mai: nihil aliud præstat, quám communicare formam materiæ in genere: nego mai. communicare in specie: conc. mai & dist. min. Ratio substantiæ, vel accidentis materialiter se habet ad communicandam in genere formam: conc. min. ad communicandam in specie: nego minorem, & conse-

quen-

quentiam. In genere, vt inquit Philoſophus, latent æquiuocationes; ideò ad definiendum an vnio ſit ſubſtantia, vel accidens, non debemus attendere rationem communicationis abſtractiſſimè conſideratam, ſed rationem talis communicationis, nimirùm communicationem contractam ad illam peculiarem ſpeciem communicationis, per quam forma ſubſtantialis communicatur materiæ, & fit compoſitum ſubſtantiale: ad hanc rationem communicationis procul dubio requiritur vnio ſubſtantialis, quia non ſufficit accidentalis, vt demonſtratum eſt, num. 6.

10. Ad tertium: conc. mai. & nego min. Oſtenſum eſt formam non eſſe in materia tanquam actum in potentia, actum inquam ſubſtantialem, de quo in præſenti ſermo eſt, niſi forma communicetur ſubſtantialiter materiæ, adeòque niſi communicatio ſit ſubſtantialis, ſed vnio eſt formaliſſimè communicatio, ergo non poteſt forma eſſe in materia tanquam actus in potentia, niſi vnio formæ cum materia ſit ſubſtantia, adeòque argumentum retorquetur. Ad probationem minoris concedo antecedens, & nego conſequentiam, quia vnum lignum alteri colligari eſt vnum fieri alteri contiguum, quod æquè bene præſtatur à nexu aureo, vel argenteo; formam verò communicari materiæ eſt fieri vnum per ſe ex materia, & forma, quod ab accidente præſtari non poteſt.

11. Ad vltimum: conc. antec. & nego conſequentiam. Ratio eſt, quia huiuſmodi conſequentia eſt optima: *totum eſt ſubſtantia, ergo qualibet pars eſt ſubſtantia*; non eſt bona hæc conſequentia: *totum eſt entitas abſoluta, & realis, ergo qualibet pars eſt entitas abſoluta, & realis*; ergo arguendo ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum antecedentis bene infertur: *qualibet pars huius compoſiti non eſt ſubſtantia, ergo totum non eſt ſubſtantia*: non benè infertur: *qualibet pars huius compoſiti non eſt*

entitas realis, & absoluta, ergo totum non est entitas realis, & absoluta. Ratio à priori, cur vna consequentia valeat, alia non valeat, est petenda ex alio discursu, qui naturam totius, & naturam partis intimè speculetur. Certum est eam esse naturam totius, vt aliquid verè, & aliquid falsò prædicetur de singulis partibus, quod verè de toto prædicatur. Quid hoc euidentius? De toto homine verè prædicatur ratio entis materialis, & mortalis; eadem falsó prædicatur de singulis partibus, quia Anima est immaterialis, & immortalis: Indè est, quod á sensu collectiuo, qui conuenit toti, ad sensum distributiuum, qui conuenit singulis partibus, sicuti á distributiuo ad collectiuum non semper valet, sed aliquando valet, aliquando nō valet consequentia. Si prædicatum conueniens toti includit defectum, & Imperfectionem, quæ tamen non transcendit per quamcumque rem creatam, tunc euidens est non valere consequentiam, vt ostendit propositum exemplum, non enim valet consequentia formali: *totum est materiale, ergo singulæ partes sunt materiales*: ratio est, quia defectus totius non arguitur ex defectu singularum partium, sufficit enim defectus vnius partis ad Imperfectionem refundendám in totum. Quod si prædicatum conueniens toti includit perfectionem, non repugnantem conceptui formali partis, potest verè prædicari de singulis partibus: ratio est, quia perfectio non repugnans conceptui formali partis non potest redundare in totum, quod componitur ex partibus, nisi proueniat á singulis partibus, id enim spectat ad rationem formalem boni, vt ex omni parte sit bonum: quia veró datur aliquod bonum essentialiter repugnans parti, quæ in suo formali conceptu includit defectum, ideó perfectio, quæ repugnat parti, potest conuenire toti, & singulis partibus non conuenire, immó nulli: Ratio entis completi est perfe-
ctio,

ctio, quæ toti conuenit, nulli parti conuenit, eò quod repugnat rationi partis, quæ essentialiter est ens incompletum: indè est non esse legitimam consequentiam: *singulæ partes sunt incompletæ, ergo totum est incompletum*, neque esse legitimam consequentiam: *totum est completum, ergo singulæ partes sunt completæ*, quia ratio entis completi singulis partibus conueniens tollitur per consortium vnius partis cum alia. Ratio substantiæ, quæ conuenit toti, est perfectio non repugnans conceptui formali partis, aliter materia, quæ est pars corporis naturalis, non esset substantia, ideò debet conuenire singulis partibus, & consequenter vnioni, quæ est pars compositi: ratio entis absoluti, & realis est perfectio repugnans parti, non quatenùs pars est, quia omni parti non repugnat, vt patet in materia, & forma, sed quatenùs talis pars est, quæ nimirùm est formale determinatiuum vnius partis ad aliam perficiendam, quia non potest totum existere, nisi vna pars intrinsecè perficiat aliam, adeòque nisi existat id, quod formaliter determinat vnam partem ad aliam perficiendam. Ex quo discursu manifestè sequitur, totum esse entitatem absolutam, & realem, etiamsi vnio non sit entitas absoluta, & realis, non esse substantiam, nisi vnio sit substantia, quod erat ostendendum.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrùm eadem sit vnio formæ cum materia, ac materiæ cum forma.

1. VIdetur non esse eadem primo, quia non est idem formam esse vnitam materiæ, & materiam esse vnitam formæ: aliter materia esset indi-

præcisé existentia Petri, & existentia Pauli, in eodem tempore, intelligitur Petrum coexistere Paulo, & intellecta præcisé existentia materiæ, & existentia formæ in eodem loco non intelligitur compositum, tum quia simultas loci non ingreditur formalem conceptum rei existentis.

25. Ad vltimum: conc. antec: & nego conseq; est enim dispar ratio formæ, ac vnionis, quiá illa non est formalis determinatio ad informandam materiam, cum possit existere, quin materiam informet, ista est formalis determinatio, adeoque non est indifferens. Cæterum effectus formalis, quem præstat vnio, non præstatur á forma, quia est determinatio formæ ad materiam perficiendam. Hinc est omnes effectus formales, qui præstantur á forma communicata materiæ, præstari, vt quod á forma, vt quo ab vnione, quæ est ratio formalis applicans formam materiæ. Ex hac doctrina sequitur sanctitatem animæ inhærentem denominare vt quod animam sanctam, & vnionem sanctitatis cum anima denominare vt quo: ratio est; quia vnio sanctitatis non est formalis sanctitas, sed est vltima determinatio sanctitatis ad sanctificandum, trahit enim essentialiter sanctitatem, cum fieri non possit, vt existat vnio sanctitatis non existente sanctitate. Eodem modo philosophandum est de illa mirabili vnione, quam vocant hypostaticam, eo quod increatam sanctitatem nimirum Verbum Diuinum naturæ humanæ coniungit, ea enim sanctificat, vt quod naturam humanam propter infinitam sanctitatem, quam communicat eidem naturæ.

QVÆ.

QVAESTIO III.

Vtrum vnio formæ ſubſtantialis cum materia ſit accidens, vel ſubſtantia.

1. VIdetur eſſe accidens primo, quia poteſt exiſtere compoſitum ſubſtantiale, licet vnio ſit accidens, ergo vnio formæ cum materia eſt accidens. Antecedens probatur. Compoſitum, quod habet principia intrinſeca ſubſtantialia, eſt ſubſtantiale, ſed principia intrinſeca corporis naturalis ſunt ſubſtantialia, nimirum materia, & forma, etiamſi vnio ſit accidens, ergo compoſitum eſt ſubſtantiale, licet vnio ſit accidens, ergo, &c.

2. Secundo. Vnio ſanctitatis cũ Anima etiamſi non ſit identicè, & intranſitiuè Sanctitas, facit *vt quo* Animam Sanctam, ergo à pari vnio formæ ſubſtantialis cum materia etiamſi non ſit ſubſtantia, facit vt quo ſubſtantiam completam. Conſequentia probatur, quia vnio nihil aliud præſtat, quam communicare formam materiæ, ſed ad communicandam formam materiæ, ratio ſubſtantiæ, vel accidentis materialiter ſe habet, ergo ratio ſubſtantiæ non requiritur in vnione ad faciendum totum ſubſtantiale.

3. Tertio. Per hoc præcisè, quod forma ſit in materia tanquam actus in potentia, conſtituitur ens per ſe vnum, ſiuè ſubſtantia completa, ſed forma eſt in materia, tanquam actus in potentia, ſiuè vnio ſit accidens, vel ſubſtantia, ergo conſtituitur ens per ſe vnum, licet vnio ſit accidens. Minor probatur, quia vnum lignum alteri colligatur æquè per vinculum argenteum, ac per vinculum aureum, ergo etiam

forma vnitur materiæ tanquam actus potentiæ æquè per vnionem accidentalem, ac substantialem.

4. Vltimo: Vnio licet sit entitas modalis, & relatiua, constituit substantiam, quæ est entitas realis, & absoluta, non modalis, & relatiua, ergo licet sit accidens potest constituere substantiam. Consequentia probatur primo à pari: Secundo, quia vnio eatenús facit totum substantiale, vel accidentale, quatenús communicat formam substantialem, vel accidentalem materiæ, ergo vnio, quæ communicat materiæ formam substantialem, constituit totum substantiale, licet sit accidens. Confirmatur, quia totum substantiale est formalissimè forma substantialis communicata materiæ, ergo vnio accidentalis si communicat materiæ formam substantialem, facit totum substantiale.

5. Respondetur, vnionem formæ cum materia esse essentialiter substantialem.

6. Ratio a priori est, quia formalis determinatio formæ substantialis ad perficiendam materiam est essentialiter substantia, sed vnio formæ substantialis cum materia est formalis determinatio formæ substantialis ad perficiendam materiam, ergo essentialiter est substantia. Maior probatur. Determinatio formalis formæ substantialis ad perficiendam materiam est vnum formale constitutiuum substantiæ completæ, quia per illud formaliter constituitur substantia completa in esse substantiæ completæ, per quod forma determinatur in genere causæ formalis ad informandam materiam, sed formale constitutiuum substantiæ completæ non potest esse accidens, alioquin substantia completa quatenús completa est, non esset vnum per se, sed vnum per accidens, illud enim, quod constituitur intrinsecè per aliquam partem accidentalem, est vnum per accidens, túm quia malum oritur

oritur ex ſingulis defectibus, bonum ex integra cauſa, túm quia album eſt vnum per accidens, eo quód includit albedinem, quæ eſt accidens, licet includat parietem, qui est ſubſtantia, ergo formalis determinatio formæ ad perficiendam materiam dicitur eſſe ſubſtantia, adeóque vnio est eſſentialiter ſubſtantia, quod erat demonſtrandum.

7. Præterea, vel non datur vnio diſtincta, vel non est accidens, quia de ratione accidentis est éſſe entis ens, nimirúm eſſe ordinatum ad aliud ens à ſe adæquatè diſtinctum, quod est idem formaliſſimè, ac aduenire enti iam conſtituto in aliqua ſpecie entis completi, ſed hoc verificari non poteſt de vnione diſtincta, túm quia vnio diſtincta ordinatur ad formandum compoſitum, à quo non est adæquatè diſtincta propter negationem adæquatæ diſtinctionis inter totum, & partem, túm quia vltimo conſtituit materiam in ſpecie entis completi, cum formaliter determinet formam ad materiam informandam, ergo ſi eſt diſtincta non eſt accidens, ergo vel non eſt diſtincta, vel non eſt accidens. Accedit huic rationi, quod modus, (vt acute notat Suar. diſp. 7. met. ſect. 1. vbi totam hanc materiam de entitatibus modalibus breuiter & comprehenſiué exhaurit) illius rei naturam, & rationem induit, quam modificat, adeóque reducitur ad idem prædicamentum, vt demonſtrat inductio facta per huiuſmodi rerum genera, inde eſt modum ſubſtantiæ eſſe ſubſtantiam, & modum accidentis eſſe accidens; eſt autem manifeſtum vnionem formæ ſubſtantialis cum materia eſſe modum ſubſtantiæ, quia copulando ſubſtantiam incompletam cum incompleta conſtituit compoſitum, quod eſt prima ſubſtantiá, ideó huiuſmodi vnio debet eſſe ſubſtantia ſicuti vice verſa vnio formæ accidentalis cum materia ſecunda, eſt accidens.

8. Ad

8. Ad primum, nego antec. ad eius probationem dist. mai. quod habet adæquatè principia substantialia est substantia: conc. mai. inadæquatè: nego mai. & distincta minori: nego consequentiam. Principia corporis naturalis, vt dictum est disp. 1. quæst. 3. nu. 7. sunt materia, & forma se mutuo perficientes, sed materia, & forma se mutuo perficientes sunt materia, & forma, & vnio, vt demonstratum est, quæst. 2. n. 11. ergo compositum non potest esse substantiale nisi materia, forma, & vnio sint substantia, nequè proindè sequitur tria esse principia corporis in facto esse, quia vnio est principium vt quo, adeòque facit vnum cum materia, & forma, ad quas habet ordinem.

9. Ad secundum: conc. antec. & nego consequentiam. Disparitas inter vnionem Sanctitatis, quæ intransitiuè non est Sanctitas, & vnionem formæ, quæ intransitiuè est substantia, videtur euidens, quia vnio Sanctitatis facit aliquod concretum, cuius singulæ partes non sunt, immò non debent esse Sanctitas, cum faciat formaliter hominem Sanctum, qui vtique non est Sanctitas alioquin esset infinité Sanctus, quod repugnat: vnio verò formæ substantialis cum materia facit concretum physicum, cuius singulæ partes debent esse substantia, quia facit formaliter substantiam completam, cuius omnia constitutiua sunt substantia, forma enim substantialis si reciperetur in materia, quæ esset accidens, procul dubio non constitueret substantiam completam, vt illi etiam debent fateri, qui hoc nobis opponunt. Ad probationem consequentiæ dist. Mai: nihil aliud præstat, quám communicare formam materiæ in genere: nego mai. communicare in specie: conc. mai & dist. min. Ratio substantiæ, vel accidentis materialiter se habet ad communicandam in genere formam: conc. min. ad communicandam in specie: nego minorem, & consequen-

quentiam. In genere, vt inquit Philosophus, latent æquiuocationes; ideò ad definiendum an vnio sit substantia, vel accidens, non debemus attendere rationem communicationis abstractissimè consideratam, sed rationem talis communicationis, nimirùm communicationem contractam ad illam peculiarem speciem communicationis, per quam forma substantialis communicatur materiæ, & fit compositum substantiale: ad hanc rationem communicationis procul dubio requiritur vnio substantialis, quia non sufficit accidentalis, vt demonstratum est, num.6.

10. Ad tertium: conc. mai. & nego min. Ostensum est formam non esse in materia tanquam actum in potentia, actum inquam substantialem, de quo in præsenti sermo est, nisi forma communicetur substantialiter materiæ, adeòque nisi communicatio sit substantialis, sed vnio est formalissimè communicatio, ergo non potest forma esse in materia tanquam actus in potentia, nisi vnio formæ cum materia sit substantia, adeòque argumentum retorquetur. Ad probationem minoris concedo antecedens, & nego consequentiam, quia vnum lignum alteri colligari est vnum fieri alteri contiguum, quod æquè bene præstatur à nexu aureo, vel argenteo; formam veró communicari materiæ est fieri vnum per se ex materia, & forma, quod ab accidente præstári non potest.

11. Ad vltimum: conc. antec. & nego consequentiam. Ratio est, quia huiusmodi consequentia est optima: *totum est substantia, ergo qualibet pars est substantia*; non est bona hæc consequentia: *totum est entitas absoluta, & realis, ergo qualibet pars est entitas absoluta, & realis*; ergo arguendo ab opposito consequentis ad oppositum ántecedentis bene infertur: *qualibet pars huius compositi non est substantia, ergo totum non est substantia*: non benè infertur: *qualibet pars huius compositi non est*

entitas realis, & absoluta, ergo totum non est entitas realis, & absoluta. Ratio á priori, cur vna consequentia valeat, alia non valeat, est petenda ex alio discursu, qui naturam totius, & naturam partis intimè speculetur. Certum est eam esse naturam totius, vt aliquid verè, & aliquid falsò prædicetur de singulis partibus, quod verè de toto prædicatur. Quid hoc euidentius? De toto homine verè prædicatur ratio entis materialis, & mortalis; eadem falsó prædicatur de singulis partibus, quia Anima est immaterialis, & immortalis: Indè est, quod á sensu collectiuo, qui conuenit toti, ad sensum distributiuum, qui conuenit singulis partibus, sicuti á distributiuo ad collectiuum non semper valet, sed aliquando valet, aliquando nō valet consequentia. Si prædicatum conueniens toti includit defectum, & Imperfectionem, quæ tamen non transcendit per quamcumque rem creatam, tunc euidens est non valere consequentiam, vt ostendit propositum exemplum, non enim valet consequentia formali: *totum est materiale, ergo singulæ partes sunt materiales*: ratio est, quia defectus totius non arguitur ex defectu singularum partium, sufficit enim defectus vnius partis ad Imperfectionem refundendam in totum. Quod si prædicatum conueniens toti includit perfectionem, non repugnantem conceptui formali partis, potest verè prædicari de singulis partibus: ratio est, quia perfectio non repugnans conceptui formali partis non potest redundare in totum, quod componitur ex partibus, nisi proueniat á singulis partibus, id enim spectat ad rationem formalem boni, vt ex omni parte sit bonum: quia veró datur aliquod bonum essentialiter repugnans parti, quæ in suo formali conceptu includit defectum, ideó perfectio, quæ repugnat parti, potest conuenire toti, & singulis partibus non conuenire, immó nulli: Ratio entis completi est perfe-

ctio,

ctio, quæ toti conuenit, nulli parti conuenit, eò quod repugnat rationi partis, quæ essentialiter est ens incompletum: indè est non esse legitimam consequentiam: *singulæ partes sunt incompletæ, ergo totum est incompletum*, neque esse legitimam consequentiam: *totum est completum, ergo singulæ partes sunt completæ*, quia ratio entis completi singulis partibus conueniens tollitur per consortium vnius partis cum alia. Ratio substantiæ, quæ conuenit toti, est perfectio non repugnans conceptui formali partis, aliter materia, quæ est pars corporis naturalis, non esset substantia, ideó debet conuenire singulis partibus,& consequenter vnioni, quæ est pars compositi: ratio entis absoluti, & realis est perfectio repugnans parti, non quatenùs pars est, quia omni parti non repugnat, vt patet in materia, & forma, sed quatenùs talis pars est, quæ nimirùm est formale determinatiuum vnius partis ad aliam perficiendam, quia non potest totum existere, nisi vna pars intrinsecé perficiat aliam, adeòque nisi existat id, quod formaliter determinat vnam partem ad aliam perficiendam. Ex quo discursu manifesté sequitur, totum esse entitatem absolutam, & realem, etiamsi vnio non sit entitas absoluta, & realis, non esse substantiam, nisi vnio sit substantia, quod erat ostendendum.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrùm eadem sit vnio formæ cum materia, ac materiæ cum forma.

1. VIdetur non esse eadem primo, quia non est idem formam esse vnitam materiæ, & materiam esse vnitam formæ: aliter materia esset indi-

stincta á forma, ergo vnio formæ cum materia non est vniò materiæ cum formá: ergo vnio formæ cum materia est distincta ab vnione materiæ cum forma. Consequentia probatur. Implicat denominationes esse distinctas, quando constitutiua sunt eadem, sed constitutiua formæ vnitæ cum materia, & materiæ vnitæ cum forma sunt eadem, ergo vel denominationes non sunt distinctæ, vel vnio est distincta.

2. Secundò. Forma ideò vnitur materiæ per vnionem distinctam, quia est indifferens: sed etiam materia est indifferens, ergo vnitur per vnionem distinctam ab vnione formæ cum materia. Consequentia probatur, quia formale determinatiuum formæ ad informandam materiam non est formale determinatiuum materiæ ad recipiendam formam, sed formale determinatiuum est vnio, ergo vnio materiæ cum forma non est vnio formæ cum materia.

2. Tertio. Intellecta forma communicata materiæ, non intelligitur formaliter materia recipiens formam, ergo non est eadem formá, quæ communicat materiæ formam, & formæ materiam. Antecedens probatur, quia sunt formales conceptus diuersi.

4. Quarto. Forma potest vniri materiæ, quin vniatur materia formæ, ergo non vnitur per eandem vnionem. Antecedens probatur primo, quia vnio non mutua non opponitur formali conceptui vnionis secundum rationem abstractissimam vnionis, alioquin non posset amans vniri amando cum amato, nisi amatum vniatur amanti redamando, quod est apertè falsum, sunt enim plurimi, qui amant non redamati: secundo quia potest vnum extremum intrinsecè perfici ab alio extremo, quod intrinsecè non perficitur, vt contingit in natura humana, quæ intrinsecè perficitur á Verbo Diuino, quin Verbum perfi-

perficiatur, ergo non est de formali conceptu vnionis abstractissimé sumptę vnio mutua.

5. Quinto. Anima rationalis non potest vniri corpori per eandem vnionem, per quam corpus vnitur Animæ, ergo non omnis forma informans materiam vnitur materiæ per eandem vnionem, per quam formæ vnitur materiá. Antecedens probatur, quia vnio, per quam corpus vnitur Animæ, est materialis, sed vnio, per quam Anima vnitur corpori, est immaterialis, quia Anima, quæ vnitur, est immaterialis, ergo non est eadem.

6. Sexto. Si relatio Patris ad filium esset entitas distincta ab vtroq; extremo, modus, quo pater refertur ad filium non esset idem, ac modus, quo filius refertur ad patrem; sed vnio materiæ cum forma est entitas distincta ab vtroq; extremo, ergo vnio, per quam forma vnitur materiæ, est distincta ab vnione materię cum forma. Conseq. prob. primò, à pari: secundo ideò est distinctus modus in relatione, quia extrema relationis sunt distincta: sed etiam extrema vnionis sunt distincta, ergo debet esse distinctus modus in vnione.

7. Septimo. Si vnio materię cum forma est indistincta ab vnione formę cum materia, sequitur duo extrema inuicem vniri non existente vnione in vtroque extremo, consequens est falsum, ergo & antecedens. Maior patet, quia vnio formæ cum materia indistincta ab vnione materię cum forma vnicum habet subiectum, in quo recipitur, & à quo sustentatur. Minor probatur. Non minus vnitur materia formæ, quàm forma materiæ, ergo si materia vnitur formæ per vnionem receptam in materia, etiam forma vnitur materiæ per vnionem receptam in forma.

8. Vltimo. Vnio si non recipitur in forma, sed tantùm in materia, non est intrinseca formæ, consequens est falsum: ergo & antecedens. Sequela probatur,

quia valet hæc consequentia, forma est vnita materiæ, ergo intrinsecè recipit vnionem. Minor probatur, quia entitas, quæ est essentialiter nexus formæ cum materia, est intrinseca formæ, sed vnio est essentialiter nexus formæ cum materia, ergo est intrinseca formæ. Confirmatur, quia non est maior ratio cur subiectum vnionis sit potius materia, quàm forma, cum vtraque vniatur intrinsecé.

9. Respondetur: pro complemento huius disputationis, in qua de formali principio corporis naturalis sermonem habemus, necesse est soluere aliqua dubiá circa vnionem, quam statuimus esse formale determinatiuum formæ substantialis ad informandam materiam, adeoque formale constitutiuum vt quo corporis naturalis, quod ex materia, & forma se mutuò perficientibus componitur. Primo dubitatur, an vnio formæ cum materia sit realiter distincta ab vnione materiæ cum forma: adeoque duplex ne, an vnica tantum sit vnio essentialis in corpore naturali. Secundo: posito, quod sit realiter indistincta, & consequenter vnica, an in vtroque extreme tanquam in subiecto recipiatur, an in alterutro. Tertió: posito, quod recipiatur in alterutro, in forma ne, an in materia: pro quo suppono subiectum aliud esse receptionis, aliud sustentationis: subiectum receptioptionis est illud, quod in se recipit aliud ens, á quo perficitur, vt corpus, quod recipit animam, á qua perficitur: subiectum sustentationis est illud ens, quod in genere causæ materialis producit aliud ens, ità materia est subiectum sustentationis formæ materialis, quiá in genere causæ materialis eam producit.

10. Dico primo: Vnio formæ cum materia est realiter indistincta ab vnione materię cum forma. Itá Suar. disp.3. sect. 9. Gabriel Vasquez tom.1. in 3. part. disp.9. cum alijs recentioribus.

11. Pro-

11. Probatur: repugnat formam vniri materiæ, & materiam non vniri formæ, ergo per eandem vnionem forma vnitur materiæ, & materia formæ. Antecedens probatur, quia formam vniri materiæ est formalissimé formam communicari materiæ tanquā actum potentiæ, sed repugnat formam communicari materiæ, tanquam actum potentiæ, & materiam non vniri formæ, ergo repugnat formam vniri materiæ, & materiam non vniri formæ. Minor patet, quia materiam vniri formæ tanquam potentiam actui nihil est aliud præcisé, quam materiam esse illud ens, quod recipit formam, sed implicat in terminis formam recipi in materiá, tanquam actum in potentia, & materiam non esse illud ens, quod recipit formam eo modo, quo potentia recipit actum, ergo &c. quomodo enim fieri potest, vt forma recipiatur in materia, & materia non recipiat formam, adeoque forma vniatur materiæ, tanquam actus suæ potentiæ, & materia non vniatur formæ tanquam potentia suo actui. Ratio à priori huius repugnantiæ est, quia formam esse in materia, tanquam actum in potentia nihil est aliud, quam formam intrinsecé perficere materiam: sed repugnat, vt forma intrinsecè perficiat materiam, & materia non perficiat intrinsecè formam, ergo repugnat, vt forma communicetur materiæ tanquam actus potentiæ, & materia non communicetur formæ tanquam potentia actui. Minor est certa: tum quia forma est intrinsecè perfectibilis, quandoquidem est ens incompletum, ergo non potest perficere, nisi perficiatur, non enim perficit ex abundantia, sed ex indigentia perfectionis, cum perficiat, & perficiatur; tum quia ex eo quod forma intrinsecé perficit materiam, resultat aliquid perfectius, quam materia, & forma, nimirum compositum, ergo tam forma perficit materiam, quam ma-

teria formam, cum formam perfici a materia nihil aliud sit, quam ex materia, & forma fieri aliquid perfectius forma.

13. Hactenus demonstrátá est veritas antecedéntis, superest demonstranda consequentia enthymematis. Si repugnat materiam non communicari formę, quando forma communicatur materiæ, indifferentia materiæ ad recipiendam formam tollitur præcisé per vnionem formæ cum materia: si indifferentia materiæ tollitur præcisé per vnionem formæ cum materia, non est cur ponatur vnio distincta ab vnione formæ cum materia, quia necessitas ponendi vnionem distinctam ab extremis est necessitas tollendi illam formalem indifferentiam, quam habet vnum extremum, vt alteri connectatur: neque enim potest vnio exercere aliud munus, quam esse formale determinatiuum duarum rerum, quæ inuicem comparantur, sicuti actus, & potentia, vt mutuo se perficiant, adeoque vna alteram informet. Quod si non est, cur ponatur vnio materiæ cum forma realiter distincta ab vnione formæ cum materia, euidens est materiam vniri formæ per eam vnionem per quam forma vnitur materiæ, quia vnio materiæ cum forma distincta ab vnione formæ cum materia ad nullum finem conduceret, adeoque foret superflua: quod vitium in naturam cadere non potest, cui repugnat non minus prodigentia, quám auaritia, omnia enim summo consilio operatur. De primo igitur ad vltimum, si repugnat formam communicari materiæ, & materiam non communicari formæ, eadem est vnio formæ cum materia, ac materiæ cum forma, adeoque sequitur necessitate consequentiæ identitas realis inter vtramque vnionem, quod erat demonstrandum: realis inquam identitas, quia de formali distinctione non agitatur quæstio, neque enim apparet ratio dubitandi,

cum

cum formalis conceptus vnionis formæ cum materia non sit formalis conceptus vnionis materię cum forma, sicuti formalis conceptus intellectus cognoscentis non est formalis conceptus rei cognitæ; licet vterque proueniat ab eadem forma, nimirum á cognitione.

13. Ex hoc discursu nascitur alius discursus minimé contemnendus circa modum, quo materia, & forma, hoc est entia substantialia, quæ se habent per modum potentiæ, & actus, vniantur inuicem ad faciendum vnum per se, nimirum compositum, qued est corpus naturale: modum inquam longé diuersum ab eo, quo natura humana, & natura Diuina vniuntur inuicem in Christo ad faciendum vnum per se; id enim obseruasse vtilissimum erit, tum ad habendam rudem aliquam huius mysterij intelligentiam; tum ad ea soluenda, quæ nobis aliqui recentiores opponunt contra præfati discursus veritatem ex Verbi Diuini Incarnatione.

14. Certum est, humanam naturam vniri Verbo non per accidens, sed per se, adeoque Christum esse vnum per se, non vnum per accidens, vt docent omnes Theologi cum S. Thoma in 3. parte, adhibentes ad eiusdem rei clariorem explanationem appositissimum exemplum animæ, & corporis, quæ faciunt vnum per se, eoque vtitur signaté S. Athanasius in Symbolo fidei: *Sicuti anima, & caro vnus est homo, ita Deus, & homo vnus est Christus.* Præterea certum est non esse ita insistendum proposito exemplo de vnione animæ cum corpore ad explicandam vnionem humanitatis cum Verbo, vt promiscué ad hanc traducantur omnia, quæ illi conueniunt; aliter esset necesse offendere in eos scopulos errorum, quos Ecclesia damnauit, vt modo ostendo.

14. Primó ex anima, & corpore fit tertia quædam sub-

substantia, eaque vocatur natura hominis, quæ coalescit ex duplici natura animæ nimirum, & corporis inuicem permixtis, & est principium operationum, quæ proueniunt ab homine: hoc non contingit in vnione humanitatis cum Verbo, quiá in Christo sunt duæ naturæ distinctæ, adeoque distinctæ voluntates, distincti intellectus, nimirum humana, & diuina, ex quibus non resultat tertia quędam natura tanquam principium commune omnium operationum. Hinc est, quòd vnio humanitatis cum Verbo non est facta in natura diuina, sed in persona, vt esse certum ex fide pluribus ostendit Suar. tom.1. in 3. part. disp.7. sect. 2. quia verò idem sonat latiné persona, ac Gręcé hypostasis, ideò prædicta vnio vocatur hypostatica, eo quod duæ sunt in Christo naturę eadem hypostasi subsistentes, siue eadem persona, quæ est diuiná, personatæ: ratione identitatis in persona, siue supposito fit, vt id, quod est proprium naturę diuinæ, per communicationem idiomatum veré prædicetur de homine, & vice versa, quod est proprium naturę humanæ veré prædicetur de Deo: itá veré dicitur Deus mortuus, & cruci affixus, sicuti veré dicitur homo omnipotens, omniscius appellando Christum, & alia id genus, quæ vni Deo conueniunt. Præterea operationes, quas humana naturá Verbo hypostaticé vnita exercet, vocantur theantricæ hoc est hominis Dei, quia sunt á natura humana tanquam á principio eliciente, á Verbo Diuino tanquam à principio dignificante, vnde sortiuntur vim merendi, & satisfaciendi simpliciter infinitam.

11 Secundo: anima vnitur corpori tanquam actus potentiæ, immò tanquam forma informans substantialiter materiam, non enim potest alia de causa fieri ex anima, & corpore tertia substantia completa, nisi anima sit ens incompletum, adeoque comparetur cum

corpore, ficuti actus cum potentia, vt alibi demonstratum eft: hoc nullatenus contingit in vnione hypoftatica: ratio eft, quia Verbum diuinum, licet perficiat humanitatem, eam tamen non perficit tanquam forma informans, fed eo ipfo, quòd non perficit tanquam forma informans, non vnitur humanitati tanquam actus potentiæ, ergo vnio Verbi cum humanitate non eft vnio actus cum potentia. Ma: patet, quia Verbum ita perficit, vt fiftat in fe, quia perficit humanitatem, affumendo illam ad fuum effe perfonale, neque poteft alia ratione perficere; fed perficiendo humanitatem ita, vt fiftat in fe, non eft forma informans, quia forma informans materiam non fiftit in fe, fed in compofito, quod eft fe perfectius, ergo &c.

16 Tertio: anima non folum perficit corpus, fed etiam perficitur á corpore, Verbum verò perficit naturam humanam, non perficitur; id euidenter fequitur ex dictis, quia anima vnitur corpori vt forma, Verbum non vnitur vt forma: fed forma non folum perficit materiam; fed etiam perficitur á materia: ergo Verbum perficit naturam humanã, non perficitur á natura humana, immó repugnat perfici, eft enim perfectiffimũ ratione infinitæ perfectionis, adeoque vlteriùs non perfectibile. Hinc eft illud, quod refultat ex anima, & corpore, effe perfectius fola anima, illud verò, quod refultat ex Verbo, & humanitate non effe perfectius folo Verbo, quia Verbum non eft perfectius in ftatu vnionis, quem habet in tempore, quàm in ftatu feparationis, quem habuit ab æterno, ficuti non eft perfectius complexum ex Deo, & Creatura, quàm folus Deus, vt eft manifeftum: vnde vlterius fit, animam communicari corpori ex indigentia, non ex abundantia perfectionis, quia perficit, & perficitur; Verbum communicari humanitati ex abundantia, non ex indigentia perfectionis, quia perficit, non perficitur eo

pro-

proportionali modo, quo in Mysterio Trinitatis Diuinitas, quæ est in Patre, communicatur identicè Filio ex abundantia perfectionis.

17 Ex quo discursu tandem colligitur non repugnare, vt vnum extremum perficiat, quin perficiatur, quando perficit per modum suppositi, siue quod in idem recidit, extremum communicatum est infinitè perfectum, cæterum repugnat quin perficiatur, quando perficit eo modo, quo actus perficit potentiã, quia nullus actus perficiens potentiam est infinitum esse, omnis enim actus in quantum actus est essentialiter ens incompletũ, adeoque ens perfectibile. Hinc est, quòd Verbum dicitur quidem intrinsecũ humanitati, quia perficit intrinsecè humanitatem, sed humanitas non appellatur in rigore locutionis scholasticæ intrinseca Verbo, quia non perficit intrinsecè Verbum; constat igitur quomodo possit vnum ens completum alteri enti communicari, & facere cum illo vnum per se, quod nimirum contingit, quando ens completum, quod communicatur, est infinitum, adeoque non potest se communicando amittere suum esse personale, quod necesse est amitti ab illo ente, cui communicatur.

18 Dico secundo: subiectum, quod recipit, & sustentat vnionem, non est vtrumque, sed alterutrum extremum.

19 Probatur: vnio materiæ cum forma præstat omnem effectum formalem, qui nimirum consistit in determinatione materiæ, & formæ ad mutuam sibi perfectionem communicandam, etiamsi recipiatur in alterutro extremo, ergo non est necesse, vt in vtroque recipiatur, ergo &c. Prima consequentia est euidens, quia vnio non habet indigentiam vtriusque extremi, tanquam subiecti sustentantis, si totum effectum formalem præstare potest, etiamsi in vno tantum recipia-

pia-

piatur. Antecedens probatur primo: vnio per hoc præcisè, quod sit in vno extremo tanquam in subiecto, nimirum in materia, determinat in genere causæ formalis materiam ad recipiendam formam; adeoque determinat formam ad communicandam materiæ suã perfectionem: sed determinando formam ad communicandam perfectionem suam materiæ, determinat materiam ad communicandam suam perfectionem formæ, ergo determinat materiam, & formam ad mutuam sibi perfectionem communicandam; etiamsi in vno extremo recipiatur: secundo in omni composito nõ requiritur vnio in vtroque extremo recepta, vt patet in composito humano, vbi vnio materialis non potest recipi in anima immateriali, substantia enim immaterialis non potest sustentare aliquid materiale; quidquid sit an possit recipere, de quo non videtur dubium, tum quia anima recipit actus materiales vitæ sentientis, tum quia immateriale potest recipi in subiecto materiali, nimirum anima in corpore: ergo in nullo composito id requiritur, cum relaté ad effectum formalem, quem debet vnio præstare, sit omninó impertinens discrimen vnius compositi ab alio. Non est hic prætereundum, fuisse studiosè dictum vnionem habere indigentiam vtriusque extremi tanquam subiecti, vt occurrerem difficultati, quæ videtur in promptu ex natura entis modalis petita, quod est essentialiter affixum illi rei, cuius est modus, non enim mihi est animus negare, quód vnio materiæ cum forma habeat indigentiam vtriusque extremi, vt existat, aliter mihi contradicerem, qui docui vnionem esse ens modale, quod materiam, & formam modificat: illud solum contendo, quód vtroque extremo non indiget tamquã subiecto, quod est verissimum: quomodo veró vtroque indiget, si vno tanquam subiecto non indiget? Dico indigere vno tanquam subiecto, alio tanquam termino in-

ne in Metaph. & tamen Pater vere non est filius: vnde hoc? quia nimirum id, pro quo supponit Pater, non est id, pro quo supponit filius, siuè id, quod significatur in recto in relatione paternitatis, significatur in obliquo in relatione filiationis: idē mutatis terminis contingit in præsenti, vbi materia vnita formæ non est forma vnita materiæ, licet constitutiua significata sint eadem.

32 Ad secundum: concedo ma: & dist: min: est indifferens eadem indifferentia conc. min. diuersa: nego min. & consequentiam. Ad eius probationem nego maiorem, quam esse falsam constat ex dictis num. 18.

33. Ad tertium: dist. antecedens: non intelligitur formaliter in sensu formali, & præcisiuo: omitto antecedens, formaliter in sensu reali, & positiuo; nego antec: & consequentiam. Mirum est quot modis vsurpetur á scholasticis hic terminus *formaliter*, vnde oriuntur innumeræ æquiuocationes: quantum attinet ad rem præsentem dico posse dupliciter vsurpari, quod frequentissimè contingit: vno modo in sensu formali, & præcisiuo, quando nimirum appellat cognitionem præcisiuam nostræ mentis vnam formalitatem ab alia præscindentis, quam cognitionem in logica docuimus tomo 1. disput. 3. quæstione vltima nu. 11. esse cognitionē inadæquatam obiecti: ita animal formaliter non est rationale, quia cognitio inadæquata, quæ repræsentat formaliter animal, non repræsentat formaliter rationale: terminum *formaliter* in hoc sensu vsurpatum apertè constat non posse verificari præscindendo ab omni operatione intellectus; quomodo enim potest esse verùm præcisa quacumque intellectus operatione id, quod formaliter constituitur per ipsam intellectus operationē? Inde est hanc propositionem: *nullo intellectu cogitante animal formaliter non est rationale*, sibi contradicere idē affirmādo simul, & negādo.

34 Alius modus, in quo vsurpatur idem terminus

for-

formaliter, est in sensu reali, & positiuo, quando nimirum appellat formam, á qua oritur effectus formalis, quæ forma cum sit realis, etiam effectus formalis est realis, adeoque nullo intellectu cogitante res aliquá formaliter realiter, siue formaliter positiué est talis, quando est realiter forma, á qua emanat effectus formalis: itá paries est formaliter realiter albus, quia vt paries veré sit albus non est necesse id ab intellectu cognosci, cum satis sit formam albedinis esse in pariete. Hinc est posse duos conceptus formales esse diuersos, eò quód vnus ab alio præscindit, & tamen esse effectus formales realiter prouenientes ab eadem forma: id patet clarissimé in formis intentionalibus: eadem cognitio denominat formaliter cognoscentem intellectum, & cognitum obiectum; nihilominus conceptus formalis cognoscentis non est formalis conceptus cogniti, adeoque vnus potest intelligi alio non intellecto; neque tamen fieri potest, vt realiter formaliter sit obiectum cognitum, & intellectus non sit formaliter realiter cognoscens. In re præsenti potest intellectus concipere materiam vnitam formæ non concipiendo formam vnitam materiæ, sed non potest esse realiter forma denominans formaliter materiam vnitam formæ, & non esse forma denominans formaliter formam vnitam materiæ, quia est vna, & eadem. Hæc doctrina est diligenter attendenda, quia plurima soluit argumenta, quæ fieri solent contra nostram sententiam de mundo possibili, & de negationibus tradendam in metaph. Certum est conceptum formalem mundi possibilis non esse conceptum formalem chimæræ impossibilis, nihilominus eadem forma, quæ in genere causæ formalis denominat possibilem mundũ, denominat impossibilem chimeram, vt dicam suo loco.

35 Ad 4. Nego antecedens. Ad eius probationẽ dico

dico id repugnare neu ex conceptu abstractissimò vnionis, sed solum ex conceptu talis vnionis, quæ nimirum communicat formam materiæ tanquam actum incompletum suæ potentię. Hinc patet disparitas inter vnionem personę amantis cum re amata, & vnionem formę cum materia, quia illa est moralis, & affectiua, hęc realis, & physica: exemplum vnionis hypostaticę non est ad rem, quia est vnio entis completi, atquè infinitè perfecti, quod propterea perficit non perficitur, vt patet ex pręcedenti discursu num. 14. & sequ: adeoque est vnio, per quam fit vnum suppositū non vna natura, vt contingit in materiá, & forma, quæ transeunt in tertiam naturam.

36 Ad quintum nego antecedens: ad eius probationemconc. ma: & nego minorem, quia sicuti anima recipitur in subiecto materiali, ita vnitur per vnionem materialem, quæ tamen in anima non recipitur, sed in materia: ratio est, quia huiusmodi vnio est formalis determinatio animæ rationalis ad faciendum hominem, qui est substantia materialis.

37 Ad sextum transeat ma: & concessa min. nego consequentiam. Disparitas inter relationem, & vnionem est, quia relatio non est talis ex natura sua, vt extrema, quæ referuntur, debeant esse in eodem loco: vnio é contrariò est talis, vt extrema, quæ vniuntur, debeant esse in eodem loco, adeoque hæc possunt per eandem vnionem vniri, illa non possunt per eandem relationem referri.

38 Ad 7. dist. ma: non existente vnione in vtroque extremo subiectiué tantum concedo ma: subiectiuè vel terminatiuè nego ma: & min: vnio non est subiectiuè in vtroque extremo, vt ostensum est num. 18. est enim subiectiué in materia, & terminatiuè in forma, quia terminatur ad formam.

39 Ad vltimum dist. ma: non est intrinseca subie-

Actiue concedo ma: terminatiuè nego ma: & min: Forma vt vniatur intrinsecè materiæ, non debet in se recipere vnionem, sufficit enim si vnio recepta in materia terminetur ad formam, à qua intrinsece perficitur materia. Disparitas inter materiam, & formam circa subiectum vnionis adducta est in tertia assertione.

DISPVTATIO QVINTA.

De Natura, et Arte.

Exactis ijs, quæ spectant ad principia in genere, & specie corporis naturalis, aggreditur Aristoteles secundum librum de physico auditu, vbi totus est in speculatione naturæ, quæ nihil est aliud, quã tota substantia rerum naturalium: quia verò opera, quæ fiunt ab arte, manuducunt intellectum ad opera naturæ cognoscenda, ideo operæ pretium duxit Philosophus nonnulla ad artem spectantia hic delibare, antequam se totum causis speculandis committeret.

QVÆ-

QVAESTIO I.

Quid sit natura, et ars, et an natura sit perfectior arte,

1 MVltipliciter solet vsurpari à Philosophis nomen naturæ: quandoque accipitur pro qualibet re creata, quandoque pro sola mente diuina rerum omnium effectrice, ac parente; in quo sensu loquutus creditur Socrates, dum in libro 4. de off. asserit naturā nihil aliud esse, quám Deum; & D. Augustinus in 15. de Trinitate cap. 1. vbi castigatius loquitur, dicens: *Deus est natura non creata, sed creatrix*: inde est quod ad vnam naturam ab alia secernendam, vsus inualuit, vt quæcumque res creata appellaretur natura (barbaro licet nomine) naturata, Deus veró natura naturans eo enim spectare videtur illud Aristotelis effatum, *opus naturæ est opus intelligentiæ*, quia tantum Philosophū non latuit existentia naturæ naturantis, quæ omnia per intellectum operatur: de hac non est in præsenti sermo, vbi circa rerum naturalium, quas sensibus vsurpamus, notitiam detinemur.

2. Præterea nomen naturæ adhiberi solet ad significandam promiscué rerum omnium essentiam: quia vero nulla res existit, quæ non habeat essentiam peculiarem, vt demonstrauimus in tractatu de essentiá, & existentia disp. 2. qu. 3. num. 4. consequens est, vt nulla sit res, quæ non habeat propriam naturam, adeoque naturæ nómine non debeat appellari. Inde est, quod definitio, quam adhibemus ad venandam rerum essentiam, dicitur oratio explicans naturam definiti: in hoc sensu loquutus est Augustinus, dum in libro secundo de moribus Manichæorum cap. 2. essentiam appellauit naturam: iuxta hanc na-

turæ amplissimam significationem manifestum est naturam conuenire indiuisim accidentibus, & substantijs, licet potiori iure substantiæ, quam accidenti: sicuti potiori iure conuenit substantiæ ratio entis, vt docuimus in logica agentes de prædicamentis disp. 9. qu. 1. num. 8. & docebimus in Metaph. agentes de Analogia entis.

3. Hinc Aristoteles, qui iuxta suam sententiam alibi ex professo traditam de ente analogo, probé nouerat non posse rationem naturæ prædicari de accidēte nisi secundum quid, siuè cum termino diminuente, vt contingit in omnibus terminis analogis, qui prædicantur de minus principali analogato: in 5. Met. text. secundo, vbi de varijs modis philosophatur, quibus significari potest natura, diserté docet solam substantiam esse naturam, cum accidens dicatur participare naturam in ordine ad substantiam: quia veró ratio substantiæ rebus non tantum materialibus, sed etiam immaterialibus, immó ipsi Deo conuenit, ideó nomen naturæ traduci solet ad significandas tùm res materiales, quæ constant ex materia, & forma; túm etiam res immateriales, quæ habent esse sepâratum ab omni materia, immó Deum, qui excludit omne genus compositionis: vnde sicuti dicitur humana natura ea substantia, quæ exercet operationes proprias hominis, itá dicitur natura angelica ea substantia, quæ operatur modo Angelis congruente; natura Diuina substantia increata; quæ operatur modo diuino, nimirum intelligit cognitione indistincta á cognoscente, qui est modus operandi proprius illius substantiæ intelligentis, quæ est infinitus intellectus.

4. Non debeo hic præterire quod notat Suarius disp. 15. sect. 11. circa naturam in hac significatione vsurpatam, eam enim recté appellat formam totius, siuè formam metaphysicam rei, eó quód per seipsam

con-

constituit rem essentialiter: opportunè autem vocat formam metaphysicam, ne confundatur cum forma physica, quæ est forma informans materiam, & exercet munus causæ formalis, quia forma metaphysica est tota substantia rei, formá veró physica non est tota substantia rei, sed est præcipua pars substantiæ rei, vt dictum est disp. 4. qu. 1. num. 7. ideò humanitas est forma metaphysica hominis, anima veró rationalis est forma physica hominis, quia constituit hominem informando aliam partem, nimirum materiam; adeoque Deus dicitur assumpsisse totam substãtiam hominis, quia assumpsit humanitatem, non enim assumpsisset totam substantiam hominis, si animam à corpore separatam assumpsisset. Hinc est quòd sicuti natura hominis dicitur forma hominis, natura equi forma equi, ita natura angelica dicitur forma Angeli, & natura diuina forma Dei. Ad hanc veritatem alludere voluit Apostolus, dum loquens de filio Dei humana carne induto, hæc ait: *Qui cum in forma Dei esset, exinanuit semetipsum formam serui accipiens.* Hinc redditur ratio cur sicuti Michael dicitur Angelus, quia habet naturam Angelicam, & Petrus homo quia habet naturam humanam itá Pater æternus dicatur Deus, quia habet naturam Diuínam, cum eo tamen discrimine, quod Angelus, Homo, & quælibet prima substantia creata, quæ est suppositum creatum, habet physicé, non identicè naturam; Persona veró diuina, quæ est suppósitum increatum, habet identicé naturam diuinam. Ratio discriminis est, quia in omni re creata natura non est realiter suppositum: in Deo natura est realiter, non virtualiter suppositum, propter identitatem realem eiusdem naturæ cum tribus suppositis realiter distinctis.

5. Speculari naturam quatenus substantia com-

pleta est, præscindens à materiali, & immateriali non spectat ad Physicam, sed potius ad Metaphysicam, quæ contemplatur ens in genere: ideó nomen naturæ in significatione minus ampla consideratæ, adhibetur ad significandum, vt inquit Ruuius in secundo Physic. qu. 2. natiuitatem, quę est generatio viuentium, procedit enim ex eiusdem nominis etymologia, quia dicitur natura à nascendo: quoniam verò est proprium rerum nascentium materialium nasci, & per quandam analogiam ad animalia, & plantas, conuenit cæteris substantijs materialibus, quæ videntur quodammodo nasci dum generantur, ità dicitur ignis nasci dum lignum inceditur, ideò nomen naturæ traductum est ad significandas substantias materiales & sensibiles non solum viuentes, sed etiam non viuentes, vt enim egregié notat Suarius loco citato ex doctrina, quam tradit S. Thomas in prima part. qu 13. art. 6. aliud est id, quod significat nomen quantum ad eius impositionem, aliud quantum ad rem significatam.

6. Natura igitur in hac postrema significatione acceptā nihil aliud significat, quàm corpus naturale, siue ens sensibile, quod subiectum est mutationibus accidentalibus, & substantialibus, & est illud principium radicale, á quò proueniunt operationes sensibiles, quas in rebus sublunaribus quotidiè experimur, quæ cadunt sub sensum, & ad Physicam pertinent; existentia naturæ eodem modo est euidens, sicuti est euidens existentià corporis naturalis, immò ea non debet á Philosopho naturali demonstrari, vt optimè docet Aristoteles, quia nulla scientia demonstrat existentiam obiecti, quod speculatur: hinc est inter ea, quæ sensibus occurunt, alia esse opera, quæ fiunt naræ viribus, & hæc vocantur naturalia, alia viribus artis, & vocantur artificialia.

7. Vt

7. Vt ostendamus discrimen rerum naturalium ab artificialibus, adeoque naturæ ab arte, inquirendum est quid sit natura, & quid sit ars. Definit Aristoteles in hoc libro naturam: *est principium motus, & & quietis eius, in quo est primo, & per se, & non secundum accidens.*

8. Ad huius definitionis intelligentiam notandum est, humanum intellectum, quem necesse est speculari phantasmata, non peruenire ad rerum etiam materialium naturam intelligendam nisi per accidentium præuiam notitiam, quæ sicuti sunt instrumenta, & perfectiones substantiæ secundùm esse reale, & physicum, quod habent in se, ità sunt eiusdem perfectiones secundúm esse intentionale, & logicum, quod habent in mente, ad hunc enim finem ab Authore naturæ ordinantur, vt substantiam intrinsece perficiant, eamque simul reddant humanæ menti cognoscibilem. Ratio autem à priori est, quia illud tantum potest cognosci per imaginem propriam ab intellectu accipiente cognitionem á sensibus, quod est sensibile: indé est obiectum proprium, siuè motiuum humani intellectus, qui est forma corporis, esse quidditatem rerum materialium, sed nulla substantia est immediatè sensibilis, quia illud solum est immediatè sensibile, quod sensibus obijcitur, qui cum ad extimum rerum corticem tantum hæreant, possunt quidem colorem videre, sonum audire, saporem gustare, sed latentem sub accidentium cortice medullam non penetrant, ergo substantia fit sensibilis per accidentia, adeoque ab humana mente intelligibilis per accidentia. Veritatem huius discursus suadet experientia: vnusquisque facile experitur se non posse animo fingere naturam alicuius rei, nisi illam exprimat in ordine ad accidentia sibi propria, quæ producit, & à quibus perficitur: quomodo enim possimus

concipere naturam ignis, nisi concipiam calorem, lucem, & siccitatem, quæ qualitates sunt indiuiduæ illius comites? quomodo naturam hominis, nisi cognoscam actus sentiendi, & intelligendi, qui ab homine procedunt? Vnde, nisi fallor, habet originem illud principium apud omnes indubitatum: *esse est propter operari*: quia singulæ res præsertim materiales, à quibus vt pote magis notis ascendimus ad immateriales minus notas, sicuti à natura essent aliter ordinantur ad paranda sibi medijs operationibus quædam ornamenta, à quibus perficiuntur, eaque vocantur accidentia, ità non possunt quantum satis est cognosci, nisi intelligantur in ordine ad operationes, quas possunt præstare.

9. Ex quo discursu apertè colligitur debuisse Philosophum ipsius naturæ abstractissimè acceptæ quidditatem speculantem, eam definire in ordine ad motum, cuius nomine significatur operatio substantiæ operantis, quæ operando quodammodo mouetur, cum omnis operatio sit motus, immò ipsum intelligere, quod est perfectissimum agere, appellatur ab Aristotele quoddam moueri: quia verò nomine naturæ significatur tantum corpus naturale, siuè substantia materialis sublunaris, quæ est mutabilis substantialiter, & accidentaliter, ideò motus expressus in definitione indicat solum motum sensibilem, licet facilè possit ad quemcumque alium motum traduci, de quo in præsenti non est sermo. Nomine verò principij motus non est intelligendum principium formale, & instrumentale, id enim aliquando est accidens, sed principium radicale, & principale, quod non potest esse, nisi substantia, adeoque natura rei, quæ mouetur: patet id clarissimè in definitione animæ, quam Aristoteles definit in primo de anima: *esse principium, quo mouemur, sentimus, & intelligimus*: principium enim for-

formale instrumentale, quò anima rationalis sentit, siuè exercet operationes sentiendi, non est substantia animæ, sed est facultas sentiendi distincta realiter ab anima: ideò satis est ad veritatem traditæ definitionis, si anima sit principium radicale, & principale sentiendi, quatenus coniuncta corpori exigit facultatem sentiendi, quæ exercet actus vitæ sentientis tamquam formale principium sentiendi: idem prorsus militat pro natura, quæ est principium motus, & quietis, dummodo sit principium radicale motus, quatenus requirit facultatem distinctam ad talem motum præstandum.

10. Non potest tamen in dubium reuocari an pertineat ad naturam mouere subiectum extraneum ad accipiendam formam similem sibi, id enim citra controuersiam est manifestum in omni generatione rerum non viuentium, quia ignis quando admotus ligno generat ignem, mouet lignum à se distinctum ad habendam formam ignis, cum operetur ex intentione sibi ab authore naturæ indita formandi quandam imaginem sui, id tamen non erat in naturæ definitione exponendum, quia quælibet res primò intendit se perficere, postea quam verò in se perfecta est, intendit se communicare alijs, & ea perficere propagando speciem; ità planta prius perficit seipsam per nutritionem, & augmentationem, deinde progreditur ad alias plantas formandas, producendo fructus, ex quibus in terram cadentibus alia planta propagatur.

11. Magna solet esse inter recentiores controuersia, an illa particula & faciat sensum disiunctiuum, vel copulatiuum, ità vt ad rationem naturæ requiratur posse moueri simul, & quiescere, an sufficiat posse moueri, vel quiescere. In hac re, quam iudico leuissimi momenti, assero cum S. Thoma, Soto, & Toleto accipiendam esse in sensu copulatiuo; neque enim appa-

apparet ratio, cur detorqueatur ad sensum minus naturalem, quia nomine motus non intelligitur tantum motus localis, & successiuus, vt aliqui falso contendunt, sed quilibet motus, quo substantia mouetur ad acquirendam aliquam formam; nomine vero quietis permanentia in forma acquisita; vtrumque, vt patet, conuenit cuilibet corpori naturali. Difficultas tantum esset circa corpus in ea hypothesi, in qua essentialiter esset immobile, adeoque non esset principium motus; sed ab hac difficultate facile me expedio, asserendo primo hypothesim esse impossibilem, repugnat enim ens creatum, quod sit essentialiter immobile, id enim est proprium solius entis essentialiter immutabilis, quod est Deus, adeoque ex illa hypothesi sequitur vtrumq; contradictorium: secundo prædictum corpus non fore corpus naturale, quod est obiectum Physicæ, sed tantum corpus Mathematicum ratione quantitatis triplicem habentis dimensionem.

12. Ex hoc naturæ cõceptu colligitur quid sit ens naturale, quid artificiale: illud enim est ens naturale, quod habet in se principium motus, & quietis vel secundum augmentum, vel secundum locum, vel secundum alterationem, quod contingit quando alteratur substantia, accipiendo qualitatem, quam non habebat: ens veró artificiale non habet in se principium motus, & quietis, sed solum habet tale principium, quatenus illi accidit esse ens naturale. Exemplis rem totam demonstro: certum est animalia, plantas, & alia id genus, quæ vocantur corpora mixta: rursus elementa, nimirum terram, ignem, aquam, & aërem, quæ vocantur corpora simplicia, esse res naturales, quarum fabrica spectat ad naturam: præterea domus, lectica, vestis, statua, & alia huius generis sunt sine controuersia res artificiales, quas moliri ad artem pertinet, nemo enim est, qui vnquam viderit natum

é ter-

é terra pálatium, ſicuti videt in dies naſci plantas; vnde hoc? quia nimirum planta eſt opus naturæ, Palatium artis, animalia quatenus ſunt animalia poſſunt ſe mouere motu progreſſiuo, quia ab vno in alium locum proficiſcuntur, poſſunt ſe mouere motu augmenti, quia ſtatim ac ſunt formata adoleſcunt: poſſunt motu alterationis, quia habent vim reparandi ſanitatem per morbum deperditam: idem contingit in plantis, quę quatenus tales mouent ſe motibus proportionatis; in elementis, ignis enim aſcendit, terra deſcendit, & aqua calefacta priſtinum frigus recuperat. Ex alia parte domus, veſtis, ſtatua, & alia huiuſmodi non ſe mouent quatenus talia ſunt, ſed ſolum ſe mouent, in quantum accidit veſti eſſe laneam, ſtatuæ eſſe marmoream, ergo id, per quod ſtatua conſtituitur in ratione ſtatuæ, non eſt principium alicuius motus, ſed id per quod conſtituitur ſtatua in eſſe marmoris eſt principium motus, ergo &c. Quia verò forma marmoris conſtituens ſtatuam in eſſe marmoris, producitur à natura: forma verò ſtatuæ eam conſtituens in eſſe ſtatuæ producitur ab arte, ideo ſtatua ſi habet aliquod principium intrinſecum motus & quietis, non habet vt opus artis, ſed vt opus naturæ: vnde vlterius colligitur in rebus naturalibus eſſe principium propagandæ ſpeciei, quod non eſt in artificialibus, itá arbor generat arborem, homo hominem, domus non generat domum.

13. Conuenit itaque natura cum arte primo, quia vtraque ex nihilo nihil poteſt facere, ſicuti enim artifex, qui operatur per artem, non poteſt ſtatuam fingere, niſi marmori præexiſtenti figuram artis inducat; itá agens naturale, quod per naturam agit, nimirum ignis, non poteſt incendere, niſi habeat præſentem materiam ad incendium diſpoſitam: ſecundò vtraque conſtituit ſibi aliquem certum finem, propter

per quem operatur, nimirum similitudinem rei productæ cum principio producente, sicuti enim ignis dum generat ignem, intendit producere imaginem imitatiuam sui, nimirum formæ, quæ est principium, quo agit: itá artifex, qui statuam format, intendit marmor, circa quod se exercet, quodammodo animare, & reddere viuam quandam imaginem illius nobilis ideæ, quam mente concepit, & per quam operatur: tertio vtraque potest in suis operibus deficere, quando nimirum in ordine naturæ virtus formatiua est debilis, & imperfecta, & in ordine artis virtus assimilatiua, quæ est idea, non est perfecta: indé est non minus in natura, quam in arte reperiri opera monstruosa, quæ nimirum deflectunt á legibus tali naturæ, & arti præscriptis, sicuti enim homo generat non hominem, sed monstrum quando virtus formatiua partus est imperfecta; itá statuarius, vel pictor loco faciendi statuam, vel picturam facit monstrum statuæ, vel picturæ, quando mente non concepit ideam legibus artis perfecté respondentem.

14. Differunt natura, & ars primo, quod illa in suis operibus præsupponit materiam primam, nimirum substantiam incompletam, ista secundam, nimirum totam, & completam substantiam: illa producit formam substantialem, & accidentalem, ista nihil aliud præstat, quam diuersarum partium positionem totum artificiale componentium; illa formam inducit penetrantem materiæ viscera, ista formam inducit, quæ in sola materiæ superficie sistit; illa tandem, vt docet S. Thomas in secundo contra gentes cap. 76. habet pro fine formam, quæ vt plurimum habet virtutem producendi aliam similem; ista habet pro fine formam, quæ hanc virtutem non habet. Indé est naturam concurrere semper ad sua opera actiué, vel passiué, artem concurrere solum directiué, quia præ-

sup-

supponit naturales motus, eosque dirigit, legem constituendo, qua sunt exercendi, vt inductione patet in omnibus artibus tam factiuis, quam actiuis, de quibus aliqua in logica egimus in quęstionibus prooemialibus.

15. Notanda solum est hic quędam acuta, & ingeniosa Aristotelis speculatio circa artes inferiores, & circa supremam artem, quę est prudentia, eamq; vocat Philosophus artem summè architectonicam, eó quòd cęteris artibus pręsidet, & omnes humanas operationes dirigit: vnde etiam dicitur ars artium: discrimen autem inter prudentiam, & quamlibet peculiarem artem in eo consistit, quòd cum nulla sit ars quę finem aliquem non habeat, prudentia respicit finem vltimum, qui est felicitas per virtutem consequenda, adeoque est habitus practicus circa ea, quę possunt bené, vel malè simpliciter fieri, nimirum honestè, vel inhonestè, alię artes respiciunt fines particulares, nimirum statuaria statuam, pictura imaginem, adeoque versantur circa marmor bene, vel male figurandum, & colores bene, vel male ordinandos: in 6. Ethic. cap. 5. hæc habet Aristoteles circa prudentiam, & cæteras artes. *Atque in arte quidem qui sponte peccat, magis eligendus est, minus qui inprudentia idem facit, sicuti circa virtutes*: Sensus Philosophi est, quòd ille, qui peccat sponte contra prudentiam, peior est, quàm qui peccat per ignorantiam: é conuerso in cæteris artibus peior est, qui peccat per ignorantiam, quàm qui sponte peccat. Patet hoc euidentissimè, qui enim reprehenditur eó, quod peccauerit contra prudentiam, faciendo in genere moris rem non faciendam, si dicat *sponte peccaui*, non purgat, sed auget culpam: si dicat *peccaui* per ignorantiam, vel propter vehementiam passionis, culpam, vel purgat, vel minuit: é contrario, qui lapsus est in barbarum verbum te-

prehenditur, eò quòd contra grammaticam peccauerit, si dicat *sponte hoc verbum adhibui* sciens non adhibendum excusatur a Grammaticis, si dicat *ignorans adhibui*; nón excusatur. Ratio a priori est, quia ars Grammaticæ, sicuti quælibet alia ars ordinatur ad perficiendum intellectum cognoscentem præcepta artis, prudentia verò sicuti quælibet virtus moralis ad perficiendam voluntatem, adeoque ista respicit vltimum finem, illa non respicit.

16. Hæc videntur certa: dubium potest esse, an possit ars efficere opera naturæ, adeoque sit perfectior natura.

17. Ratio dubitandi est primo, quia ars perficit naturam, vt inquit Aristoteles, sed omne id, quod perficit est perfectius eo, quod perficitur, ergo ars est perfectior natura. Confirmatur, quia operari secundum artem conuenit solum agentibus per intellectum, operari ex naturá conuenit agentibus, quæ intellectu carent, vt animalibus plantis, & alijs id genus, ergo &c.

18. Secundó: ars potest facere opera naturæ, sed opera artis non potest facere natura, ergo est perfectior ars, quam natura. Antecedens probatur, quia natura nunquam facit imaginem rosæ, vel animalis, quod ad artem spectat; é contrario ars facit verum animal, & veram rosam, vt contingit præsertim in artificiosa formatione apum, quas referunt Historici ex mortui Bouis ventre generari, adhibitis aliquibus conditionibus, quæ humano artificio comparantur eamque historiam lepide Aristæi fabula illustrauit in 4. Georg: Latinus Homerus, ergo &c.

19. Tertió: non potest dubitari, an studio artis fiat aliquid eiusdem speciei cum operationibus naturæ, ergo ars etiamsi non admoueat actiua passiuis, poterit producere effectus naturales. Antecedens

pro-

probatur, quia per artem chimicam fit aurum, & argentum ex commixtione aliorum metallorum, quod aurum est verum aurum, adeoque eiusdem speciei cum illo, quod intra montium viscera generatur, vt docet Albertus Magnus in 3. de mineralibus cap. 1. & alij.

20. Quartò: quicumque potest plus, potest etiam minus, sed ars potest facere aliquos effectus mirabiles, qui vires naturæ excedunt, vt vulgò circumfertur de statuis Dædali, quæ ambulantes huc, & illuc discurrebant, de Columba Archytæ Tarentini, quam volasse aiunt, vt refert Gellius in l. 10. noct. att. de vitrea Archimedis sphæra, in quam egregiè lusit canora Claudiani Musa in quodam Epigrammate, ergo ars potest facere opera naturæ.

21. Vltimo: operâ Dæmonis, quæ vocatur ars Magica, possunt fieri aliqui effectus naturales, immò etiam miraculosi, ergo idem quod prius. Antecedens probatur, tùm quia Dæmon plus potest, quam posit planta, sed hæc potest facere plantam, ergo etiam ille: secundò, quia Magi Ægyptij, vt docet S. Scriptura in lib. Exodi, cum Moyse pugnantes ediderunt per artem magicam aliquos magnos serpentes, sed huiusmodi fuerunt veri serpentes, vt docet Origenes Hom. 13. in Marcum, Aug. in 3. de Trinitate, cap. 7. S. Thomas quæst. 6. de potentia, ergo &c. sed contra.

22. Nostra, & vera sententia sit, quam in tres conclusiones claritatis gratia partimur.

23. Prima conclusio: nullum opus naturæ fieri potest ab arte virtute propria solius artis.

24. Ratio á priori est, quia repugnat, vt ars in quantum ars sit natura; sed si ars virtute propriâ attingere posset aliquod opus naturæ, ars in quantum ars foret natura, ergo &c. Minor probatur, quia

eo ipso, quod ars virtute propria facit aliquod opus naturæ, non agit in quantum ars, sed in quantum natura; ideò enim ignis admotus ligno agit viribus naturæ, dum lignum incendit, quià agit ex virtute propria producendi ignem: idem dico de plantis, quæ generant alias plantas.

24. Secunda conclusio: ars potest producere effectus naturales admouendo actiua passiuis.

25. Probatur: producere effectus naturales admouendo actiua passiuis, nihil est aliud, quam adhibere causam efficientem proportionatam materiæ dispositæ ád producendum aliquem effectum, qui continetur in virtute illius causæ: sed ars potest adhibere causam efficientem proportionatam materiæ dispositæ ad aliquem effectum náturalem; ergo ars potest producere effectus naturales, admouendo, siue applicando actiua 'passiuis. Quia vero huiusmodi applicatio non est causa, sed est tantum conditio, cur producatur effectus, ideò arti, quę admouet actiua passiuis tribuitur effectus productus tanquam conditioni, non tanquam causæ.

26. Hunc operandi modum circa effectus naturales non esse arti denegandum est adeo indubitatum, vt id euidentissimé demonstret quotidianá experientia, quis enim est adeó rudis, qui artem ignoret pullos procreandi? ouum enim gallinæ suppositum in pullum conuertitur; illa siquidem ouo incubans tandiu fouet ouum donec pullum excludat: idem contingit. si alia corpora calida ouis admoueantur. Præterea ars medendi nonne perfectam humorum temperiem producit admouendo actiua passiuis? Huc spectat notitia virtutis, quam Deus indidit herbis, plantis, lapidibus ad mirabiles effectus præstandos, ad valetudinem ægris corporibus restituendam, qua medicatis potionibus exquisita arte comparatis, qua naturali

rali lapidum, & herbarum virtute membris languentibus admota, id eò certius, & efficacius præstari solet, quò maior, & magis exercitata in naturæ operibus est medentium peritia. Hinc est, quod illi homines censentur sagaciores cæteris: qui maiori mentis celeritate, & ingenij dexteritate vtuntur ad causas inuestigandas effectibus proportionatas, ad res cæteroquin disiunctas componendas, & ad opera efficienda, quæ vulgarem hominum rudium captum excedunt. Non propterea nego plurimos esse, qui in hac arte applicandi actiua passiuis egregiè hallucinentur, adeoque multa promittant, sed promissis non stent, sapientes enim sunt pauci, qui vero videri volunt sapientes innumeri: [vt] patet in plerisque Astrologis, Medicis, Circulatoribus, alijsque huius farinæ hominibus, à quorum ore mirabiles vendentium nugas, videmus non semel pendere incautum vulgus.

27. Ex hoc discursu nascitur Angelos tam bonos, quam malos multum virium habere in toto hoc naturæ cursu, quod non est ità intelligendum, quasi propria virtute id posint efficere, quod potest efficere natura, sed quia possunt actiua pasiuis maxima celeritate applicáre, adeoque producere effectus, qui nobis videntur mirabiles. Rátionem insinuat Sanctus Thomas quæst. citat. artic. tertio de miraculis, quia in huiusmodi effectibus producendis ars Angeli boni, vel mali est efficacior, quam humána, eò quod Angelus, qui mentem habet humana capaciorem virtutes actiuas, & pasiuas in corporibus sublunaribus melius nouit quâ nouit homo, & facilius, atq; celerius potest eas applicare ad effectus producendos. Hinc habuere originem omnia sortilegia, veneficia, & incantationes, quæ Christianæ pietati repugnant, & di-

uinis legibus aduersantur propter pactum tacitum, vel expressum cum Dæmone essentialiter inhonestum.

28. Tertia conclusio: ars est simpliciter imperfectior, & secundum quid perfectior, quam natura.

29 Probatur prima pars, quia opera, quæ fiunt ab arte, sunt imperfectiora simpliciter operibus factis à natura, illa enim sunt entia artificialia, quæ constituunt aliquod totum accidentale, ista sunt entia naturalia, quæ constituunt aliquod totum substantiale, ergo etiā ars est imperfectior simpliciter, quam natura. Præterea ars præsupponit essentialiter naturam, eaque indiget; natura non præsupponit artem.

30 Probatur secunda pars, quia opera artis addunt aliquam perfectionem operibus naturæ, vt patet, ergo habent aliquam perfectionem, quam opera naturæ non habent, ergo secundum quid sunt perfectiora, ergo idem dicendum de arte cum natura comparata. Præterea sicuti accidentia sunt secundum quid perfectiora substantia, quia perficiunt, & ornant substantiam, ita natura perficitur ab arte, vt patet in logica artificiali, quæ perficit logicam naturalem, vt ostensum est tomo 1. disp.2.qu. vlt. num. 6 adeoque ars secundùm quid est perfectior natura: inde est, quod nouus quidam Mundus, vel certe innouatus, & maximè perfectus processit ab vsu diuersarum artium.

31 Ad primum patet ex dictis: ad confirmationem dico, opera naturæ esse opera intelligentiæ non minus, immo multo magis, quàm opera artis, id enim est inter opera naturæ, & artis discrimen, quod opera artis sunt opera intelligentiæ creatæ, opera verò naturæ sunt opera intelligentiæ increatæ: quia ex eo, quod natura, quam vocant natura tam non intelligit, vt patet in plantis, & animalibus; natura naturans debet intellige-

ligere, adeoque debet ad suos fines ordinare. Hinc est, quod natura potest appellari ars diuina, non humana,] quia opera naturæ imitantur similitudinem sui existentem in mente diuina, sicuti opera artis imitantur similitudinem sui existentem in mente artificis.

32 Ad secundum: dist. ma: ars potest facere opera naturæ per modum causæ nego ma: per modum conditionis applicando actiua passiuis conc. ma: & min: & nego consequentiam.

33 Ad tertium: nego antecedens. Ad eius probationem dico, artem chimicam esse vanam, & inutilem ad aurum verum, vel argentum formandum, vt suadet experientia, & paupertas eorum, qui huic arti studentes, aurum dum quærunt, aurum immò oleum & operam perdunt. Ratio est, quia aurum, quod fit arte chimica, est apparens, & sophisticum aurum, vt sentit S. Th. in 2. dist. 7. q. 3. art. 1. referunt enim rerum mineralium peritissimi huiusmodi aurum triplicem habere defectum: primò non sustinet vim ignis: secundò facilè colorem amittit: tertiò non est ductile in tenuissimas laminas, quod sine controuersia auro vero non contingit: hinc est ab Ecclesia fuisse damnatum vsum similis auri. Cæterum an possit ab arte fieri verum aurum applicando actiua passiuis, non videtur dubium, vt docet idem S. Thomas in secunda secundæ quæst. 77. art. 2. sed hac via diuitias comparare non expedit, quia fructus non respondet expensis.

34 Ad quartum: omissa ma: nego min: plurima narrantur ab historicis, quæ fidem humanam excedunt; an vera sint non decido; illud solum assero posse per occultas machinas tribui motum rebus animà carentibus, qui motus videtur mirabilis occultam causam ignorantibus, sed verè non est mirabilis, quia non excedit vires artis applicantis actiua passiuis; inde est, quod aliqui effectus, qui ab imperitis censentur fieri

arte magica, veré fiunt árte humana sine vlla sceleris vmbra, vt patet apud doctos, & pios mathematicos.

35 Ad vltimum: nego antecedens: ad primam probationem dist. ma. plus potest in eodem genere nego ma: in diuerso genere conc. ma: & minorem, & nego Consequentiam. Argumentum desumptum ex virtute maiori, non est ad rem, nisi virtus maior sit in eodem genere, in quo est virtus minor. Ad secundam dico esse valdé implexam expositionem illius prodigiosi facti, quod legitur in citato Exodi loco, Dæmonum opera exhibitum, vt patet apud interpretes; varij enim varia: alia dicunt huiusmodi serpētes non fuisse veros, sed apparentes, fieri enim posse Dæmonum arte illusionem in nostris sensibus, videtur certum. Non est mihi dubium, an potestas Dæmonum se extendat ad formandam sensuum exteriorem illusionem, sed an id fuerit factum in præsenti historia mihi dubium est, & meritó, non enim potest dici fuisse imaginarios serpentes, nisi violentia inferatur, verbis scripturæ, quæ diserté loquitur fuisse magicos serpentes deuoratos á virga Moysis quæ in verũ colubrũ diuina virtute mutata est, quod si fuere deuorati, quodo non fuere veri serpentes? an possunt deuorari serpentes, qui veré non existunt? Scio profectó posse dici eam locutionem esse metaphoricam ad ostendendũ magicas fraudes fuisse à Moyse dissipatas; sed non debet ad sensum metaphoricum detorqueri S. Scriptura, nisi euidenter constet, quod in re præsenti sine dubio non contingit. Alij censent fuisse veros serpentes, qui arte Dæmonis applicantis actiua passiuis, eo tempore fuere procreati, cum experientia constet id animalium genus non ex semine, sed ex terra sufficienter disposita nasci. Huic sententiæ non possum acquiescere, quia Dæmon licet possit facere opera naturæ, adeoque ve-

ros

ros serpentes applicando actiua passiuis, vt ostensum est num. 27. non tamen potest facere, vt aliquod animal magnam habeat corporis molem statim, ac nascitur, quia id naturæ vires excedit. Alij asserunt fuisse virtute diuina formatos veros scpentes, sicuti contigit Moysi: sed hoc est euidenter falsum; quis enim est qui audeat dicere à Deo fieri miracula ad fidem errori faciendam, qualis proculdnbio fuit error, quem volebant Aegyptij suis incantationibus aduersus verã Religionem confirmare? Quid ergo in tanta opinionũ varietate sentiendum? Id quod in præsenti mihi occurrit est prædictos serpentes fuisse veros, non vanos, & cõmentitios: non fuisse tunc Dæmonis industria, multó minus Dei virtute generatos, sed per motum localem fuisse velocissimé á Dæmone ab vno ad alium locũ asportatos, quod vtique virtutem Angelicam non excedit.

QVAESTIO II.

Quid sit naturale, violentum, et supernaturale.

1 DE ente naturali prout opponitur artificiali non est in præsenti sermo, cum sufficiant, quæ huc vsque dicta sunt, cũ de natura, & arte egimus: superest pro perfecta entis naturalis intelligentia inuestigare quid sit naturale prout opponitur violento, & supernaturali: non enim potest esse dubium apud Philosophos præsertim Catholicos, an aliquid fieri á Deo possit, quod naturæ limites transgrediatur, cum totus ordo gratiæ, quem Christiana Religio inuexit in mundũ. pertineat ad ordinem non naturalem, & debitum, sed supernaturalem, & gratiosum. Naturale prout oppo-

nitur violento hanc denominationem non sortitur ex ipsa substantia sensibili, quam docuimus esse naturam, nimirum principium intrinsecum motus, & quietis; sed eam sortitur ex motu, actione, & passione, quæ est secundùm naturam subiecti, in quo recipitur: ita lapidi descensus, igni ascensus est naturalis, quia non minus est iuxta inclinationem lapidis centrum petere, quàm iuxta inclinationem ignis á centro recedere. Huc spectat esse naturale plantis vegetare, brutis sentire, hominibus intelligere, quia plantæ vegetando, bruta sentiendo, homines intelligendo perficiuntur: hac de causa naturale est vnicuique facultati exercere actum, ad quem ordinatur, quia nihil est, quod non habeat inclinationem ad id, á quo perficitur: nulla autem facultas est, quæ non perficiatur ab actibus, quos exercet, cum esse sit propter operari, adeoque propter perfectionem eiusdem operantis.

2 Hinc patet quid sit violentum, cui naturale opponitur, id enim ab Aristotele in 3. Ethic. cap. 1. definitur; *cuius principium est foris, & ad quod nihil is, qui agit, aut patitur, confert.* Ex qua obscura Philosophi definitione aliam tradit ab omnibus scholasticis vsurpatam. S. Thomas in secūda secundæ quæst. 6. artic. 4. in hunc modum: *Violentum est id, quod prouenit á principio extrinseco nullam vim conferente passo*; quæ postrema verba ita sunt accipienda, vt sensus sit, ad rationem formalem motus violenti pertinere, quod passum, cui ab exteriori principio vis infertur, habeat inclinationem contrariam, & repugnantem illi rei, quam patitur, Huius definitionis veritatem demonstrat inductio in omnibus illis actionibus, quæ sunt citra controuersiam violentæ; quis enim est, qui dubitet an lapis quando sursum proijcitur, violentèr moueatur? an aqua dum igni admota incalescit, vim patiatur? an hominem iugulatum mors opprimat violen-

lenta? & tamen lapis per grauitatem sibi innatam resistit motui, quo cogitur occupare locum sibi indebitum, aqua per frigus tanquam per naturalem proprietatem pugnat cum calore, quem patitur inuita, homo habet inclinationem repugnantem morti illatæ, cuius euidentissimum argumentum est, quód lapis, quàm citissimè potest, eo descendit, vndè fuit coactus ascendere: aqua ab igne remota frigus recuperat, cuius fecerat iacturam.

3 Hoc violentiæ genus cadere potest in omnem naturam creatam, siue ea sit materialis, siue immaterialis; careat; vel non careat vita. Ratio est clara, quia nulla est natura creata, quæ supra se non habeat aliquod agens valentius, sed eo ipso, quòd habet supra se aliquod agens valentius, potest aliquid ab eo pati repugnans suæ inclinationi, ergo nulla est natura creata, quæ pati non possit violentiam. Solus Deus, qui est supra omnem naturam, & habet virtutem insuperabilem, est immunis à quocumque genere violentiæ, quia voluntati eius resistere quis potest? Nihil fieri in natura potest inuito Deo, cum necesse sit, vt omne id, quod fit, Deo volente, vel saltem permittente fiat, id enim est adeò verum, vt vel ipsa crimina, quæ à Deo prohibentur, non fiant inuito Deo, quia Deo permittente fiunt, vt rectè dixit ille vates. *Inuito ne aliquis poterit peccare Tonante?*

4. Naturale prout opponitur supernaturali est illud, quod intra vires naturæ continetur: inde est bonũ naturale denominari illud bonũ, quod naturæ debetur vnde infero non esse idem bonum naturæ, & bonum naturale: ratio est, quia bonum naturæ est quidquid perficit naturam, sed non omne id, quod perficit naturam, est bonum naturale, ergo non est idem bonum naturæ, & bonum naturale. Minor patet, quia bonum gratiæ perficit naturam, & tamen non est na-

turale: quia verò bonum naturale est bonum naturæ debitum, ideo bonum supernaturale est bonum naturæ indebitum, adeoque illud confertur naturæ tanquam beneficium, vel indistinctum, vel saltem connexum cum beneficio existentiæ, quod Deus gratuito naturæ contulit quando eam condidit: bonum verò supernaturale confertur naturæ tanquam beneficiũ distinctum, & inconnexum cum beneficio existentiæ. Patet id clarissimè in natura humana eleuata á Deo ad fælicitatem supernaturalem, quæ posita est in cognitione Dei intuitiua; & in natura, ex. gr. ignis: Deus vtrique naturæ donat, alteri calorem, alteri visionem sui; cum hoc tamen discrimine, vt calor, quem donat igni, sit beneficium, vel indistinctum, vel connexum cum existentiâ ignis: Visio sui, quam donat humanæ naturæ, sit beneficium distinctum, & inconnexum cum existentia eiusdem naturæ humanæ: ratio est, quia ignis exigit habere calorem spectata præcisè sua natura, humana verò natura non exigit Deum videre, calor est bonum debitum igni existenti, visio Dei non est bonum debitum homini existenti.

5 Difficile est explicare illud prædicatum, in quo posita est ratio boni debiti, & indebiti, vnde liceat metiri rationem boni naturalis, & supernaturalis. Vulgò dici solet illud esse bonum debitum, sine quo res est imperfecta, adeoque caret perfectione, ad quam est ordinata naturaliter; illud verò esse bonum indebitum, quo carere non est carere perfectione, ad quam ordinatur res naturaliter: id ego verissimũ censeo, sed non censeo opportunum ad soluendam difficultatum propositam, quia non minus est incertum quid sit illud bonum, quo carere est carere perfectione, ad quam res naturaliter ordinatur, quám quid sit bonum debitum, adeoque videtur ex altiori discursu difficultatis solutio petenda.

6 Cer-

6. Certum est ens imperfectum, & ens carens aliqua perfectione esse terminos mutuo conuertibiles, sicuti enim carentia perfectionis excludi non potest nisi per oppositam perfectionem, itá ens constituitur per carentiam perfectionis imperfectum. Certum præterea est ens imperfectum duobus modis vsurpari, videlicet negatiuè, & priuatiué: ens imperfectum negatiuè est illud, quod non habet aliquam perfectionem in genere entis; itá nullum est ens creatum licet in súo genere perfectissimum, quod non sit ens simpliciter imperfectum, quia repugnat, vt ens creatum habeat omnem perfectionem, ergo non potest inueniri ens creatum, cui non desit aliqua perfectio in genere entis: sed illud ens, quod caret aliqua perfectione in genere entis, est ens imperfectum negatiuè: ergo nullum est ens creatum, quòd non sit imperfectum negatiuè. Ens imperfectum priuatiuè est illud, quod caret aliqua perfectione, quam debet habere: itá oculus cæcus est oculus imperfectus priuatiuè, quia caret perfectione, quam debet habere, nimirum facultate videndi: é contrario lapis etiamsi videre non possit, non est imperfectus priuatiuè, quia non caret perfectione, quam debet habere, non enim est debitum lapidi habere facultatem videndi. Indé est, quód quilibet Beatus est imperfectus negatiué non priuatiuè in ratione Beati, quia tantum habet beatitudinis, quantum debet habere, licet non habeat summam, quám potest habere.

7. Ex hoc discursu manifestè sequitur rationem boni debiti esse minus vniuersalem quám sit ratio boni in genere, quia potest inueniri aliquod bonum in genere boni, quod non sit bonum debitum, non potest inueniri bonum debitum, quod in genere boni non sit bonum; id enim inuoluit terminorum repugnantiam. Frigus, quod est bonum debitum aquæ,

vtique

vtique eam perficit, cum sit iuxta eius inclinationem: esse simul in pluribus locis est etiam bonum aquæ, cum eam intrinsecè perficiat, si enim perficit aquam existẽtia in vno loco, cur eam pariter non perficiet existentia in pluribus locis? non proindé sequitur huiusmodi existentiam esse bonum debitum aquæ, cum nulla sit res creata, quæ debeat existere simul in pluribus locis adæquatis: quia veró bonum in genere latiùs patet, quàm bonum debitum, ideò defectus alicuius boni in genere est vniuersalior defectu boni debiti. Ratio est euidens, quia habere defectum alicuius boni in genere est formalissimè non habere bonum infinitum, sed non habere bonum infinitum magis latè patet, quàm non habere bonum debitum, illud enim extenditur ad quamcumque rem creatam, ad quam istud non extenditur, ergo magis latè patet defectus alicuius boni in genere, quàm defectus boni debiti. Præterea defectus boni formalissimè constituit rem imperfectam, cum idem sit esse imperfectum, & habere aliquem defectum: deféctus verò boni in genere constituit rem impefectam negatiué, & defectus boni debiti constituit rem imperfectam priuatiué; quia verò deterius est essé imperfectum priuatiué, quàm esse imperfectum negatiué, ideò est deterior defectus boni debiti, quàm defectus boni in genere. Quod est adeò indubitatum, vt defectus boni debiti possit ad culpam imputari habenti talem defectum, non possit defectus boni in genere: ità singulis hominibus est ad culpam imputabilis defectus ordinis ad vltimum finem simpliciter consequendum; non est imputabilis defectus ordinis ad eundem finem perfectissimé consequendum, quia perfectissima eius possessio est impossibilis.

8. Hinc patet propositæ difficultatis explicatio, quid nimirùm sit bonum debitum, siué naturale, bo-

num indebitum, siué supernaturale: bonum naturalé est illud, cuius defectus constituit rem priuatiué imperfectam: bonum veró supernaturale est illud, cuius defectus constituit rem negatiué imperfectam: ità esse calidum est bonum naturale ignis, esse simul in duobus locis est bonum supernaturale, ignis enim, qui caret calore est imperfectus priuatiué, quia caret bono, quo carere non debet; ignis veró, qui caret duplici vbicatione est imperfectus negatiué, quia caret bono, quod non debet habere. Hinc est omnia dona gratiæ, nimirúm Visionem Dei, Fidem, Spem, & alia id genus, vocari bona supernaturalia, quia sunt bona naturæ indebita: dicuntur autem indebita, quia perficiunt quidem humanam naturam, sed non ità perficiunt, vt per eorum defectum constituant eandem naturam imperfectam priuatiué. Ratio est, túm quia natura humana si non fuisset á Deo eleuata ad habenda hæc bona supernaturalia, adhuc habuisset totam perfectionem sibi naturaliter debitam; túm quia humana natura non esset mala ex eo præcisè, quod Deum non videret, eumque amore supernaturali non diligeret, adeòque non posset eidem imputari ad culpam carentia Visionis Diuinæ, & dilectionis supernaturalis.

9. Duo possunt huic doctrinæ opponi: primo; mentis celeritas, ingenij perspicacia, bona Indoles; generis claritas, opes, honores, & principatus sunt bona naturalia hominis, non tamen debita, túm quia eorum defectus non constituit hominem imperfectum priuatiué, túm quia gratuitò conferuntur à Deo, ergo falsum est bonum naturale esse bonum debitum: Secundo visio Dei est bonum supernaturale, & tamen est bonum debitum, quia carere in æternum visione Dei est imputabile ad culpam homini, qui proindé est imperfectus priuatiuè, si per totam æternitatem

rem Deum non videat, cuius rei est euidens argumentum, quòd carentia visionis Dei est pœna culpæ commissæ, ergo non est idem bonum supernaturale, & bonum indebitum.

10. Ad primum respond. huiusmodi boná esse debita homini secundum speciem, non esse homini debita secundum indiuiduum; quia veró species non potest esse sine indiuiduis, ideó quod est debitum speciei, & non est debitum indiuiduis, nulli determinaté indiuiduo ést debitum, sed alicui indeterminaté est debitum. Ratio est clara, quia si nullum indiuiduum humanæ naturæ floreret ingenio, & generis claritate, alijsque similibus bonis, species naturæ humanæ non haberet omne bonum sibi debitum, adeóque esset imperfecta priuatiuè, facta enim hypothesi, quod Deus velit condere humanam naturam debet alicui indiuiduo talis naturæ donare acutum ingenium, bonam Indolem, & similia; quia veró nulli determinaté indiuiduo est debitum habere huiusmodi bona, ideó eorum carentia nullum determinaté hominem constituit imperfectum priuatiué, & eorum possessio est singulare Dei beneficium distinctum à dono creationis.

11. Ad secundum. Carentia visionis Dei est ad culpam imputabilis homini, supposito statu eleuationis ad finem supernaturalem, adeóque est debita humanæ naturæ non simpliciter, sed ex suppositione liberæ voluntatis eleuātis hominem ad fælicitatem supernaturalem; cæterúm illud bonum dicitur bonum simpliciter debitnm, quod naturæ existenti debetur, spectata præcisé naturalieius exigentia.

12. Ostenso quid sit naturale, supernaturale, & violentum, in præsenti tria quæruntur: primò vtrū possit produci aliquid violentum rebus omnibus existentibus: secundò vtrúm Deus possit violentiam inferre crea-

creaturæ: tertió vtrùm in natura sit possibilis aliquis motus neuter, qui neq; sit naturalis, neque sit violentus.

13. Ratio dubitandi est primó, quia pati violentiam est contra niti, sed Deo agenti nulla creatura potest contra niti, ergo non potet pati violentiam, ergo repugnat inferri à Deo violentiam creaturæ. Minor probatur; tùm quia null creatura Diuinæ voluntati resistit, tùm quia creatura est Instrumentum Dei, sed nullum Instrumentum resistit virtuti causæ principalis, ergo, &c.

14. Secundo. Aqua dum ascendit ad impediendum vacuum non patitur violentiam, ergo nulla creatura dum mouetur á Deo patitur violentiam. Consequentia patet, quia sicuti ascendere non est contra inclinationem aquæ, quando id exigit bonum vniuersale, quod vt dicit Philosophus, est bonum Diuinum, ità non est contra inclinationem creaturæ quidquid circa illam Deus agit, qui est supremus Dominus. Antecedens probatur, quia est maius bonum aquæ ascendere ad impediendum vacuum, quàm non ascendere, id enim est maius bonum vniuersi, adeóque ipsius aquæ, quæ est pars vniuérsi.

15. Vltimo. Ignis, qui est in sua sphæra mouetur motu circulari à Cœlo lunæ, sed huiusmodi motus neque est naturalis, neque violentus, hoc est neque iuxta, neque contra inclinationem ignis, ergo datur motus neuter, qui nimirùm neque est naturalis, neque violentus. Minor probatur. Non est iuxta inclinationem, quia per hunc motum ignis non ascendit, neque est contra; quia non descendit, habet enim æqualem distantiam à centro, ergo, &c. sed contra.

16. Dico primó. Repugnat aliquid produci de nouo violentum rebus omnibus existentibus.

17. Ratio à priori est, quia repugnat aliquid produci de nouo quod ab aliquo non producatur, sed re-

pugnat

pugnat aliquid produci, quod sit contra inclinationem principij producentis, ergo repugnat aliquid produci violentum rebus omnibus existentibus. Minor probatur, túm quia agere non est contra inclinationem agentis, quodlibet enim in tantúm agit, in quantúm est in actu, vt dicit S. Thomas, adeòque in tantúm agit, in quantúm habet inclinationem propagandi suum esse, adeòque communicandi alijs similitudinem sui; túm quia omnis actio, sermo est dė immanente, prouenit ab intrinseco, sed id, quòd prouenit ab intrinseco non est violentum, ergo &c. Confirmatur primó, quia nihil potest accidere, quod sit violentũ Deo, ergo nihil potest produci rebus omnibus existentibus violentum: secundó quia omne id, quod de nouo producitur vel recipitur in aliquo subiecto, vel in nullo; si primum, ergo non est violentum subiecto, in quo recipitur, quia subiectum, est materia, cui nihil est contrarium, adeóq; nihil violentum: itá calor licet sit violentus formæ aquæ, non est violentus materiæ, in qua recipitur; si secundum, ergo per se existit, & in se subsistit, ergo non est rebus omnibus existentibus violentum, quia nihil est sibi violentum.

18. Dico secundó: Deus potest inferre violentiam creaturis.

19. Ratio à priori est, quia Deus potest agere contra naturalem inclinationem, quam habet creatura, sed agere contra inclinationem est inferre violentiam, ergo Deus potest inferre violentiam creaturis: indė est, quod aqua patitur violentiam si calefiat non solúm ab igne, sed etiam á solo Deo.

20. Dico tertiò: Repugnat naturæ motus neuter, qui neque sit iuxta, neque sit contra inclinationem illius, quod mouetur. Ratio est, quia omnis motus, vel reddit melius, vel deterius, vel neque melius,

neque

neque deterius id, quod mouetur: si primum: est iuxta inclinationem, adeóque naturalis: si secundum: est contra inclinationem, adeóque violentus: si tertium: est inutilis, atque superfluus, adeòque contra inclinationem naturæ tam particularis, quàm vniuersalis abhorrētis á superfluo, & consequenter violentus, ergo naturæ repugnat motus neque naturalis, neque violentus, adeóque neuter.

21. Ad primum: conc: mai: & dist: min: nulla creatura potest Deo agenti resistere efficaciter: conc: min: inefficaciter: nego min: & conseq. Duobus modis potest intelligi creaturam Deo resistere, nimirùm efficaciter, quod contingeret in ea hypothesi, in qua creatura non faceret id, quod Deus efficaciter vult: quia veró hæc hypothesis est impossibilis, ideó creaturam Deo efficaciter resistere est impossibile, cum euidentem terminorum implicationem inuoluat non fieri id, quod Deus efficacissimè vult fieri. Inefficaciter resistit creatura Deo, quando facit quidem id, quod Deus efficacissimè vult, sed habet simul inclinationem contrariam diuinæ voluntati: hoc genere existentiæ non repugnat creaturam Deo resistere, quia Deus mouendo creaturam ad aliquid eius inclinationi contrarium, non intendit auferre á creatura inclinationem naturalem, quam eidem dedit, id enim esset destruere talem creaturam, sed intendit facere aliquid contrarium eidem inclinationi, ergo tantum abest, quin resistentia inefficax opponatur dominio perfecto, quod Deus exercet in res creatas, vt potiùs cum eo componatur: Ratio á priori est, quia perfecta subiectio virtutis inferioris respectu superioris, non consistit in negatione inclinationis contrariæ, adeóque inefficacis resistentiæ, sed in negatione efficacis resistentiæ.

22. Ad secundum: dist. antec. non patitur violentiam

tiam simpliciter: nego antecedens: secundum quid omitto antecedens, & nego consequentiam. Ratio, quæ affertur, vel nihil probat, vel tantū probat aquam ascendentem ad impediendum vacuum, non pati violentiam secundum quid, quatenús est maius bonum vniuersi, & consequenter aquæ, quæ est pars vniuersi; ascendere, quàm non ascendere aquam in prædicto casu: cæterum non potest esse dubium, an patiatur simpliciter violentiam: Ratio est, quia patitur aliquid repugnans inclinationi naturali, quam habet corpus graue ad descendendum: indè est in rebus omnibus, quæ Mundum compònunt, duplicem inclinationem esse distinguendam, aliam in bonum particulare, aliam in bonum vniuersale: iuxta hanc distinctionem euidens est, aquam dum ascendit, non pati aliquid contrarium inclinationi in bonum vniuersale, licet patiatur aliquid contrarium inclinationi in bonum particulare, quod sufficit ad patiendam violentiam.

23. Ad vltimum: conc: ma: & nego min: Motus, quo ignis in proprio loco constitutus in orbem agitur, est naturalis igni, eumque perficit, licet ignis per talem motum non ascendat. Ratio à priori est, quia est naturale igni non solum ascendere, sed etiam moueri circulariter, præsertim, quando est in loco sibi debito: *Supremum enim infimi attingit infimum supremi* vt sæpé docet Dionysius: quod prncipium itá est intelligendum, vt supremum ordinis inferioris participet naturam, atque perfectionem infimi pertinentis ad ordinem superiorem: ita in ordine animalium, hoc est in genere substantiæ, quæ viuit vitam sentientem, existit homo, qui in cætera animalia dominatur: idem homo attingit, & participat perfectionem rerum pertinentium ad ordinem superiorem, nimirum ad ordinem, in quo sunt substantiæ intelligentes,

tes, adeoque cum Angelis conuenit in actibus vitæ intelligentis: in ordine elementari, qui est ordo inferior, ad quem pertinent corpora sublunaria, & mutationi subiecta, primum locum tenet ignis, qui est elementum nobilissimum, eique proinde est naturale ascendere, & in omnia, vt ita dicam dominari: In ordine corporum cœlestium, qui est ordo superior, ad quem spectant corpora incorruptibilia infimum habet locum Luna, quæ proximé accedit ad hunc mundum elementatem; naturale est autem Lunæ, sicuti cæteris corporibus cœlestibus, moueri motu circulari ab existentibus intelligentijs assistentibus, vt demonstrabimus in libros de mundo, & Cælo, cum huiusmodi motus ordinetur ad cummunicandam virtutem corporum superiorum inferioribus; inde est, quod ignis, qui iuxta discursum factum ex doctrina Dionysij, debet participare naturam & perfectionem corporum cælestium, appetit naturaliter moueri motu circulari.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum natura, siue totum distinguatur à suis partibus.

1. HViusmodi quæstio, quæ alibi solet agitari in hunc locum opportuné cadit vbi est sermo de natura, cum enim corpus naturale sit natura, vt ostensum est, corpus autem naturale sit substantia completa ex incompletis substantijs essentialiter composita, vt pariter demonstrauimus, consequens est, vt ad corporis naturalis scientiam comparandam necesse sit inquirere, an totum distinguatur á sui partibus; ab huius enim quæstionis solutione pendet scire, an

corpus naturale, siue natura constituatur adæquatè in ratione formali naturæ, per materiam, formam, & vnionem, materiam inquam tanquam partem determinandam, formam tanquam partem determinantem, & vnionem tanquam rationem formalem determinandi.

2. Vt autem certa ab incertis diuidamus, non est in præsenti dubium an totum distinguatur á singulis partimus, nimirum á materia, forma, & vnione distributiué ácceptis: nemo enim est, cui dubium sit, an homo aliquid præter corpus includat, adeoque distinguatur á corpore distinctione reali inadæquata, quæ opportunè vocatur distinctio includentis ab incluso, eo quod est distinctio partis á toto, vt in Logica demonstrauimus in tract. de ident. & dist. tom. 1. disp.3. qu.1. nu.26. vbi validissimis argumentis ostenditur repugnare distinctionem inadæquatam partis á toto, siue formalem, siue realem, quando non datur distinctio adæquata partis à parte.

3. Controuersum est, an totum distinguatur ab omnibus partibus collectiuè acceptis. Celebris est sententia, quam docuit olim inter Philosophos Peripateticos Auicenna lib. 3. suæ met.cap.4. deinde Scotus in 8. met. qu.4. & in 3. dist 2. qu.2. cum omnibus suis discipulis, nimirum totum compositum non constitui in ratione totius per omnés partes collectiué acceptas, sed per quandam formam, quam appellat totalitatis distinctam ab omnibus partibus, eisque superadditam, non tantum logicè, de quo non est dubium, sed physicè. In hanc sententiam, quod mirum ést, descendere plurimi Thomistæ, opinantes eam fuisse Angelici Doctoris, nimirum Caiet. in tertia parte q.3. ar.1. c.1. Capreolus in tertio distinct. 2. artic.1. Ferrar. in quarto contra Gentes capit. 81. & alij.

4 Ra-

4. Rationes dubitandi pro hac sententia sunt primò. Omnis causa distinguitur a suo effectu, sed partes sunt causa totius, ergo distinguuntur á toto. Min: patet, quia partes componunt totum, ergo causant totum. Confirmatur, quia totum resultat ex omnibus partibus, ergo distinguitur.

5. Secundo singulæ partes sunt inadæquata causa totius, ergo omnes partes sunt causa totius. Consequentia probatur, quia repugnat causa inadæquata, vbi repugnat adæquata, vt patet in omnibus causis, sed existente toto existit causa inadæquata indistincta ab omnibus partibus, ergo &c. Confirmatur: de singulis partibus potest dici: hæc pars causat, illa causat, & nulla est, quæ non causet, ergo omnes collectiuè causant, sicuti omnes discipuli collectiuè student singulis studentibus.

6. Tertio: Ideo existit totum, quia existunt omnes partes collectiuè acceptæ: ergo omnes sunt causa totius, á quo distinguuntur. Confirmatur, quia Aristoteles in 8. met. cap. 14. ait *sex non sunt bis tria, sed semel sex*, & in 7. met. cap. 17. *syllaba B A non est B, & A*, & lib. 8. cap. 7. *totum est aliquid præter partes*, ergo &c.

7. Quartó. Totus homo generatur, & tamen non solá vnio generatur, præterea totùs homo moritur, & tamen non sola vnio destruitur, ergo datur in homine aliquid distinctum ab vnione, quod nascitur, & moritur, sed hoc non est nisi forma totalitatis distincta ab omnibus partibus, ergo &c. Antecedens probatur, quia vnio est minima quædam entitas, sed répugnat generari, vel mori hominem per solam generationem, vel destructionem minimæ entitatis, ergo, &c.

8. Quinto: Aliqua perfectio reperitur in toto;

quæ non est in partibus, ergo totum distinguitur á partibus. Antecedens probatur, quia in omnibus partibus non datur nisi perfectio materiæ, perfectio formæ, & perfectio vnionis, sed in toto præter has perfectiones, datur perfectio, quam mutuó sibi communicant materia, & forma, ergo &c. Confirmatur, quia intellecta præcisè materia, forma, & vnione non intelligitur mutua perfectio, quam sibi communicant materia, & forma, sed hæc intelligitur, quando inteligitur compositum, ergo aliquod intelligitur per conceptum compositi, quod non intelligitur per conceptum omnium partium.

9. Sextò: Aliquid prædicatur de toto, quod de partibus non prædicatur, ergo idem, quod prius. De toto prædicatur esse vnum ens per se, id non prædicatur de materia, forma, & vnione, quæ sunt tres substantiæ, ergo &c. Confirmatur, quia istæ propositiones sunt veræ: *homo ambulat loquitur videt*: non sunt veræ istæ: *Corpus, anima, & vnio ambulat, videt, loquitur*, ergo &c.

10. Septimo: Concretum accidentale distinguitur á partibus componentibus, ergo etiam substantiale. Antecedens probatur, quia non est idem album, & subiectum, albedo, & vnio; hæc enim propositio est vera: *paries est albus*: non est vera ista: *paries est subiectum, albedo, & vnio*, ergo &c. Confirmatur, quia in concreto substantiali tam materia, quam forma significantur in recto, ergo concretum substantiale non est sola materia, forma, & vnio.

11. Vltimo: Totum substantiale est perfectius, quám totum per accidens, vt exercitus, & aceruus lapidum; sed exercitus non distinguitur ab omnibus militibus collectiué acceptis, ergo totum substantiale distinguitur ab omnibus partibus. Confirmatur, quia implicat totum, cuius constitutiua repugnant cõstituto

stituto, sed huiusmodi est totum ab omnibus partibus indistinctum; quia singulæ partes constituunt totum, & tamen contradicunt toti, non sunt enim totum, ergo &c. contra hanc sententiam.

12. Dico cum Aristotele in secundo de anima cap.1. & alibi, eiusque expositoribus Græcis, quibus inter Latinos adhæret Auerroes cum S. Thoma in 4. contra Gentes cap.81. cui subscribit ex Thomistis Durandus in 3. dist.2. art. 2. ex Nominalibus Gregorius in 1. dist.2. qu.1. & ex Authoribus Nostræ Societatis Suarius disp 33. sect.3. Gabriel Vasquez, & omnes fere Recentiores: Dico inquam, totum siue substantiale, siue accidentale non distingui realiter ab omnibus partibus acceptis collectiué.

13. Probatur primò: demonstrando sententiam contrariam sibi contradicere, adeoque negare exercitè, quod affirmat signatè. Ad hoc præstandum adhibeo modum mirabilem arguendi, quo vrgeo in hunc modum Scotum. Totum, vt fateris, distinguitur realiter ab omnibus partibus, ergo non distinguitur, adeoque per euidentem consequentiam identitas totius cum omnibus partibus infertur ex ipsa distinctione totius ab omnibus partibus. Consequentia probatur: si distinguitur, vel adæquatè, vel inadæquatè distinguitur, non enim est possibilis alia distinctio: non adæquatè, alioquin id, á quo distinguitur non esset pars, quod est contra hypothesim, adeoque totum non esset totum, quod repugnat, distinctio enim adæquata reperitur inter extrema contradistincta, quorum vnum non est pars alterius, ergo distinguitur inadæquaté, sed si distinguitur inadæquaté nullo modo distinguitur ab omnibus partibus, ergo &c. Antecedens subsumptum probatur, si distinguitur inadæquaté, distinguitur per aliquid, quod non est ipsum totum, sed pertinet ad totum, si enim non

pertinet, quomodo per illud diſtinguitur? Quod ſi pertinet ad totum, ergo eſt pars totius, quid enim eſt aliud eſſe partem totius, quam pertinere ad totum? Si concedis eſſe partem totius hoc, per quod totum diſtinguitur, infero: ergo concedis totum ab omnibus partibus non diſtingui, quia repugnat in terminis totum diſtingui à cæteris partibus, de quibus eſt controuerſia, & ſimul ab illa re, per quam diſtinguitur alioquin proceditur in infinitum, ergo ab omnibus partibus nullá re excluſa, quæ veré ſit pars, non diſtinguitur, ergo identitatem totius cum omnibus partibus, quam ſignatè negas exercite affirmás, adeoque eam negando affirmas, tibique contradicis, quod erat demonſtrandum.

14. Probatur ſecundò argumento metaphyſico. Nulla res diſtinguitur à ſua eſſentia, ſiue à ſuis adæquatis conſtitutiuis, quia implicat idem à ſe diſtingui: ſed omnes partes ſunt adæquatum conſtitutiuum totius ſunt enim eiuſdem eſſentia, ergo &c: Mi:prob: quia intellecta præcisè materia, forma, & vnione, quæ ſunt partes componentes hominem, intelligitur formaliter homo; non intellecta materia, forma, & vnione homo formaliter non intelligitur, ergo materia, forma, & vnio adæquaté conſtituunt hominem. Confirmatur, quia fieri non poteſt, vt matéria perficiát intrinſecé formam, & forma materiam, quin exiſtat compoſitum, nimirum ſubſtantia completa ſed exiſtente mátetia, forma, & vnioné, materia perficit intrinſece formam, & forma materiam, vt demonſtratum eſt, ergo &c.

15. Hinc colliges totum non poſſe diſtingui á partibus collectiue acceptis, niſi diſtinctione formali ſicuti diſtinguitur definitio á definito, nimirum animal rationale ab homine, quæ diſtinctio, vt dictum eſt in logica tom. 1. diſp.3. qu. vlt. num 9, eſt quidem di-

distinctio rationis, sed non est præcisio: conceptus enim definitionis non est conceptus definiti, quia illud idem, quod claré exprimitur conceptu definitionis, obscuré exprimitur conceptu definiti, licet definitum non præscindat à definitione. Hoc genere distinctionis totum distingui ab omnibus partibus non est dubium, quia licet homo includat formalitér corpus, ánimam, & vnionem, adeoque non præscindat ab anima, corpore, & vnione, quia nihil præscindit à seipso; clarior tamen conceptus formatur ab intellectu cognoscente signaté animam, corpus, & vnionem, quam ab intellectu cognoscente signate hominem: beneficio huius distinctionis sequitur aliquas loquutiones esse proprias respectu totius improprias respectu partium, licet inter totum, & partes collectiué acceptas, detur realis, & obiectiua identitas, quod est accuraté notandum, vt soluantur prępræcipua partis oppositæ argumenta.

16. Ad primum: dist: ma: omnis causa distinguitur adæquaté, vel inadequaté a suo effectu conc: ma: adæquaté nego ma: & dist: partes collectiué acceptæ sunt causa totius, nego min: distributiué acceptæ conc: min: & dist. conseq: ergo partes collectiué distinguuntur á toto negn conseq: distributiué iterum dist: distinguuntur adęquate nego conseq: inadęquaté conc. cons. Causa alia est intrinseca: alia extrinseca ista distinguitur á suo effectu adæquaté, vt ignis á calore, sol á luce, Deus á creatura; illa tantum inadęquaté, vt anima ab homine, albedo ab albo. Ratio á priori est, quía causa intrinseca causat componendo, siue constituendo id quod causat: itá albedo, quæ est causa formalis, adeoque íntrinseca albi, causat album componendo, siue illud constituendó per sui communicationem, sed id, quod causat componendo, distinguitur inadęquaté ab eo, quod causat

vt pars á toto, ergo causa intrinseca distinguitur inadęquaté á suo effectu. Partes, quę constituunt compositum, causant totum distributiué, non collectiué, quælibet enim pars causat communicando seipsam composito, adeoque componit transitiuè totum, in quod illa transit: omnes collectiué non causant, neque componunt nisi intransitiué, qui modus componendi non est ad rem præsentem, quia componere intransitiué nihil est aliud, quam componere identicé, siue per identitatem: vnde non infertur distinctio, sed potius indistinctio partium á toto Ad confirmationem dist: antec: totum resultat physicé ex omnibus partibus, nego ant: resultat logicé conc: ant: & dist: cons: ergo distinguitur phycé: nego cons: logicé conc; cons: eodem modo distinguitur totum ab omnibus partibus, quo resultat, sed resultat solum logice, sicuti definitum á definitione, ergo logicé solum distinguitur. Quod si sermo sit de singulis partibus, non est dubium quin physicé resultet, ex quo infertur distinctio realis totius a singulis partibus.

17. Ad secundum conc: antec: & nego cons: Ad eius probationem dico causam adæquatam repugnare in causis intrinsecis, non repugnare in causis extrinsecis: ratio est, quia causare intrinsecè, & esse partem est idem formalissime, sed repugnat aliquid esse partem, & adæquare id, cuius est pars, ergo repugnat causam intrinsecam esse causam adæquatam, sicuti enim pars, quæ adæquat id, quod constituit, est pars, quæ non est pars; itá causa intrinseca adæquans id, quod causat, est causa quæ non est causa: inde est, quod causa intrinseca, vt causet, non debet adæquare suum effectum, sicuti pars non potest componere ens completum nisi sit ens incompletum. Ad confirmationem conc: antec: & nego conseq: quiá non licet vniuersaliter arguere á

sensu distributiuo ad collectiuum, sicuti non licet ita arguere: singulæ partes sunt incompletæ, ergo omnes collectiuè sunt incompletæ: ratio á priori est, quia tunc non licet arguere á sensu distributiuo ad sensum collectiuum, quando aliquid de singulis verificatur, quod falsificatur præcisè per coniunctionem cum alijs, vt contingit in re præsenti: ratio enim partis adeoque causæ intrinsecæ verificatur de omnibus partibus singillatim acceptis, falsificatur de eisdem collectiuè acceptis. Cauenda est æquiuocatio, quæ non semel committitur in hac materia inter partes acceptas distributiuè, & partes separatas, quia partes causant totũ in statu coniunctionis, nõ in statu separationis. Cæterum partes coniunctæ possunt accipi distributiuè, in quo sensu causant totum, & possunt accipi collectiuè; in hoc sensu omnes partes non causant, quia sunt ipsum totum, quod est causatum.

ùs. Ad tertium dist: antec: ideó existit totum, quia omnes partes existunt, ly *quia* appellante causalitatem physicam: nego antec: appellante causalitatem logicam: conc: anteced: & nego conseq. Petrus ideó est homo, quia est animal rationale, non propterea distinguitur physicé animal rationale ab homine: ratio est, quia particula *ideo* significat causalitatem logicam, siue prioritatem, quæ vocatur á subsistendi consequentia, eaque inuenitur inter antecedens, & consequens, vbi datur sola formalis, & logica distinctio: authoritas Philosophi probat distinctionem totius ab omnibus partibus acceptis non collectiuè, sed distributiuè, vt patet ex contextu, ideó Aristoteles nostræ sententiæ non repugnat.

19. Ad quartum: nego anteced. in omni actione, per quam totum producitur, necesse est duplicem terminum distinguere, vnum adæquatum, alium formalem: terminus adæquatus est totum, quod producitur

citur, terminus formalis est illa tantum pars, quæ præcisè producitur, eaque producta totum producitur: ratio est, quia ad producendũ totũ non est necesse omnes partes producere, sicuti nõ est necesse omnes partes destruere ad totum destruendum; est autem necesse aliquam partem produci in productione totius, & aliquam partem destrui in destructione totius, repugnat enim totum produci, vel destrui, & nihil produci, vel destrui, quod totum constituit, ergo in generatione hominis terminus adæquatus est totus homo, terminus veró formalis non est totus homo, sed est sola vnio, quia homo generátur quidem totus, sed non generatur totaliter, cum singulæ eius pártes non generentur: idem contingit in morte hominis, totus enim homo moritur, sed non totaliter, quia anima non moritur, ideó terminus adæquatus mortis est totus homo, terminus formalis, est vnio, quæ destruitur. Ad probationem antecedentis dist. ma. vnio est entitas minima intransitiuè: conc. ma: transitiué; nego ma: & distincta minori nego consequentiam. Vnio accepta intransitiuè est entitas modalis, adeoque exiguam habens perfectionem: accepta veró transitiue, multum habet perfectionis, quia communicat animam corpori, adeoque tantam trahit perfectionem, quantam habet anima corpori communicata, sicuti vnio hypostatica intransitiué considerata parum habet perfectionis, transitiué veró maximam, immo infinitam, quia communicat Verbum humanitati.

20, Ad quintum: nego antecedens. Ad eius probationem dist. ma. non datur in omnibus partibus nisi perfectio intransitiua materiæ, formæ, & vnionis: nego ma: perfectio transitiua conc. ma. & minor & nego conseq. Quando considerantur materia, & forma, & vnio, in sensu reali considerantur materia, & forma

ma se mutuo perficientes, adeoque consideratur materia secundum perfectionem non tantum intransitiuam, sed etiam transitiuam: idem dico de forma; inde est, quod illa perfectio, quæ est in toto inuenitur in omnibus partibus totum componentibus. Ad confirmationem dico argumentum esse verum, dummodo sermo sit de sensu formali, & præcisiuo, neque inde sequitur falsitas nostræ sententiæ, quæ recognoscit inter totum, & partes distinctionem formalem.

21. Ad sextum: dist. antecedens aliquid prædicatur de toto, quod non prædicatur in sensu reali de partibus: nego antecedens: in sensu formali: omitto antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem antecedentis dico materiam, formam, & vnionem in sensu reali esse ens per se vnum, non minus quam compositum. Ratio est, quia materia, forma, & vnio sunt substantiæ incompletæ, facientes vnam substantiam completam, sed substantiæ incompletæ facientes vnam completam sunt in sensu reali vnum ens per se, ergo materia, forma, & vnio sunt ens per se vnum in sensu reali. Quod si intellectus cognoscendo materiam, formam, & vnionem, non cognoscit signatè ens vnum per se, quod signatè cognoscit quando format conceptum compositi; id nascitur ex distinctione formali, quæ inuenitur inter totum, & omnes partes. Ad confirmationem dico vtramque propositionem in sensu reali esse veram: in sensu formali, esse veram primam, nimirum *homo ambulat*, falsam secundam, *materia, forma, & vnio ambulant*, quia in primo conceptu exprimitur vnum principium omnium operationum, quod in secundo conceptu non exprimitur: quia non cognoscuntur signatè materia, & forma se mutuo perficientes, adeoque migrantes in tertiam substantiam, cui tribui-

tur

tur motus, ambulatio, & alia id genus.

22. Ad septimum: nego antecedens. Ad eius probationem dico hoc concretum *album* secundum omne id, quod significat, habere identitatem cum materia, forma, & vnione, non habere identitatem secundum id, pro quo supponit, quia supponit pro solo subiecto, quod vtique non habet identitatem cum forma: inde est veram esse hanc propositionem: *paries est albus*, non esse veram istam; *paries est subiectum, albedo, & vnio*, quia datur identitas inter parietem, & id, pro quo supponit album, non datur identitas inter parietem, & omne id, quod significat album. discrimen inter concretum accidentale, & substantiale in eo consistit, quod in concreto accidentali significatur in obliquo forma, in substantiali significatur in recto: inde est, quod album resoluitur in hanc propositionem: *est subiectum habens albedinem*: humanitas veró, quæ est concretum substantiale resoluitur in hanc propositionem copulatiuam: *est materia communicata formæ, & forma communicata materię*.

23. Ad vltimum: concedo maiorem, & minorem & nego consequentiam. Perfectio quæ est maior in toto substantiali quam in toto per accidens, quod est vnum vnitate aggregationis, non consistit in reali distinctione totius substantialis á partibus, vt falso contendit arguens, sed in perfectiori communicatione, quæ reperitur in partibus componentibus totum illud, quod est vnum per accidens. Ratio est, quia totum catenus est perfectius, quatenus partes habent maiorem vnitatem, & connexionem, sed partes componentes totum substantiale, habent maiorem vnitatem, & connexionem, quam habeant partes, quæ componunt totum per accidens, nimirum aceruum lapidum, quia lapides non habent aliam

vni-

vnitatem, nisi propinquitatis, & indistantiæ, quæ sine dubio est minor vnitas, quam vnitas formæ cum materia, ergo &c. Ad confirmationem concedo maiorem, & nego minorem. Ratio est, quia singulæ partes licet distinguantur inadæquatè á toto, adeoque identicé non sint totum, nullam habent repugnantiam cum toto, quia non possunt habere oppositionem cum illa re, quam componunt: sed componunt totum, ergo non habent oppositionem cum toto. Ex eo autem, quod quælibet pars non est totum, non sequitur partem contradicere toti. Ratio est, quia ea sibi contradicunt, quorum vnum excludit essentiam alterius, sed essentia partis non excludit essentiam totius, licet pars habeat negationem identitatis cum toto, ergo pars non contradicit toti, sicuti Petrus non contradicit Paulo, adeoque non est negatio Pauli, licet habeat negationem identitais cum Paulo.

* *
*

DISPVTATIO SEXTA,

De Natura & Supposito.

Sybſtantiæ materiales conſtant non ſolum ex materia & forma, ſed etiam ex natura & ſubſiſtentia, ideo duplicem oportet cognoſcere in corpore naturali compoſitionem: aliam ex materia & forma componentibus vnam naturam, aliam ex natura & ſubſtantia componentibus vnum ſuppoſitum. De natura, quæ componitur ex materia & forma, ſatis fuit huc vſq; diſputatum: de ſuppoſito quod ex natura & ſubſiſtentia componitur, in præſenti diſputandum eſt: quia verò ſubſtantiæ materiales id habent commune cum immaterialibus creatis vt componantur, ex natura & ſuppoſito, ideo neceſſe eſt de hác compoſitione in præſenti agere omnibus rebus creatis communi: hanc diſputationem, quæ eſt totius Philoſophiæ celeberrima iudico vtiliſſimam, ad explicanda & intelligenda duo noſtræ religionis Myſteria, nimirúm Trinitatem, & Incarnationem.

QVAE-

QVAESTIO I.

Quid sit suppositum & an sit realiter distinctum à natura.

1. Sciendum primò. Suppositum nihil aliud esse, quam primam substantiam de qua in Logica egimus, tom. 1. disp. 9. quæst. 1. n. 3. eamque cum Philosopho docuimus esse, quæ neque est in subiecto, neque dicitur de subiecto adeóque vocatur antonomasticè substantia: hinc Petrus est prima substantia, & simul est suppositum, immo est suppositum, quia est prima substantia, & est prima substantia, quià est suppositum, ratio enim suppositi, & ratio primæ substantiæ in rebus creatis sunt rationes realiter conuertibiles Petrus neque est in subiecto, quia non dependet ab alio ente, à quo intrinsecè & formaliter perficiatur, neque dicitur de subiecto, quia est subiectum omnium prædicationum, quæ spectant ad prædicamentum substantiæ. Rationem identitatis realis inter suppositum & primam substantiam adducit optimam Suarius disp. 34. sect. 2. num. 9. quia suppositum formalissimè est ens incommunicabile & distinctum ab alijs suppositis eiusdem naturæ, vt diserte docet S. Thomas quæst. 9. de potentia art. 5. sed in rebus creatis prima substantia est realiter substantia incommunicabilis, & distincta ab alijs suppositis eiusdem naturæ, ergo in rebus creatis, prima substantia, & suppositum realiter conuertuntur: Minor probatur, quia quælibet prima substantia creata est finita, adeóque incommunicabilis pluribus, repugnat enim substantia finita pluribus suppositis realiter communicabilis, cum natura Diuina eà præcisè de causa sit communicabilis pluribus,

ribus suppositis, quia est infinita, adeóque communicabilis ex abundatia, non ex indigentia perfectionis,hoc est largiendo non emendicando perfectionem. Hinc est, quód de prima substantia, quæ est substantia increata, diuersimodè debemus Philosophari, ea enim non est omnibus modis idem cum supposito. Ratio huius diuersitatis non patet aliundé, quam ex Mysterio Trinitatis,quod nobis reuelauit fidés: primá substantia in Diuínis est ipsa natura, siuè essentia Diuina,quæ vtpotè infinita necessariò sistit in se, adeóque subsistit subsistentia absoluta,quæ est infinita subsistentia, ens eniminfinite perfectum quatenús infinitum, non potest in alio ente sistere, sed debet essentialiter in se ipso sistere: quia veró de ratione primæ substantiæ est in se sistere, adeóque habere esse per se, & in se, non veró in aliquo á quo pendeat in suo esse, indè est quod Diuinitas siuè essentia Diuina secundum se præcisè spectata est prima substantia:præterea constat ex fide essentiám Diuinam propter fecunditatem, quam Deus habet intra se, esse realiter communicabilem, quia est in tribus suppositis realiter distinctis: ideo prima substantia increata & Diuina est essentialiter communicabilis, quod non conuenit primæ substantia creatæ: ratio suppositi est ratio entis essentialiter incommunicabilis, quia ratio suppositi est ratio formalis distinguendi vnum ens ab alio, repugnat autem in terminis esse communicabile id, quod est ratio formalis distinguendi vnum ab alio: indè est reperiri aliquam distinctionem obiectiuam inter primam substantiam increatam, & suppositum, quia prima substantia est communicabilis, suppositum autem est incommunicabile. Hanc distinctionem docuimus in Logica, tom.1. disp.3. quæst.1. num.8. esse virtualem intrinsecam, quia suppositum Patris habet identitatem realem cum natura Diuina, á qua virtualiter

liter distinguitur, Pater enim communicat suo filio esse Deum, sed non communicat esse Patrem: ex quo discursu sequitur, in Mysterio Trinitatis esse tria supposita, non esse tres primas substantias, quia eadem prima substantia, nimirùm eadem Diuinitas subsistens subsistentia absoluta, quæ est in vna persona, est in omnibus, propter identitatem realem, quam habent in natura omnes personæ.

2. Sciendum secundò, formam à qua denominatur prima substantia, esse subsistentiam & formam á qua denominatur suppositum esse suppositalitatem; adeóque subsistentiam distingui à prima substantia, & suppositalitatem á supposito sicut distinguitur abstractum á concreto; quia veró suppositum, & prima substantia in rebus creatis idem realiter significant, ideo subsistentia, & suppositalitas habent eamdẽ significationem, adeóque idem est quærere conceptum formalem subsistentiæ & conceptum formalem suppositalitatis, distinctíonem subsistentiæ á natura, ac distinctionem suppositalitátis á natura. Conceptus formalis subsistentiæ est formalis determinatio substantiæ, siuè naturæ ad sistendum in se, adeóque ad non habendum esse receptum in alio: ratio est, quia subsistere est formalissimé in se sistere, siuè non habere esse in alio, sed subsistentia est illa forma, quæ formaliter denominat ens subsistens, ergo subsistentia est illa forma, quæ formaliter denominat ens in se sistens, siuè non habéns esse in alio, ergo formalis conceptus subsistentiæ est formalis determinatio substantiæ ad sistendum in se; hinc est, quòd latiús patet existere, quam subsistere, adeòque existentia quam subsistentia, quia omne id, quod subsistit, existit, sed non omne id quod existit subsistit: accidens existit, sed non subsistit, quia accidens habet existentiam á se indistinctam, sed non habet existentiam in se sistentem,

cum spectet ad naturam accidentis, quod est entis ens, inhærere substantiæ: itá albedo, quæ inhærens parieti dealbat parietem, existit per existentiam non parietis, sed propriam, immo á se indistinctam, quia nihil existit per existentiam distinctam, vt demonstratum est in tractatu de identitate essentiæ cum existentia disput. 2. quæst. 3. num. 16. eadem albedo non sistit in se, sed sistit in pariete, habet enim esse dependens á pariete: præterea sequitur substantiam incompletam, siuè materialem, siuè formalem non sistere in se, adeóque non esse suppositum, sed potiús esse in supposito. Ratio est, quia nullum est ens incompletum, quod non vniatur, vel saltem vniri non possit cum alio ente incompleto, itá vt perficiat & perficiatur: sed vnum ens vniri altri, itá vt perficiat & perficiatur, est formalissimé sistere non in se, sed in toto, quia totum est perfectius singulis partibus, ergo, &c. Indè est, quod anima rationalis licet sit forma subsistens vtpote immaterialis, neque est suppositum, neque prima substantia, sed constituit suppositum, quatenús constituit naturam humanam, quæ est ens completum sistens in se per subsistentiam propriam. Hæc doctrina, quæ docet animam rationalem esse formam subsistentem, & non esse suppositum, non repugnat doctrinæ præcedenti, vbi docuimus esse idem suppositum, & ens subsistens, quia aliud est esse formam subsistentem, & esse ens subsistens: anima est forma subsistens, sed non est ens subsistens, adeóque non est suppositum: ratio est, quia ens subsistens est ens completum sistens in se, sed anima, licet sit forma subsistens, non est ens completum sistens in se, quia in statu vnionis facit vnum per se cum corpore, & in statu separationis retinet potentiã saltem obedientialem faciendi vnum per se cum ipso corpore: ergo anima non est ens subsistens, licet sit forma subsistens: indè est,

quod

quod subsistere in genere entis est subsistere subsistentia, quæ constituit suppositum: subsistere in genere formæ non est subsistere subsistentia faciente suppositum.

3 Sciendum tertio Hypostasim esse vocem græcam, quæ latinè reddita sonat subsistentiam, eaque à græcis vsurpatur, ad promiscuè significandam subsistentiam in abstracto, & in concreto, nimirum totum suppositum, & rem subsistentem: inde est, quod Patres Græci dum loquerentur de mysterio Trinitatis, & Incarnationis ad significandam veritatem Catholicam oppugnatam ab Hæreticis de identitate suppositi cum distinctione naturæ in Christo, quam negauit Nestorius, & Eutiches, & identitatem naturę cum distinctione suppositi in Trinitate, quam negabat Arrius, & Sabellius, fuerunt semper soliti dicere, in Christo esse duplicem naturam, & vnicam hypostasim: in Deo vnicam naturam, siue essentiam, & triplicem hypostasim: quia verò natura, quæ subsistit, & quodammodò suppositatur in supposito, alia est rationalis ad quam pertinet natura Humana, Angelica, & Diuina, alia irrationalis ad quam spectant cæterę naturæ intellectu carentes, ideò ad significandum suppositum naturę rationalis, & illud discernendum à quocumque alio supposito inuentum est nomen personæ, quo nomine solet appellari tantum prima substantia rationalis, persona enim definitur à Boetio in libro de duabus naturis, *rationalis naturæ indiuidua substantia, siue incommunicabilis substantia*: inde est, quod subsistētia, quæ terminat naturam rationalem, eamq; facit sistere in se appellatur personalitas quia personalitas est abstractum, & persona concretum. Rationem cur fuerit impositum nomen personæ ad significandum suppositum naturæ rationalis, insinuat S. Thomas in prima parte quæst. 29. art. 3. vbi hæc habet, *quia enim in comædijs, & tra-*

gadijs repræsentabantur aliqui homines impositum est hoc nomen persona ad significandum aliquos dignitatem habentes: vnde consueuerunt dici personæ in Ecclesiis, quæ habent aliquam dignitatem: & quia magnę dignitatis est esse in rationali natura, omne indiuiduum rationalis naturæ dicitur persona: hæc Sanctus Thomas ex quibus constat suppositum latius patere, quam personam, quia omnis persona est suppositum non omne suppositum est persona, Bucephalus enim est suppositum, quia est indiuidua substantia naturæ equinæ, non est persona, quia non habet naturam rationalem.

4 Ex his omnibus, quæ huc vsque diximus, satis constat, quid sit natura, quid suppositum, in Petro enim qui est vna persona humanæ naturæ, est tota hominis substantia, quæ constat ex anima & corpore vicissim copulatis, & constituentibus hoc animal rationale, nimirum hoc principium sentiendi, & discurrendi, quod appellatur hæc natura humana, siue hæc humanitas; prætereà est persona Petri nimirum tota substantia huius hominis, quæ sistit in se, & non potest cum alia substantia facere vnum per se: inde est, quòd in hac persona inueniuntur tres formalitates formaliter diuersæ, nimirum formalitas primæ substantiæ, formalitas suppositi, & formalitas personæ: formalitas primæ substantiæ præscindit a formalitate suppositi, quia natura diuina est prima substantia, & non est suppositum. Formalitas suppositi præscindit à formalitate personæ, quia equus est suppositum, & non est persona: omnes istæ formalitates habent realem identitatem in singulis personis, quæ constituunt suppositum creatum naturæ rationalis.

5. Hæc quæ hactenus dicta sunt, spectant ád intelligentiam terminorũ, in præsenti quęritur, vtrum suppositum distinguatur à natura distinctione reali, vel formali. Durandus in primo dist. 34. quæst. 1. docet suppo-

posi-

positum non esse aliquid realiter distinctum á natura; nimirum hominem ab humanitate, sed solum distingui distinctione rationis, quatenus homo significat naturã humanam in concreto, & humanitas in abstracto: inde est substantiam esse identicè naturam, adeoque prædicari verè in sensu reali humanitatem de homine, sicut prædicatur animalitas de rationalitate, & Deus de natura diuina: hanc sententiam, quæ iam obsoleuit & apud Theologos male audit, docuit Henricus de Gadauo quod lib.4.

6. Argumenta huius sententiæ sunt primo: ea distinctio datur inter naturam, & suppositum, quæ datur inter hominem, & humanitatem, sed inter hominem, & humanitatem non datur alia distinctio nisi formalis, ergo inter naturam, & suppositum non datur nisi distinctio formalis. Minor probatur, quia homo distinguitur ab humanitate sicuti concretum metaphysicum á suo abstracto, nimirum animal ab animalitate.

7 Secundo: natura est substantia completa, sed substantia completá per se, ipsam sistit in se: hoc enim est discrimen inter substantiam, & accidens, quod substantia est ens per, se accidens ens in alio, ergo natura per se ipsam est suppositum, quia suppositum nihil est aliud, quam ens substantiale sistens in se, ergo inter naturam, & suppositum non datur realis distinctio.

8 Tertio: suppositum nihil addit supra naturam in sensu reali, ergo non distinguitur realiter à natura. Antecedens probatur, quia non potest explicari quid addat persona Petri supra ipsam Petreitatem, quæ est formaliter talis determinata natura contrahens rationem abstractissimam hominis ad hunc numero hominem. Contra hanc sententiam.

9. Dico in rebus, creatis distingui realiter suppositum à natura: hæc sententia est communis apud om-

nes Theologos & Philosophos.

10. Probatur primo. Ea distinguuntur realiter in rebus creatis, de quibus verificantur realiter prædicata contradictoria: huiusmodi verificantur de natura & supposito in rebus creatis, ergo in rebus creatis natura & suppositum realiter distinguuntur. Minor probatur: assumi à Verbo Diuino & nō assumi à Verbo Diuino sunt prædicata contradictoria, hæc verificantur realiter de natura & supposito, nimirum de humanitate & homine, quia Verbum Diuinum realiter assumpsit humanitatem, quando Deus factus est homo, non assumpsit realiter hominem, siuè personam hominis: quia in Christo est vnica persona, nimirum persona Diuina, adeoque vnicum suppositum, hoc est suppositum increatum, in quo subsistit & suppositatur humana natura, vt definitum est in Concilio Ephesino: inde est quòd licet Abraham antecesserit aduentū Christi duo fermé annorū millia tamen Christus verè dixit: *Antequam Abraham fieret ego sum quia ly ego* appellabat non naturam humanam, sed personam Diuinam, quæ fuit æterna, adeoque fuit antequam foret Abraham. Idem argumentum probat distinctionem realem cuiuslibet naturæ creatæ, quæ à Verbo Diuino non est assumpta, ab ipso supposito, quia nulla est natura indiuidualis saltem angelica & humana, quam Deus non possit assumere, & tamen Deus non potest assumere suppositum, repugnat enim suppositum assumi, alioquin suppositum non esset suppositum, ergo natura distinguitur realiter à supposito, & consequenter à subsistentia quæ est forma denominans naturam subsistentem, & constituens suppositum: hanc distinctionem non agnouit Aristoteles, neque alius ex Philosophis Gentilibus, quos latuit Mysterium Incarnationis.

11. Probatur secundo. Hæc propositio *homo est*

humanitas neque in sensu reali est vera, ergo non datur realis identitas inter hominem, & humanitatem, adeoque inter suppositum & naturam. Antecedens probatur, quia propositio in qua prædicatur in sensu reali natura de supposito, verificatur solum in Deo, qui ita habet diuinitatem vt sit ipsa diuinitas. Ratio à priori est, quia quælibet res creata, in quantum creata, est finita, in quantum finita habet aliquid accidẽtale compositum ex substantia, & accidente: in quantum habet hoc esse potest de illa verè prædicari terminus concretus, falsò terminus abstractus: ità de substantia angelica, & humana potest veré prædicari ratio intelligentis: falsò ratio intellectionis: ergo quælibet res creata in quantum finita habet esse substantiale essentialiter compositum, in quo fundatur necessitas habendi esse compositum ex substantia, & accidente: sed hoc esse substantiale compositum, non est esse compositum ex essentia & existentia, quia repugnat realis distinctio essentię ab existentia, vt ostensum est, neque est esse compositum ex materia & forma, id enim non inuenitur in substantijs immaterialibus, ergo debet esse compositum ex natura, & supposito, ita vt natura sit abstractum, & suppositum concretum: sed in concretis, quæ inuoluunt realem compositionem, non potest abstractum de concreto nec pars de toto verè prædicari, ego nulla est res creata, de qua verè possit prædicari natura de supposito. Vnde constat suppositum distingui realiter à natura distinctione inadæquata, quia suppositum præter naturam includit subsistentiam.

12. Hinc patet verissima S. Thomæ doctrina, qui acutè docet illud ens, in quo non distinguitur realiter id quod est, nimirum suppositum, & id, quo est nimirum natura, esse ens infinitum nimirum Deum:

illud verò ens, in quo hæc duo realiter distinguuntur, non esse ens infinitum, videlicet ens creatum, quod proindé non est suum esse, sicuti Deus est suum esse: aperte siquidem constat ex doctrina tùm Aristotelis, tùm eiusdem S. Thomæ suppositum esse id quod est, & naturam esse id, quod suppositum est, quia sicuti agere pertinet ad suppositum, vt docet Philosophus qui dicit actiones esse suppositorum: ita esse, ad quod sequitur operari, spectat ad suppositum, quod si à Caietano ac cæteris Thomistis notatum foret; suam & falsam sententiam de distinctione essentiæ ab existentia, Sancto Doctori non imposuissent.

13. Ad primum: concedo maiorem, & nego minorem: inter concretum metaphysicum & concretum physicum illud est discrimen, quod abstractum concreti metaphysici est ab ipso concreto inseparabile, propter identitatem realem formæ cum subiecto, abstractũ veró concreti physici est separabile à concreto propter realem distinctionem formæ à subiecto. Hic terminus *homo* qui sine dubio significat personam hominis, nimirum suppositum constans ex humanitate & subsistentia, siue personalitate hominis est concretum physicum, quia forma, nimirum humanitas, est realiter separabilis à persona, vt patet in Christo, vbi est natura humana sine persona humana. Cæterum si hoc nomen homo nihil aliud significet quam compositum humanum, quod tamen in rigore dialectico est aperté falsum, vt constabit inferius, non est dubium, quin homo sit concretum métaphysicum, adeoque inter hominem, & humanitatem non detur alia distinctio prætēr formalem, sed hoc non est ad rem præsentem; vbi agimus de distinctione reali naturæ à supposito.

14. Ad secundum. Substantia completa per se ipsam sistit in se radicaliter, non formaliter, vt ostensum

sum est tomo 1. disp. 9 qu. 3. num. 19. quia existentia substantiæ completæ non est ipsa formalis subsistentia, sed est exigentia subsistentiæ, eo modo quo existentia accidentis non est ipsa formalis inhærentia in subiecto, sed est exigentia huius formalis inhærentiæ, adeoque argumentum retorquetur.

15. Ad secundum. Nego antecedens: suppositum addit supra naturam subsistentiam siuè suppositalitatem: hinc est, quod natura Petri vt constituat suppositum, debet habere in se aliquid realiter distinctum ab ipsa Petreitate; hoc est ab ipsa indiuiduatione naturæ humanæ: an verò hæc subsistentia sit aliquid positiuum, vel negatiuum, pertinet ad quæstionem sequentem.

QVAESTIO II.

Vtrum suppositum addat supra naturam aliquid positiuum, vel negatiuum.

1. SCotus in 3. dist. 1. quæst. 1. vna cum omnibus Scotistis & multis recentioribus, docet suppositum addere supra naturam solam negationem vnionis cum alio supposito, adeoque subsistentiam distingui realiter á natura tanquam ens negatiuum ab ente positiuo, non tanquam ens positiuum á positiuo: nomine entis negatiui intelligit Scotus geminam negationem, vnam quæ excludit vnionem actualem, aliam quæ negat vnionem potentialem cum alio supposito. An Scotus fuerit in hac sententia, est inter Philosophos controuersum; pluribus in locis á Scoto proponi, eamque vsurpari á Scotistis tanquam sententiam Scoti est certum: iuxta hanc sententiam optimè explicatur, quomodo natura humana, quæ est in

Chri-

Christo, nō sit suppositū, & quomodo anima rationalis á corpore separata non sit suppositum: quia natura humana in Christo nō habet negationē vnionis actualis cum alio supposito, est enim vnita Verbo Diuino, & anima rationalis á corpore separata non habet negationem vnionis potentialis cum alio supposito, quia potest vniri corpori & constituere suppositum humanum. Hurtadus *disp.* 15. metaph. docet subsistentiam, quam opinatur contra Scotum distingui positiué á natura, distingui tanquam rem á re, non tanquam modum á re: paucos habet sectatores hæc sententia, cum feré omnes Philosophi, & Theologi cum Suario disp. citata sect. 5. doceant subsistentiam distingui á natura tamquam modum á re, sicuti vnio distinguitur á materia & forma, quatenus subsistentia est vltima determinatio naturæ completæ ad sistendum in se.

2. Argumenta quibus Scotus probat subsistentiam quatenus distinctam á natura nihil aliud esse quam negationem, sunt huiusmodi. Primo intellecta præcisé natura completa habente negationem vnionis cum alio supposito intelligitur, natura completa subsistens: sed intellecta præcisé natura subsistente intelligitur suppositum, ergo intellecta præcisé natura completa habente negationem vnionis intelligitur suppositum, ergo subsistentia distincta a natura nihil est aliud, quam negatio vnionis cum alio supposito. Minor probatur: per hoc præcisé, quod natura completa non habet esse in alio, habet esse in se; sed intelligitur natura non habens esse in alio, non intellecto ente positiuo, ergo &c.

3. Secundo. Sistere in se siue non esse in alio supposito non est perfectio substantialis distincta á perfectione naturæ subsistentis, ergo subsistentia quatenus á natura distincta non est perfectio intrinseca naturæ.

Ante-

Antec. probatur: tota perfectio substantialis, quam habet suppositum, est perfectio naturæ, quia præscindendo a subsistentia, natura est substantia completa, adeoque habet quidquid requiritur ad perfectionem substantialem, ergo subsistentia non requiritur ad perficiendam intrinsecè naturam, sed solum ad reddendam eam incommunicabilem alteri supposito. Confirmatur: quia subsistentia nihil aliud tribuit naturæ nisi excludere vnionem illius cum supposito Diuino, sed exclusio vnionis cum supposito Diuino non perficit naturam, ergo &c.

4. Tertio. Negatio vnionis hypostaticæ est negatio infinitæ perfectionis, sed negatio infinitæ perfectionis non est formaliter perfectio, ergo negatio vnionis hypostaticæ non est formaliter perfectio: sed subsistentia creata est negatio vnionis hypostaticæ, ergo non est ens positiuum. Minor patet quia vt ostensum est in logica tom.1. disp.7. qu. 5. n.6. nulla res creata differt á Deo perfectione, sed solum imperfectione.

5. Quarto: Verbum Diuinum assumendo humanam naturam assumpsit totam substantiam hominis, sed subsistentiam non assumpsit, ergo subsistentia non pertinet ad substantiam hominis, ergo non est perfectio substantialis. Maior probatur, tum quia verbum assumpsit quidquid in humana natura Deus plantauit, vt ait Damascenus, túm quia Verbum assumpsit illud ipsum quod sanauit, sed totum hominem sanauit, ergo totum hominem assumpsit.

6. Quinto: omne positiuum potest assumi á Deo in vnitatem personæ: sed subsistentia hominis non potest assumi á Deo in vnitatem personæ; ergo non est ens positiuum. Maior probatur, quia vel nullum ens positiuum, vel omne ens positiuum potest assumi: non nullum, ergo omne. Confirmatur, quia subsisten-

stentia si est ens positiuum, facit aliquod compositum physicum ex natura, & subsistentia, distinctum à composito ex materia & forma, ergo sicuti hoc potest assumi, illud etiam poterit assumi.

7. Vltimo: si Deus produceret naturam humanam, eamque non communicaret Verbo, & simul non produceret subsistentiam humanam, huiusmodi natura esset suppositum, ergo natura per solam negationem constituit suppositum. Antecedens probatur, quia huiusmodi natura sisteret in se, & non sisteret in alio supposito, sed natura completa quæ sistit in se, est suppositum, ergo &c. Contra hanc sententiam.

8. Dico primo: Subsistentia creata quatenus à natura distincta, est ens positiuum non negatiuum.

9. Probatur primo: Subsistentia creata quatenus distincta à natura est substantia, ergo est ens positiuum. Antecedens probatur: id per quod subsistentia distinguitur à natura, constituit vltimo suppositum in ratione suppositi, præcisa enim suppositalitate non existit suppositum, sicuti præcisa albedine non existit album: sed id per quod suppositum constituitur vltimo in ratione suppositi, est substantia, ergo id per quod subsistentia distinguitur, à natura est substantia. Minor probatur: suppositum qua suppositum est prima substantia quam docet Aristoteles esse maximé substantiã eo quod formalis conceptus substantię, conuenit proprijssimè primæ substantiæ, adeoq; supposito, sed fieri non potest vt substantia quæ est est maximé substantia cõstituatur vltimo in ratione, primę substãtiæ per aliquid, quod non est substantia, ergo prima substantia constituitur in ratione primæ substãtiæ per id, quod est substantia, ergo suppositum constituitur vltimo in ratione suppositi per aliquod quod est substantia, ergo per subsistentiam quæ est substantia, ergo per subsistentiam, quæ non est sola negatio, ergo

per

per subsistentiam quæ est ens positiuum.

10 Confirmatur idem argumentum. Suppositum est vnum per se, ergo non constituitur intrinsecè per naturam, quæ est ens positiuum, & subsistentiam, quæ est ens negatiuum; alioquin non esset vnum per se. Consequentia probatur: primo, quia suppositum si constituitur in ratione suppositi per naturam, quæ est substantia, & subsistentiam, quæ est accidens, non est vnum per se, vt est manifestum, constat enim ex vna parte accidentali, ergo á fortiori non est vnum per se si subsistentia est sola negatio: quia ex substantia, & accidente fit aliquid multo perfectius, quam ex substantia & sola negatione propter maiorem distantiam inter esse, & non esse, hoc est inter substantiam & negationem, quam inter ens per se & ens in alio, hoc est inter substantiam & accidens. Secundo quia suppositum nimirum Petrus esset sicuti aer tenebrosus, qui constituitur intrinsecé per substantiam aeris & solam negationem lucis, adeoque esset vnum per accidens.

11. Probatur secundo ex conceptu perfectionis. Perfectio quatenus perfectio est ens positiuum, sed subsistentia quatenus subsistentia est perfectio, ergo est ens positiuum, ergo &c. Minor probatur quia subsistere siue in se sistere est procul dubio aliqua perfectio, vt videtur ex terminis manifestum: ratio á priori est, quia per hoc præcisé substantia differt ab accidente, siue ens per se ab ente in alio, quod accidens in se non sistit, sed sistit in alio á se adæquaté distincto, substantia vero in se sistit, vel saltem in alio sistit á se inadæquate distincto, quod notanter dictum est propter substantiam incompletam, quæ sistit in toto nimirum in substantia completa, á qua inadæquaté distinguitur, sed id per quod substantia differt ab accidente est aliqua perfectio, ergo sistere in

se sit è subsistere est perfectio. Præterea esse ens completum, & non habere dependentiam ab alio ente á se distincto tanquam ab intrinseco sui perfectiuo est perfectio melior ipsa quam non ipsa, conuenit enim Deo qui sistit in se & non habet dependentiam ab alio ente, ergo subsistentia quæ est ratio formalis á qua denominatur ens subsistens, & non habens dependentiam ab alio ente sibi intrinseco includit perfectionem, ergo non potest consistere in sola negatione perfectionis, ergo consistit in ente positiuo, quod negat dependentiam intrinsecam naturæ, quæ subsistit, ab alio ente sibi intrinseco.

13. Probatur tertio ex conceptu formali subsistentiæ: subsistere in genere non est ens negatiuum, ergo subsistere creatum non est ens negatiuum, ergo positiuum. Antecedens patet, quia in genere entis subsistentis inuenitur Diuinū subsistere; quod est ens positiuum, cum suppositum Diuinū subsistat per subsistētiam relatiuam, quæ realiter debet esse aliquid positiuum: Paternitas enim, quæ constituit personam patris est realiter aliquid positiuum. Conseq; probatur subsistere, quod contrahitur, ad subsistere creatū continetur in genere entis subsistentis eo pacto quo intelligere contractum ad intelligere creatnm continetur in genere entis intelligentis, ergo subsistere creatum est ens positiuum non negatiuum. Ratio á priori est, quia diuinum subsistere licet infinite distet á subsistere creato, non ea de causa distat, quòd illud sit ens positiuum, hoc negatiuum, sed quòd illud habet identitatem realem cum natura, adeoque cum supposito, hoc non habet realem identitatem, eo pacto quo diuinum intelligere, & creatum intelligere conueniunt, quia vtrumque est imago intentionalis obiecti, differunt quia intelligere Diuínum est indistinctum ab intelligente, intelligere veró creatum est di-

distinctum ab intelligente, ergo subsistere diuinum cum sit ens positiuum, non est positiuum, qua diuinum est, sed qua subsistere est, ergo omne id quod subsistit, per aliquid positiuum á nihilo contradistinctum subsistit.

13. Dico secundo. Subsistentia creata est modus substantialis naturæ subsistentis.

14. Probatur, quia nullum est prædicatum entis modalis quod non conueniat subsistentiæ, hæc enim in genere causæ formalis determinat eam indifferentiam, quam habet natura completa ad existendum in se, vel existendum in alieno supposito: sicuti vnio, quam demonstratum est esse modum substantialem in genere causæ formalis determinat indifferentiam materiæ & formæ ad communicandam sibi mutuam perfectionem: personalitas hominis determinat formaliter naturam humanam indifferentem, vt sit in supposito humano vel diuino ad existendum in supposito humano, & constituendum personam hominis: prætereá non potest separari á natura humana, sicuti non potest vnio separari á materia & forma, quia vtraque est formalis determinatio essentialiter affixa rei quam determinat: inde est quòd neque diuinitus potest existere subsistentia hominis sine eius natura: potest existere natura hominis sine subsistentia hominis, vt contingit in Christo; vbi est tota natura hominis sine humana subsistentia.

15. Ad primum. Distinguo maiorem: intellecta natura habente negationem vnionis indistinctam ab ente positiuo intelligitur natura subsistens: concedo maiorem: distinctam ab ente positiuo: nego suppositum maioris & concessa minori distin. consequens ergo intellecta natura cum negatione vnionis indistincta ab ente positiuo intelligitur suppositum: concedo consequentiam: distincta ab ente positiuo, nego

con-

consequentiam. Non potest esse dubium an natura completa, quæ non inhæret alieno supposito existat in seipsa, adeoque sistat in se: dubium est an ista negatio inhærentiæ sit indistincta ab ente positiuo, quod intrinsecé receptum in natura completa eam determinat in genere causæ formalis ad sistendum in se: mihi non est dubium esse indistinctam ab ente positiuo vt ostendunt argumenta tum in præsenti num. 11. & 12. proposita ad probandam identitatem subsistentiæ creatæ cum ente positiuo, tum proponenda in tractatu de negationibus, ad probandã identitatem negationis actiuæ cum ente positiuo de qua plura dicam in Met: cæterum stabilita veritate de identitate cuiuscumq;negationis cum ente positiuo, adhuc potest est quæstio, an illud ens positiuum, quod excludit communicationem naturæ completæ cum alio supposito, sit intrinsecum naturæ subsistenti, an verò sit extrinsecum, eo modo quo aer denominatur carens luce ab aliquo ente positiuo sibi extrinseco excludente lucem. Nostra sentẽtia est, huiusmodi ens positiuum, quod excludit communicationem naturæ completæ cum alieno supposito esse intrinsecum naturæ completæ, eamque proinde denominare physicè non communicatam alieno supposito, adeoque in se subsistentem, quod validé probant argumenta desumpta num. 9. & 11. ex conceptu primæ substantiæ & conceptu perfectionis. Hinc est, quod negatio communicationis cum alio supposito intrinseca naturæ subsistenti est realiter indistincta ab ente positiuo, quod eamdem naturam intrinsecè perficit, adeoque non potest esse formaliter negatio communicationis, si non est formaliter ens positiuum, formaliter inquam positiué, non præcisiué, quia eadem subsistentia præstat hos effectus formales logicé solum distinctos, videlicet naturam sistere

stere in se, & naturam non communicari alieno supposito: vnde patet ad probationem maioris. In forma, concedo maiorem, & distinguo minorem: natura completa non habens esse in alio intelligitur, non intellecto signate ente positiuo: omitto minorem: non intellecto exercitè, nego minorem & consequentiam.

16. Ad secundum: distinguo antecedens, non est perfectio substantiæ distincta á perfectione substantiæ subsistentis, secundum id pro quo supponit substantia subsistens: nego antecedens: secundum omne id quod significat: concedo antecedens, & nego consequentiam. Substantia subsistens est prima substantia, quia significat naturam, & subsistentiam; supponit pro sola natura, quia prima substantia est substantia sistens in se, dum terminatur propria subsistentia: inde est, quód subsistentia est perfectio distincta á substantia subsistente, quatenus substãtia subsistens supponit pro sola natura, non est distincta á natura subsistente, quatenus hæc significat túm naturam, tùm subsistentiam, á natura distinctam. In sola natura, quæ est substantia completa, non est tota perfectio primæ substantiæ, quia præcisa subsistentia natura non sistit in se, quod pertinet ad perfectionem primæ substantiæ: ideo substantia completa, vt habeat totam perfectionem primæ substantiæ, debet in se recipere aliquam perfectionem distinctam à se, & indistinctam á subsistentia; quæ perfectio vná cum perfectione totius naturæ facit suppositum. Verum quidem est in substantia completa, quæ non habet identicé totam perfectionem primæ substantiæ, esse naturalem exigentiam habendi subsistentiam, quæ sibi imponat extremam perfectionem, vnde sequitur substantiæ completæ esse naturaliter debitam subsistentiam propriam, quæ in ea solum hypothesi potest impediri, in qua Deus vẽlit donare huiusmodi substantiæ suam personam: hinc

patet ad probationem antec: Ad confirmationem dist. maiorem: Nihil aliud præstat n si excludere negatiué: nego maiorem; excludere positiué: concedo maiorem, & distinguo minorem: excludere vnionem cum supposito diuino negatiué non perficit naturam; concedo minorem: excludere positiué: nego minorem, & consequentiam: communicatio cum diuino supposito potest excludi negatiué, & positiué: excluditur negatiué, quando natura non communicata diuino supposito in se non subsistit: hoc pacto excluditur communicatio cum Diuino supposito á natura non existente, immo á natura chimęrica; hoc genus exclusionis nullam procul dubio perfectionem ponit in natura, quæ non communicatur supposito diuino: positiué excluditur, quando natura non communicata supposito diuino sistit in se: hoc genus exclusionis ponit aliquam perfectionem, quia substantia, quæ positiué sistit in se, habet aliquam perfectionem, quam non habet substantia, quæ in se non sistit.

17. Ad tertium. Dist. ma: negatio vnionis hypostaticæ est negatio perfectionis infinitæ in genere entis: nego ma: in genere entis participati: conc. ma: & distinguo minorem: negatio perfectionis infinitæ in genere entis, non est perfectio: conc: mi: in genere entis participati: nego mi:, & consequentiam. Verbum Diuinum potest dupliciter considerari, intransitiuè quatenus est perfectio sui: & transitiuè quatenus est perfectio naturæ humanæ cui communicatur: quatenus est perfectio sui, est perfectio infinita in genere entis, quia nihil potest esse perfectus ista perfectione: quatenus est perfectio naturæ humanæ, est perfectio infinita in genere entis participati: ratio est, quia verbum diuinum perficit summè naturam huma nam; non tamen summè in genere entis, quia magis perficit se ipsum, sed summè in genere entis participati, quiá nulla sub-

stantia creata potest magis per si quam natura Verbo vnita: inde est, nullam rem creatam differre á Deo ex capite perfectionis, quia Deus est infinitæ perfectionis, est enim infinité perfectus in genere entis, adeoque in omni genere: cæterum res creata potest negare vnionem hypostaticam cum Verbo, & habere formaliter aliquam perfectionem, quia communicatio Verbi perficientis naturam humanam est infinita in genere entis participati, adeoque non est infinita in omni genere: tota æquiuocatio argumenti consistit in eo, quod confunditur subsistentia creata quatenus negat identitatem sui cum Deo, in quo sensu nullam perfectionem formaliter includit, cum subsistentia quatenus negat vnionem Dei cum natura humana, in quo sensu includit aliquam perfectionem, vt demonstratum est.

18. Ad quartum: dist. maiorem: assumpsit totam substantiam hominis subsistentem: nego maiorem: non subsistentem: concedo maiorem, & minorem, & distinguo consequens, ergo subsistentia hominis non pertinet ad substantiam hominis subsistentem: nego consequentiam non subsistentem: concedo consequentiam. Substantia hominis subsistens est homo, sed Verbum Diuinum non assumpsit hominem, vt est certum, & constabit in sequenti quæst. ergo non assumpsit substantiam hominis subsistentem secundum omne id quod significatur per substantiam subsistentem: nihilominus Verbum assumpsit totam substantiam hominis subsistentem, secundum id pro quo supponit, nimirũ totam náturám, adeoque totam essentiam hominis præcisa subsistentia, quæ non constituit essentiam hominis, sed tantum constituit suppositum: adeoque dicitur, accidere naturæ humanæ non physicé, sed logicé, quatenus dicitur esse accidens logicum omne id quod non est de essentia rei:

 ex

ex hac doctrina patet, quid Verbum Diuinum verè assumpserit, & quid non assumpserit, ad verificandam hanc propositionem fide Diuina certissimam, *Deus factus est homo*: quidquid pertinet ad essentiam hominis assumpsit, ideo assumpsit verum corpus, verãm animam, & veram vnionem, adeoque verum principium sentiendi, & discurrendi, quod est vnum, & idem specie in omnibus hominibus, alioquin Verbum non fuisset veré incarnatum, neque haberet eamdem naturam, quam nos habemus: subsistentiam siué personalitatem non assumpsit, quia hæc non pertinet ad veritatem & essentiam humanæ naturæ, alioquin in Christo esset duplex persona, vna diuina, alia humana, sicuti est duplex natura. Hinc totus homo fuit sanátus licet totus non fuerit assumptus, quia Deus assumendo quidquid pertinet ad essentiam naturæ humanæ totum hominem sanauit: ratio á priori est, quia natura humana fuit viciata in Adamo per peccatum originale, quod transfunditur in omnes homines, qui ab Adamo descendentes participant naturam peccato infectam, ergo quilibet homo sanatur á Christo per hoc præcisé, quod Verbum assumpserit naturam infirmam, eamque assumendo sanauerit. Id vnicé sentiunt Patres, quando docent illud fuisse à Deo assumptum, quod fuit plantatum in humanã natura, & illud sanatum, quod assumptum, quia Verbum non animam tantum, sed etiam verum corpus assumpsit, animam enim & corpus sanauit, illi gratiam, huic vitam restituendo immortalem.

19. Ad quintùm dist. ma: omne ens positiuum, constituens naturam humanam potest assumi: concedo ma: constituens suppositum humanum: nego mai. & concessa mi. nego cons. Suppositum non potest assumi vt in sequenti quæstione constabit alioquin non esset suppositum, vnde patet disparitas inter naturam, & sub-

subsistentiam: neque sequitur non fuisse assumptam a Deo totam naturam hominis, quia sicuti in Eucharistia sunt eadem accidentia, quæ erant in pane nondum consecrato licet non habeant eundem modum existendi: itá in Christo est eadem natura, quæ est in homine etiam si non habeat eundem modum existendi. Ad confirmationem dico fuisse assumptũ compositum, quod est natura, non fuisse assumptum compositum, quod est suppositum, quia tota natura fuit assumpta, non subsistentia, adeoque nec suppositum quod constat ex natura, & subsistentia.

20. Ad vltimum: dist. antec. illa natura esset suppositum, & simul non esset: conc. antec. esset tantum suppositum, nego antec. & conseq. Hypothesis est impossibilis, ideo infert vtrumque contradictoriam: ratio impossibilitatis est, quia repugnat existere naturam completam, quæ neque in se, neque in alio existat, ergo natura humana, quæ nón existit in Verbo existit in se: sed repugnat natura existens in se sine propria subsistentia, quia repugnat effectus formalis, sine causa formali, ergo repugnat produci substantiam completam, & impediri propriam subsistentiam, quando illa substantia non assumitur à Deo.

QVAESTIO II.

Vtrum natura possit esse in alio supposito.

1. EX ijs, quæ de natura, & supposito huc vsque disputauimus, aliqua debemus, quantum pertinet ad rem præsentem de illa vnione delibare quam vocãt hypostaticam, eo quod connectit naturam completam cum alio supposito connexione substantiali; an

nimirum spectato lumine naturæ ea repugnet: id autem potest controuerti non solum de supposito diuino & increato, an nimirum natura humana separata à proprio supposito possit esse in supposito diuino, sed etiam Angelico, adeo vt ex humanitate, & Diuino, vel Angelico supposito fiat vnum per se, sicuti fit vnum per se ex materia, & forma.

2. Ratio dubitandi est primo: repugnat ex supposito diuino, & humanó fieri vnum per se, ergo repugnat ex supposito diuino, & natura humana fieri vnum per se, ergo repugnat natura humana in alio supposito. Consequentia probatur, tum quia vel vtrumque, vel neutrum repugnat, tum quia vtrobique est eadem ratio, nimirum ratio entis finiti, quod potest vlterius perfici.

3. Secundò: repugnat fieri vnum per se ex duplici substantia completa, sed natura humana et suppositum diuinum est duplex substantia completa, ergo repugnat ex natura humana et supposito diuino fieri vnum per se. Maior probatur, tum quia ex materia & forma eatenus fit vnum per se, quatenus vtraque est substantia incompleta, tum quia repugnat compleri substantiam iam completam, ergo substantia completa non potest substantialiter perfici, alioquin non esset completa.

4. Tertio: ex ijs, quæ distant infinité, non potest fieri vnum per se, sed natura humana, & suppositum diuinum distant infinité, ergo ex natura humana, & supposito diuino non potest fieri vnum per se. Maior patet, quia quæ infinité distant non possunt coalescere in vnam, & eamdem personam.

5. Quartó; repugnat Deum veré prædicari de homine, ergo repugnat naturam humanam esse in supposito diuino: consequentia est certa, quia ex vnione substantiali humanæ naturæ cum diuino supposito sequi-

ſequitur, hominem eſſe prædicabilem de Deo. Antecedens probatur, quia repugnat identitas inter Deum, & hominem, non minus quam inter hominem, & equum, ergo ſicuti eſt chimæra homo habens identitatem cum equo: ita eſt chimæra homo habens identitatem cum Deo.

6. Confirmatur, quia eſſe mortale, & immortale ſunt prædicata oppoſita, quæ non poſſunt conuenire vni, & eidem ſuppoſito, ſed de eodem prædicarentur eſſe mortale. & immortale, ergo prædicarentur prædicata oppoſita.

7. Quintò; Verbum Diuinum non poteſt ſuſtentare naturam humanam, ergo natura humana non poteſt eſſe in ſuppoſito increato. Antecedens probatur, quia ſubſtentare formaliſſimè includit aliquem defectum repugnantem infinitæ perfectioni Verbi Diuini. Confirmatur, quia Verbum Diuinum eſt eſſentialiter immutabile, ergo non poteſt vniri intrinſecè,& hypoſtaticè naturæ humanæ,alioquin mutaretur.

8. Sextò: natura humana non poteſt eſſe in ſuppoſito diuino, ſicuti accidens in ſubſtantia, alioquin non communicaretur ſubſtantialiter ſuppoſito Diuino: neque ſicuti anima in corpore, anima enim,& corpus ſunt ſubſtantiæ incompletæ, ergo non poteſt eſſe in ſuppoſito diuino. Conſequentia eſt euidens, quia nullus alius eſt modus exiſtendi in alio, præter modum quo accidens eſt in ſubſtantia, vel modum quo forma eſt in materia.

9. Septimò: natura humana ſi poſſet eſſe in ſuppoſito diuino eſſet in ſtatu ſibi violento; conſequens eſt falſum, ergo & antecedens: ſequela probatur: eſſe in ſtatu violento eſt carere perfectione ſibi debita, ſed natura humana exiſtens in ſuppoſito diuino caret perfectione ſibi debita nimirum propria ſubſiſtentia,ergo, &c.

10 Vltimò: repugnat naturam humanam esse in suppositо Angelico, ergo etiam repugnat esse in supposito diuino. Antecedens est certum: consequentia probatur, tum quia vtrobique est parratio, tum quia si persona Angeli non potest sustentare naturam humanam, multo minus poterit diuina. Contra hanc sententiam.

11, Dicendum primo: repugnare in terminis vnionem hypostaticam vnius suppositi cum alio supposito.

12. Ratio huius sententiæ, quæ apud omnes est euidens, desumitur ex conceptu formali suppositi in hunc modum. Repugnat communicari substantialiter id, quod est essentialiter incommunicabile communicatione substantiali: sed suppositum qua suppositum est essentialiter incommunicabile communicatione substantiali: ergo repugnat in terminis communicari substantialiter vnum suppositum alteri supposito: ergo repugnat vnio hypostatica suppositi cum supposito. Præterea subsistentia, quæ constituit suppositum, determinat formaliter naturam, vt sistat in se, adeoque non accipiat in genere substantiæ vlteriorem perfectionem, ergo suppositum quatenus suppositum non est indifferens, vt sit, vel non sit in alio supposito. Hinc Nestorius qui duo supposita, duasque personas in Christo agnoscebat vnam diuinam, aliam humanam, negauit consequenter vnionem hypostaticam humanæ naturæ cum Dei Verbo, adeoque Mysterium incarnationis conatus est euertere contra manifesta Sacræ Scripturæ testimonia, quæ nihil aliud magis persuadent, quam factum hominem Dei Filium, per quem factus est homo. Quamobrem idem Nestorius aiebat Deum esse in Christo, sicuti in cæteris Sanctis, adeoque naturam humanam, quæ iuxta phrasim scripturę est indumentum diuinitatis, nul-

lam

lam aliam habere cum Dei Verbo coniunctionem, præter illam accidentariam, & extrinsecam, quæ est inter hominem vestitum, & vestem; in rem suam falso vsurpans illa Pauli Apost. verba loquentis de Filio Dei in cap. 2. epist. ad Phil: *in similitudinem hominum factus & habitu inuentus vt homo*, quæ Pauli verba longe aliud sonant quam quod opinatur Nestorius, vt satis constat ex doctissimis commentarijs, quæ S. Thomas scripsit in eandem Pauli Epist. Lumen igitur naturæ, quod ad rem præsentem pertinet, argumentis robustissimis demonstrat etiam seclusa authoritate Concilij Ephesini, quod notanter damnat quicumque cum Nestorio asserit duas esse in Christo personas, vnam diuinam aliam humanam, peccare, vel contra Dialecticam, vel contra Fidem, qui duplex suppositum in Christo recognoscit; non potest enim consequenter philosophari, nisi neget vnionem substantialem humanitatis cum verbo, adeoque euertat Incarnationis Sacramentum, quod est potissimum religionis nostræ fundamentum, inde est quod S. Tho. in 3. part. qu. 1. art. 3. docet hanc propositionem *Persona diuina assumpsit hominem*, esse falsam, & negandam, propter errorem Nestorij; cum homo idem significet, ac suppositum habens naturam humanam; quod si aliqui PP. eam vsurpant, vt Augustinus, & alij sunt benignè, & pie explicandi.

13. Dicendum secundo: non repugnare vnionem hypostaticam naturæ creatæ cum supposito diuino.

14. Hæc sententia, quæ apud omnes Catholicos est indubitata, nobis aliunde non constat, quam ex veritatibus reuelatis, ex quibus licet in rem nostram ita argumentari: naturam creatam vniri hypostaticé supposito increato est formalissimé duas substantias completas vnam creatam, & aliam increatam esse in eodem supposito Diuino, sed hoc nullatenus repugnat

gnat, vt re ipsa in Christo accidit, vbi natura humana, & diuina sunt in eadem persona Verbi: ergo non repugnat vnio hypostatica naturæ creatæ cum supposito increato.

14. Huiusmodi veritas, quæ lumine fidei est certissima, nec constat, nec constare potest lumine naturæ, alioquin naturali ratione demonstraretur possibile mysterium Incarnationis, quod tamen est falsum apud omnes Theologos, vt patet ex Suario disp. 3. sec. 1. tom. 1. in 3. part. S. Thomæ, vbi Isaiam citat, qui hac de causa Christum vocat in cap. 45. Deum absconditum, hoc est Deum lumini naturæ ignotum. Non propterea sequitur oppositum constare lumine naturæ, tum quia mysteria nostræ Religionis, quæ sunt supra rationem, non sunt contra rationem, vt ostendit S. Thom. in primò contra Gentes cap 7. tum quia verum non repugnat veró, adeoque falsum non potest demonstrari: hinc omnia argumenta, quæ probant hanc repugnantiam, non solum possunt, sed etiam debent solui, id enim spectat ad Philosophum catholicum, qui debet componere veritates reuelatas cum lumine naturæ, vt nos ipsi pro nostris viribus conabimur facere, dum soluemus argumenta partis oppositæ. Cæterum spectat ad lumen naturæ, vt frequenter docent S. August. & S. Thomas posita certissima huius veritatis fide, quæ debet antecedere omnem humanam ratiocinationem, inuestigare aliqua argumenta, quæ attento lumine naturæ eam reddant valde probabilem, & rationi congruentem, iuuat enim credere, vt perueniamus ad aliquam intelligentiam illius rei, quæ prima specie videtur repugnare, *nisi enim credideritis non intelligetis*, inquit Spiritus Sanctus, & Augustinus, *crédite vt intelligatis*.

15. Ratio igitur, quæ spectato lumine naturæ probat

bat non repugnantiam vnionis hypostatiæ est huiusmodi: si repugnat vnio naturæ creatæ cum supposito diuino, vel repugnat ex capite naturæ, quæ assumitur, vel ex capite personæ assumentis, ex neutro capite repugnat: ergo non repugnat. Ma; est satis certa quia non est aliud caput, vnde possit repugnare. Minor probatur: non repugnat ex capite naturæ, quæ assumitur, quia assumi est formalissime perfici substantialiter, sed non repugnat naturam creatam completam perfici substantialiter, quia est essentialiter finita, quod autem est finitum potest magis perfici, ergo non repugnat huiusmodi vnio ex capite naturæ, quæ assumitur: hoc argumento constat esse valde probabile spectato solo lumine naturæ, naturam creatam etiam completam non sistere in se per se ipsam, quia repugnat enti finito, vt non possit vlterius perfici: inde est, quod ens finitum, vt existat in se, & non possit vlterius perfici, opus habet aliqua forma distincta quam docuimus qu.1. num.10. esse subsistentiam: neque repugnat ex capite personæ assumentis, quia naturam humanam assumi á persona Diuina in vnitatem suppositi, nihil aliud est formalissimè quam eam perfici à Diuino supposito absque eo quod perficiatur suppositum diuinum: eaque propter diuinum suppositum sine vlla mixtura potentialitatis esse actum purissimum in ordine ad perficiendam humanam naturam, quod tantum abest, vt pugnet cum infinita perfectione, vt potius eam summé deceat, eique summé consonet: quid enimuerò magis conforme infinitæ perfectioni, quam perficere, & non perfici? quid magis proprium infiniti boni, quam largiri, & largiendo nihil acquirere? atqui hoc sequitur ex eo quod humana natura est in supposito diuino, quia natura humana summé perficitur à supposito diuino, vt constat ex terminis, ea vero non perficit, alioquin suppo-

posi-

positum Verbi post vnionem non remanet suppositum, quod est contra hypothesim, quia substantia quæ perficitur substantialiter ab aliá substantia non est suppositum. Hinc constat non repugnare huiusmodi vnionem, per quam factum est, vt Persona Verbi Diuini successerit loco personæ humanæ ad sustentandam naturam humanam, vt docet Concilium Ephesinum: vnde sequitur esse valde probabilé etiam ex hoc capite subsistentiam creatam, quæ suppletur á Verbo Diuino essé ens positiuum, vt docuimus qu.2. num.8.

16. Hinc colliges naturam illius mirabilis vnionis quæ copulauit Verbum Diuinum cum natura humana, Deus enim ex quo factus est homo totam hominis naturam assumpsit, personam non assumpsit, quia naturam assumendo subsistentiam humanam consumpsit, impediendo, quo minus emanaret á natura, adeoque trahendo naturam ad suppositum increatum siue ad personam Verbi Diuini: ex quo factum est; vt natura humana eandem habeat dignitatem, quam habet Diuina, vtraque enim existit in Verbo, cum hoc tamen discrimine, quod illa est in Verbo physicé per vnionem: ista identicé per identitatem. Hæc est ratio cur natura humana dicatur vnita hypostaticé Verbo cur dicatur eidem insita, eo modo, quo planta inseritur plantæ, cur Incarnatio appelletur indissolubile connubium naturæ humanæ cum diuina, quia videlicet humana natura, ex quo fuit insita Verbo Diuino cœlestes fructus protulit, adeó vt in eam opportuné cadát illud Virgilij carmen de arborum insitione in secundo Georg. hæc modulantis.

Exijt ad Cælum ramis felicibus arbos,
Miraturque nouas frondes, & non sua poma.

17. Ad explicandam huiusmodi vnionis naturam nullum habemus in natura exemplum, quid enim potest

test esse in natura, quod nobis repræsentet id, quod superat perfectione totam naturam: iuuat tamen eã, quantum possumus agnoscere ex dissimilitudine, quam habet cum vnione inter materiam, et formam, adeoque intelligere potius quid non sit, quam quid ipsa sit, vt patet ex ijs, quæ docuimus in disp. 3. qu. 4 nu. 14. & seq.

18. Dicendum tertiò: repugnare vnionem hypostaticam naturæ creatæ cum alio suppositó creato: hæc sententia, quam docet S. Thom. in 3. p. q. 3. art. 1. Caiet. Durand. & Suar. disp. 13. sect. 4. de Incarn. est contra Ochamum in 3. dist. 1. quæst. 2.

19. Ratio est, quia repugnat suppositum creatum esse infinitè perfectum, sed suppositum hypostatice communicatum alteri naturæ est suppositum infinitum: ergo repugnat suppositum creatum communicari hypostaticè naturæ creatæ. Minor probatur, suppositum hypostaticè communicatum est suppositum quod intrinsecè perficiendo non perficitur, sed suppositum, quod intrinsece perficiendo non perficitur est infinitũ, ergo suppositum hypostaticé communicatum est infinitum suppositum. Maior secundi syllogismi est certa, quia suppositum quatenus suppositum non potest substantialiter perfici, alioquin non esset suppositum. Minor etiã constat, quia non est alia causa propter quã Verbum Diuinum intrinsecé perficiendo naturam humanam non perficiatur, nisi infinita eiusdem perfectio, quando enim duo extrema coniunguntur, quorum vnum est infinité perfectum, illud quod est infinité perfectum perficit, & non perficitur, nulla enim est perfectio in alio extremo, quæ in ipso non reperiatur.

20. Vrgeri potest efficacius in hunc modum. Ex natura hypostaticé vnita, & supposito fit ens vnum per se, nimirum aliquod totum substantiale, vt est certum; hoc totum quod constat ex natura, & supposito, vel

est

est substantialiter perfectius singulis partibus, quæ componunt totum, vel non: si est perfectius, ergo singulæ partes perficiuntur, quid enim aliud est perfici nisi constitúere totum se ipso perfectius? ergo neutra pars est suppositum: consequentia est euidens, quia substantia, quæ substantialiter perficitur ab alia substantiá, non est suppositum, sed quælibet ex istis partibus substantialiter perficitur, ergo nulla est suppositum, quod est contra hypothesim: si non est perfectius, ergo vna ex istis partibus est infinité perfecta; ídeo enim totum quod constat ex humanitate & Verbo, non est perfectius singulis partibus, quia vérbum est infinitité perfectum. Ex quo discursu patet repugnare in terminis vnionem substantialem naturæ creatæ cum alio supposito creato, nimirum naturæ humanæ cum supposito Angelico, vel naturæ Angelicæ cum supposito humano: præterea repugnat natura creata, quæ habeat identitatem cum pluribus suppositis realiter distinctis, quia natura habens identitatem cum pluribus suppositis est natura infinita, ergo repugnat duas naturas creatas esse in eodem supposito creato, sicut enim infinitum bonum est causa, cur non repugnet communicari per identitatem cum personis realiter distinctis, & per vnionem cum natura realiter distincta, itá bonum finitum est causa, cur repugnet identitas cum personis distinctis, & vnio sui cum natura creata realiter distincta. Hinc ex eodem capite, ex quo demonstratur non posse naturam creatam esse in alio supposito creato, constat non repugnare, quo minus sit in supposito in creato.

21. Ad primum: est dispar ratio inter vnionem suppositi cum supposito, & naturæ cum supposito: illa enim est communicatio rei essentialiter incommunicabilis, quia suppositum qua suppositum, est substantia incommunicabilis: é contrario vnio naturæ

ræ cum supposito non est communicatio rei essentialiter incommunicabilis, quia natura quatenus natura, est substantia, quæ præscindit a supposito, adeoque est communicabilis: ratio igitur entis finiti, quæ inuenitur in natura creata, satis est vt possit eadem natura vniri alteri supposito, quia nihil obstat, quo minus vniatur, sicuti obstat respectu suppositi, quia nimirū suppositum est ens finitum sistens in se, repugnat autem vlterius perfici ens sistens in se, quatenus sistens in se. Hinc illa ratio, quæ probat ens finitum, quod in se non sistit, posse vlterius perfici, probat ens finitum, quod sistit in se non posse vlterius perfici.

22. Ad secundum: distinguo maiorem. Ex duplici ente completo non potest fieri vnam per se vnitate naturæ: conc: ma. vnitate suppositi: iterum dist: ex duplici ente completo subsistente: conc. ma. non subsistente: nego ma. & concessa mi: nego conseq. duobus modis potest aliquid esse vnū per se: nimirū vnitate naturæ et vnitate suppositi, ens vnum per se vnitate naturæ est substantia completa, quæ exigit sistere in se, licet possit non sistere in se: vnum vnitate suppositi est substantia completa sistens formaliter in se adeoq; formaliter incommunicabilis. Vnum per se vnitate naturæ non componitur, nisi ex duplici ente incompleto se mutuo perficientibus, vnum per se vnitate suppositi potest constare ex duplici ente completo dummodo vnum sit suppositum, adeoque non perficiatur, aliud non sit suppositum, adeoque perficiatur, ratio est, quia ens completum, quod non est suppositum, non est completum in omni genere, licet sit completū in aliquo genere, nimirum in genere naturæ: potest igitur compleri in genere suppositi: quemadmodum ergo ens completum sistens in se, quia est completum in omni genere, nimirū in genere naturæ, & in genere suppositi, non potest vlterius perfici per sectio-

se

se substantiali, adeoque non potest vniri hypostaticé cum alio supposito: ita ens completum non sistens in se, quia est completum in genere naturæ, & non est completum in genere suppositi, potest vlterius perfici in genere suppositi, non in genere naturæ: adeoque argumentum retorquetur. Hinc patet ad probationem maioris: forma, & materia, quia sunt substantiæ incompletæ faciunt vnum per se vnitate naturæ; è contrario natura, & suppositum, quia sunt substantiæ completæ faciunt vnum per se vnitate suppositi: substantia enim completa in omni genere non potest compleri, sed completa in vno genere non est cur non possit compleri in alio genere.

23. Ad tertium: distinguo ma. ex ijs, inter quæ datur, infinita distantia perfectionis, non potest fieri vnum per se: nego ma. distantia proportionis; conc. mai. & dist. mi. nego conf. Verbum Diuinum infinité distat á natura humana distantia perfectionis, non distat infinité distantia proportionis, quæ requiritur ad faciendum vnum per se vnitate suppositi: hæc enim proportio in eo fundatur: quod vnum extremum perficiat & aliud perficiatur, quia suppositum, quod assumit naturam eam perficit, & natura, quæ assumitur, perficitur: huiusmodi proportio sine dubio inuenitur inter ea, quæ distant infinitè distantia perfectionis nimirum inter Verbum, & humanitatem, quia infinita perfectio Verbi est causa, cur Verbum perficiat, & non perficiatur, defectus verò infinitæ perfectionis est causa cur natura humana possit perfici, absque eo, quod perficiat: tantum igitur abest, quò minus excessus infinitæ perfectionis excludat vnionem vtriusque extremi, vt potius eam promoueat, vnde argumentum retorquetur.

24. Ad quartum: nego antecedens, vel claritatis gratia distinguo, repugnat Deum prædicari de homine

mine identitate naturæ: conc. antec: identitate suppositi: nego antec. & conseq. Identitas inter naturam Diuinam, & humanam est impossibilis, sicuti identitas inter naturam hominis, & naturam equi, quia repugnat non distingui res distinctas: hinc natura humana non potest veré prædicari de natura diuina; identitas inter suppositum naturæ diuinæ, & suppositum naturæ humanæ non est impossibilis, quia non repugnat vnum & idem esse vtriusque naturæ suppositum: vnio enim hypostatica ponit identitatem non inter res distinctas, quæ áperté repugnat, sed inter ea pro quibus supponunt denominationes diuersæ, quæ sine dubio possunt non esse distincta, vt constat innumeris exemplis, quantū spectat ad rem præsentem, valdé similibus: vnio duplicis formæ accidentalis cum eodem subiecto, nimirum albedinis, & dulcedinis cum lacte, ponit identitatem non inter albedinem, & dulcedinem; sed inter ea pro quibus supponunt album, & dulce, denominationes videlicet diuersæ: hinc dulce est veré prædicabile de albo, etiam si dulcedo non sit veré prædicabilis de albedine, quia nimirum id pro quo supponit dulcé, est illud idem pro quo supponit album, est enim idem subiectū vtriusque formæ; eodē modo debes philosophari, quantū spectat ad veritatem istarum propositionum: *Deus est homo, homo est Deus* Natura enim humana, & diuina sunt in eodem supposito, non minus quam albedo, & dulcedo in eodem subiecto, sicuti ergo est vera hæc propositio: album est dulce: & dulce est albū, quando sermo est de eodē subiecto vtriusque formæ, cur non erit vera hæc propositio: *Deus est homo, homo est Deus*? si persona Verbi est eadem persona vtriusque naturæ: homo igitur, qui est purus homo, non potest veré prædicari de Deo: quia suppositum puri hominis non est suppositum diuinū, sed homo qui nō est purus homo potest verè prædicari

de Deo, quia suppositum habens naturam humanam est suppositum diuinum: hinc si posset esse idem suppositum hominis, & equi propter vnionem hypostaticam equi cum homine, equus esset verè prædicabilis de homine, quia esset idem suppositum habens naturam hominis, & equi; cæterum hoc ex alio capite repugnat.

25 Ad confirmationem dico nihil repugnare, quò minus per communicationem idiomatum immortale sit mortale, & Deus mortalis, quia omnis oppositio tollitur à diuersitate naturæ, non enim repugnat, vt idem suppositum denominetur, immortale à natura immortali, & mortale à natura mortali. Deus igitur qui est immortalis in natura diuina, fuit mortalis in natura humana, immo fuit in eadem natura mortuus, quod nihil aliud significat, quam Verbo vnitam naturam mortalem.

26 Ad quintum: dist: antecedens: Verbum non potest sustentare naturam humanam, tanquam actus purus: nego antecedens: tanquam actus non purus: concedo antecedens, & nego consequentiam. Duplex inuenitur modus sustentandi, hoc est standi sub alio, idem est enim formalissimè sustentare, ac substare siue sub alio stare: vnus est modus, quo res, quæ sustentat, non est purus actus, vt accidit in materia respectu formæ, in substantia respectu accidentis, quia neutra est purus actus, vtraque enim perficitur à forma quam sustentat, materia substantialiter, & substantia accidentaliter: alius modus sustentandi est ille, quo suppositum sustentat naturam sibi hypostaticè communicatam ad instar actus purissimi nullam accipientis perfectionem à natura, quam sustentat. Verbum diuinum non sustentat naturam humanam eo modo, quo materia sustentat formam, vel substantia accidens, quia natura humana nullam refundit perfectio-

nem

nem in Verbum diuinum. Sustentat igitur tanquam actus purissimus, qui perficit non perficitur: hic modus sustentandi conuenit supposito increato respectu naturæ creatæ. Sustentatio itaque abstractissimè accepta quatenus præscindit à sustentatione propria actus non puri præscindit ab omni imperfectione; licet contracta ad illum modum sustentandi, quo materia sustentat formam, includat imperfectionem diuino Verbo repugnantem: inde est, quod sustentatio, qua Verbum diuinum sustentat naturam humanam, non refundit mutationem nisi in naturam humanam; illud enim tantùm mutatur, quod tãtum perficitur: sed sola natura humana perficitur, ergo sola mutatur; Addo, quod Verbum est intrinsecũ actiuè humanæ naturæ, quatenus eam intrinsecè perficit, adeoque mutat non mutatur, humana verò natura est intrinseca passiuè quatenus intrinsecè perficitur, adeoque mutatur, non mutat: vnde patet ad confirmationem.

27 Ad sextum: vnio hypostatica neque est vnio accidentis cum substantia, neque animæ cum corpore, sed est vnio personæ, siue suppositi cum alia natura: huiusmodi vnio habet aliquam similitudinem cum vnione accidentis cum substantia, quatenus accidens non perficit substantialiter substantiam, adeoque non facit vt substantia cui communicatur, non sit suppositum, & natura vnita hypostaticè alteri supposito, non perficit substantialiter suppositum, adeoque non tollit à supposito rationem suppositi: hinc est, quòd sicuti in toto, quod constat ex substantia, & accidente, semper accidens significatur in obliquo, ita in toto, quod cõstat ex natura humana, & Verbo, natura humana significatur in obliquo; præterea habet similitudinem cum vnione animæ cum corpore, quatenus ex anima, & corpore fit vnum per se, & sicuti corpus est instrumentum animæ, ita humanitas est instrumentũ diuinitatis.

28 Ad Septimum: nego maiorem. Ad eius probationem distinguo maiorem: esse in statu violento est carere perfectione sibi debita non compensata: concedo maiorem: compensata: nego maiorem: & distincta minori nego consequentiam: humanitas vnita Verbo non habet propriam subsistentiam, sed habet subsistentiam Verbi, quæ excedit infinité omnem subsistentiam creatam: inde est, quod naturæ humanæ, & angelicæ, est melius sistere in alio supposito, quam sistere in se, quia sistendo in supposito diuino habet infinitam dignitatem quam non habet sistendo in se. An forté debitor facit iniuriam suo creditori, cui pro nũmo, quem debet argenteum, donat aureum? an iniuria infertur agricolæ, cui aufertur rusticum tugurium, & donatur regale palatium? quomodo igitur erit in statu violento natura humana, quæ non habet propriam subsistentiam; & habet diuinam?

29 Ad vltimum: concedo antecedens, & nego cõsequentiam: inter suppositum creatum, & suppositum increatum est disparitas, quia illud est finitum, hoc infinitum, adeoque illud non potest perficere, & non perfici: hoc potest perficere, etiamsi non perficiatur.

QVAESTIO IV.

Vtrum natura creata possit esse simul in supposito creato, & increato.

1 CErtum est suppositum creatum non posse substantialiter communicari supposito increato propter manifestam implicationem terminorum: certũ præterea est in Christo, in quo natura humana communicatur substantialiter Verbo diuino, non esse nisi suppo-

ſuppoſitum increatum, quia conſtat ex definitione Eccleſiæ vnicam eſſe in Chriſto perſonam, eamque diuinã, & increatã, nimirũ perſonã Verbi: non eſt apud omnes certum an ex conceptu vnionis hypoſtaticæ humanitatis cum Verbo infallibili cõſequutione inferatur non eſſe in Chriſto perſonã creatam: ſicuti etiãſi nobis conſtet teſtimonio fidei in Sacramento Euchariſtiæ eſſe corpus Chriſti, & non eſſe ſubſtantiam panis, non est propterea certum, an ex eò, quód corpus Christi existit in Eucharistia inferatur conſequentia formali non eſſe ibi ſubstantiam panis, cum aliqui Theologi opinentur, poſſe Christi corpus eſſe ſub accidentibus panis, ſub quibus conſeruatur tota ſubstantia panis, licet de facto oppoſitum contingat. Hinc ſpectat ad philoſophum diſputantem de natura & ſuppſito inueſtigare, an repugnet vnioni hypostaticæ naturæ creatæ cum ſuppoſito increato existentia ſuppoſiti creati, adeoque dubium est, an Verbum diuinum poſſit vnire ſibi naturam humanam Petri non destructa eiuſdem perſonalitate.

2 Ratio dubitandi est primo: non repugnat vnã & eamdem naturam eſſe ſimul in pluribus ſuppoſitis realiter distinctis, ergo non repugnat vnam, & eamdem naturam eſſe ſimul in ſuppoſito creato, & increato. Conſequentia probatur, vel ex nullo capite hoc repugnat, vel repugnat tantum ex capite repugnantiæ vnius naturæ ad existendum in pluribus ſuppoſitis: ex hoc capite non repugnat, ergo ex nullo capite repugnat.

3 Secundo: ſubſiſtentia creata non impedit, quo minus natura creata, quæ eſt in ſuppoſito creato, poſſit eſſe ſimul in ſuppoſito increato, ergo eadem natura poteſt eſſe in ſuppoſito creato ſimul, & increato: Antecedens probatur, quia ſubſiſtentia creata eſt illa forma, quæ formaliter determinat naturam, vt exiſtat

in supposito creato, sed huiusmodi forma non impedit quominus eadem natura sit in supposito increato, quia non excludit aliam formam, quæ facit formaliter naturam esse in supposito increato, ergo &c.

4 Tertio. Forma, quæ determinat Petrum ad existendum Romæ, non determinat Petrum ad non existendum Florentiæ, etiam in sensu composito existentiæ Romanæ, ergo forma, quæ determinat naturam ad existendum in supposito creato eam non determinat ad non existendum in supposito increato, ergo sicuti Petrus existens Romæ potest simul esse Florentiæ, ita natura existens in supposito creato, potest esse simul in supposito increato.

5 Quarto: non repugnat duas formas simul informare eamdem materiam, ergo non repugnat duas subsistentias informare simul eamdem naturam, ergo non repugnat eamdem naturam esse in duobus suppositis: vno creato, alio increato.

6 Vltimo: subsistentia creata est aliqua perfectio, & subsistentia increata est omnis perfectio, sed omnis perfectio, & aliqua perfectio non sunt formæ se excludentes ab eodem subiecto, quia nulla perfectio opponitur perfectioni, ergo subsistentia creata, & subsistentia increata non se excludunt ab eadem natura, ergo &c.

7 Nostra sententia quam sequuntur omnes Thologi, vt constat ex Suario disp. 15. sect. 1. est repugnare, vt eadem natura existat simul in supposito creato, & increato.

8 Ratio est, quia repugnat esse simul formas essentialiter incompossibiles, sed subsistentia humana, & diuina sunt formæ essentialiter incompossibiles, ergo repugnat esse simul in eadem natura, ergo repugnat eamdem naturam esse simul in supposito humano, & diuino: minor probatur, quia illæ formæ sunt

incom-

incompossibiles, quarum effectus formales habent oppositionem: huiusmodi autem sunt effectus formales, qui proueniunt á subsistentia humana, & diuina, illa enim est causa, cur natura humana in se, & per se existat, siue non dependeat in genere causæ sustentantis ab alio, ista veró est causa, cur éadem natura existat in alio, & dependeat ab alio, nimirum á supposito diuino: dependere autem, & non dependere, esse in se, & esse in alio sine dubio sunt effectus formales inuicem repugnantes, vt constat ex ipsa notione terminorum, ergo repugnat vt istæ duæ formæ, nimirum humaná, & diuina subsistentia eamdem naturam simul informent, atque adeo repugnat naturam creatam, quæ est in supposito creato, esse simul in supposito increato. Præterea eodém modo discurrendum est de non repugnantia humanæ naturæ ad existendum in alio supposito, ac de non repugnántia accidentis ád existendum per se: quemadmodú enim accidens, quod exigit esse in alio potest diuinitus esse per se, ita natura humana, quæ exigit esse in se potest diuinitus esse in alio supposito, sed repugnat in terminis, vt accidens habeat simul esse in subiecto, & esse sine subiecto: ergo repugnat in terminis, vt natura humana, & quælibet substantia creata habens esse in se per propriam subsistentiam, habeat simul esse in alio per subsistentiam increatam. Hinc constat fuisse optimum discursum, quo in Concilio Ephesino Patres ita ratiocinabantur ad errorem Nestorij euertendum: natura humana, quæ est in Christo, est in supposito diuino, ergo non est in supposito humano, ergo in Christo non est persona humana: consequentia est euidens, ex discursu á nobis facto, eamque tanquam certam de fide idem Concilium definiuit.

9 Addo subsistentiam creatam esse subsistentiam essentialiter finitam, quæ determinat naturam capacē

vlterioris perfectionis, vt non perficiatur vlterius, adeoque excludit à natura vlterius perfectibili illam capacitatem, quam habet perfectionis vlterioris: inde est, quod suppositum diuinum non potest assumere naturam humanam, vel angelicam, nisi impediat eius naturæ subsistentiam.

10 Ad primum: omitto antecedens, de cuius veritate constabit in quæstione sequenti, & nego consequentiam, quam aliqui existimant adeo manifestam, vt ab opposito consequentis inferatur opposit. ũ antec: ideo Scotus, qui idem cum nobis sentit circa repugnantiam naturæ ad existendum in supposito creato simul, & increato, censet antecedens esse falsum, in ea enim est sententia, quod non possint plures Personæ diuinæ eamdem naturam assumere: alij verò quorum nulla extat memoria, existimarunt esse verum antecedens simul & consequens; adeoque non repugnare, vt eadem natura humana simul existat in supposito creato, & in supposito increato, sicuti potest simul existere in pluribus suppositis increatis: cæterum est longé verisimilius, consequentiam esse nullam, adeoque posse consequens esse falsum, licet antecedens sit verũ, quia est singularis repugnantia, quo minus vna natura existat simul in supposito creato, & increato, quæ non probat repugnantiam eiusdem naturæ ad existendum in pluribus suppositis increatis, quia natura creata si esset simul in supposito creato, & increato, esset simul in se, & in alio, penderet simul & non penderet ab alio in genere causæ sustentantis, quod certè non sequitur, si eadem natura creata existat in duplici supposito increato.

11 Ad secundum. Nego antecedens: ad eius probationem concedo maiorem, & nego minorem, quia ostensum est subsistentiam propriam, & subsistentiam alie-

alienam esse duas formas, quæ se mutuo excludunt ab eodem subiecto.

12 Ad tertium. Omitto antecedens; & nego consequentiam. disparitas inter vbicationem Romanã, & subsistentiam creatam est manifesta, quia vbicatio Romana, quæ ponit Petrum Romæ, non facit vt Petrus non sit Florentiæ, licet non ponat Petrum Florentiæ, ideó potest esse in eodem subiecto, in quo est vbicatio Florentina, huiusmodi enim formæ sunt disparatæ, quarum vna præscindit, non negat aliam, adeoque possunt simul eamdem substantiam informare. Subsistentia humana facit naturam humanam sistere in se, adeoque non existere in alio, quia est idem formalissimé existere in se, & non existere in alio: ideó illa natura, quæ habet subsistentiam humanam, non potest simul habere subsistentiam diuinam, alioquin existeret in se, & simul non existeret in se, quod repugnat. Subsistentia igitur humana est forma, quæ negat subsistentiam diuinam in natura, quam informat.

13 Ad quartum. Distinguo antecedens: non repugnat duas formas disparatas esse simul in eadem materia: concedo antecedens: duas formas contrarias nego antecedens, & consequentiam: duæ formæ disparatæ, quarum vna non excludit aliam, possunt sine dubio eamdem materiam informare; illæ veró formæ, quarum vna essentialiter excludit aliam, non possunt eamdem materiam simul informare, alioquin posset esse simul amor cum odio eiusdem obiecti. Subsistentia humana, & diuina sunt duæ formæ, quarum vna essentialiter excludit aliam ab eodem subiecto propter effectus formales essentialiter repugnantes, ideo non possunt esse simul in eadem natura.

14 Ad vltimum distinguo maiorem. Subsistentia creata est aliqua perfectio imperfecta: concedo maiorem: est aliqua perfectio sine imperfectione: nego ma-

iorem

iorem & distincta minori nego consequentiam: perfectio, quam habet subsistentia humana, & qualibet subsistentia creata, est perfectio imperfecta, natura enim humana, quatenus existit in se, habet perfectionem mixtam cum imperfectione, quæ imperfectio in eo consistit, quod hæc natura non perficitur formaliter á perfectione infinita alterius suppositi, nimirum suppositi diuini: hinc est, quod inter perfectionem imperfectam, & omnem perfectionem potest esse oppositio in ordine ad idem subiectum, vt in præsenti contingit.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum eadem natura creata possit esse simul in pluribus suppositis increatis.

1 NOn est dubium, an natura creata, quæ potest esse in vno supposito diuinó, nimirum in supposito Verbi, possit in sensu diuiso á tali supposito esse in alio supposito diuino, nimirum in supposito Patris, vel in supposito Spiritus Sancti, tria enim sunt supposita naturæ diuinæ, quæ vocantur supposita increatá. Hinc est, quòd illa natura, quam Verbum diuinum sibi copulauit, potuit assumi á Patre, vel Spiritu Sancto, cum eadem argumenta, quæ probant naturam creatám separatam á proprio supposito posse coniungi vni supposito diuino, probent posse coniungi omnibus suppositis diuinis. Dubium est, an eadem natura humana possit simul assumi á tribus personis diuinis, adeoque possit esse simul in tribus suppositis realiter distinctis.

2. Ratio dubitandi est primò, Illud idem facit subsistentia increata Verbi respectu naturæ humanæ,

quod

quod facit ſubſiſtentia humana, ſed iſta facit naturam humanam incommunicabilem alteri ſuppoſito, ergo etiam ſubſiſtentia increata facit naturam creatam incommunicabilem alteri ſuppoſito. Minor eſt certa: Maior probatur, quia ſubſiſtentia increata ſuccedit ſubſiſtentiæ creatæ, adeòque præſtat totum id, quod præſtat ſubſiſtentia creata.

3. Secundò. Natura humana exiſtens in ſuppoſito Verbi eſt completa, quantum ſpectat ad naturam, & ad ſuppoſitum: ſed natura completa in omni genere non poteſt ámplius compleri: ergo natura humana non poteſt eſſe ſimul in duobus ſuppoſitis increatis. Minor pátet, quia repugnat compleri in genere ſuppoſiti ens completum in genere ſuppoſiti. Maior eſt etiám certa, quia in genere naturæ eſt completa, vt eſt certum, eſt etiam completa in genere ſuppoſiti, quia eſt in ſuppoſito infinito, nimirúm in ſuppoſito Verbi.

4. Tertiò. Repugnat vnam naturám creatam & finitam eſſe ſimul in tribus ſuppoſitis realiter diſtinctis, ergo repugnat eamdem naturam aſſumi á pluribus perſonis. Antecedens probatur, quia natura Diuina eatenús eſt in pluribus ſuppoſitis, quatenús eſt infinita: ergo natura eſſentialiter finita non poteſt eſſe in tribus ſuppoſitis realiter diſtinctis.

5. Quartò. Subſiſtentia Verbi eſt ratio, cur natura humana ſit in ſuppoſito Verbi potiús, quam in ſuppoſito Patris: ſed ratio cur natura humana exiſtat in ſuppoſito Verbi potius, quam in ſuppoſito patris, excludit á natura humana ſubſiſtentiám Patris: ergo ſubſiſtentia Verbi excludit á natura humana ſubſiſtentiam Patris: ergo repugnat naturam humanam eſſe ſimul in Verbo, & in Patre. Maior eſt certa, quia re vera eſt incarnatum Verbum, non Pater: ideo autem eſt incarnatum Verbum, quia ſubſiſten-

ſtentia Verbi, quæ eſt terminus formalis naturæ humanæ, eſt cauſa cur natura humana ſit vnita Verbo potiùs, quam Patri. Minor probatur, quia illa forma, quæ determinat naturam humanam, vt ſit potiùs in Verbo, quam in Patre, non relinquit eam indifferentem ad exiſtendum in Patre, ſed illa ratio, quæ facit vt natura humana ſit potiùs in Verbo, quam in Patre, determinat naturam humanam, vt exiſtat potiùs in Verbo, quam in Patre, ergo, &c.

6. Quintò. Subſiſtentia Verbi Diuini non excludit á natura Diuina aliam ſubſiſtentiam Diuinam, ergo excludit à natura humana aliam ſubſiſtentiam Diuinam. Conſequentia probatur: ideo ſubſiſtentia Verbi non excludit á natura Diuina aliam ſubſiſtentiam Diuinam, quia natura Diuina eſt in ſuppoſito Diuino propter abundantiam perfectionis, nimirùm vt perficiat, non perficiatur: ſed natura humana eſt in ſuppoſito Diuino propter indigentiam perfectionis, ergo ſi identitas ſuppoſiti Diuini cum natura Diuina non excludit identitatem eiuſdem naturæ cum alio ſuppoſito, vnio naturæ creatæ cum ſuppoſito Diuino excludet vnionem cum alio ſuppoſito Diuino.

7. Vltimo: ideó non repugnat vnio naturæ humanæ cum ſuppoſito Diuino, quia hæc natura poteſt perfici à ſuppoſito Diuino: ſed non poteſt ſimul perfici à duplici ſuppoſito Diuino: ergo non poteſt ſimul eſſe in duplici ſuppoſito Diuino. Minor probatur, quia totam perfectionem, quam poteſt habere ab vno ſuppoſito Diuino, habet ab alio ſuppoſito, vtraque enim eſt ſuppoſitum infinité perfectum, ergo natura quam perficit vnum ſuppoſitum Diuinum, non poteſt vlterius perfici ab alio ſuppoſito. Hæc ſunt argumenta partis negantis poſſibilitatem vnionis naturæ creatæ cum tribus ſuppoſitis increatis: quibus non obſtantibus.

8. Pa-

8. Partem affirmantem amplectimur aſſerentes eſſe poſſibilem huiuſmodi vnionem, adeóque vnam & eamdem naturam humanam poſſe exiſtere in tribus ſuppoſitis realiter diſtinctis, nimirū in ſuppoſito Patris, in ſuppoſito Filij, & in ſuppoſito Spiritus Sancti.

9. Ratio propter quam animus in hanc ſententiam inclinat, eſt, quia nulla eſt Perſona Diuina, quæ non poſſit terminare, & aſſumere naturam, quam re vera aſſumpſit Perſona Verbi, id enim eſt indubitatum, quia ſingulæ perſonæ ſunt infinitum ſuppoſitum, adeóque capax terminare & perficere omnem naturam ſaltem rationalem: prætcrea Perſonalitas Verbi non excludit á natura quam terminat, aliam Perſonalitatem Diuinam, nimirúm Perſonalitatem Patris, vel Spiritus Sancti, alioquin vna ſubſiſtentia relatiua, qualis eſt ſubſiſtentia ſuppoſiti Diuini, eſſet incompoſſibilis cū alia ſubſiſtentia ſimiliter relatiua, quod tamen eſt aperte falſum, vt conſtat ex Myſterio Trinitatis, vbi tres ſubſiſtentiæ relatiuæ habent eamdē naturā. Quod ſi ſubſiſtētiā relatiua Verbi non excludit á natura Diuina aliā ſubſiſtentiā, nimirúm ſubſiſtentiā Spiritus Sācti, quare excludet à natura creata ſibi hypoſtaticé vnita aliam ſubſiſtentiam Diuinam? Cur Perſona Verbi, quæ non impedit, quo minús natura Diuina ſubſiſtat per aliam Perſonalitatem, impedit quo minus natura humana ſubſiſtat per aliam Perſonalitatem? Hoc certe argumentum eſt ſatis robuſtum ad perſuaſam habendam ſententiam, quám defendimus. Ratio autem á priori, quæ vtrumque promiſcuè demonſtrat, naſcitur ex infinita perfectione, quæ eſt in ſuppoſito Diuino, perindè ac in natura Diuina: ſicuti ergo infinita perfectio naturæ Diuinæ eſt cauſa cur natura Diuina exiſtat in tribus ſuppoſitis, itá infinita perfectio ſuppoſiti Diuini eſt cau-

ſa,

sa, cur plura supposita possint esse eiusdem naturæ supposita: addo, quod natura Diuina, vtpotè bonum infinitum, est radix triplicis subsistentiæ relatiuæ: indè est repugnare in terminis, vt vna subsistentia relatiua possit excludere à natura diuina aliam subsistentiam relatiuam: quia repugnat vt vna subsistentia relatiuâ, cui communicatur identice natura Diuina, excludat à natura Diuina id, cuius ipsa est essentialiter radix, sed natura Diuina est essentialiter radix trium personarum, ergo &c. Hoc eodem argumento demonstro Personam Verbi, quæ terminat naturam humanam, non excludere ab ista natura aliam Personam Diuinam, quia Personalitas Verbi communicatur immediatè, & natura Diuina communicatur mediatè naturæ humanæ, adeòque illi communicatur, id quod est essentialiter radix omnium Personarum.

10. Ex quibus efficitur, naturam assumptam à Verbo posse simul assumi à cæteris personis, quia vel non potest, eò quòd cæteræ personæ non habent virtutem assumendi, vel eo quòd vna persona excludit aliam à natura, quam assumpsit: ex neutro capite repugnat, vt ostensum est, ergo ex nullo repugnat. Hinc nulla est natura ex ijs, quas possunt singulæ personæ assumere; quã non possint omnes simul assumere: an verò homo in tribus Diuinis Personis suppositatus esset, dicendus vnus, an multiplex homo, est cõtrouersia nullius momenti, spectat enim ad modũ loquendi: certum est naturam humanam fore vnam, & suppositum eiusdem multiplex, quia multæ forent personæ vnam habentes naturam. S. Thomas ait appellandum vnum hominem propter vnitatem naturæ, alij multiplicem propter multitudinem personarum.

11. Ad primum. Dist. ma: illud idem facit subsistentia increata, quòd facit creata seclusis imperfectionibus: conc: ma: inclusis imperfectionibus: nego ma:

ma: & concessa min. nego conseq. Personalitas creata, quæ imponit naturæ humanæ extremam perfectionem, est causa cur eadem natura existat in supposito humano, & simul non existat in alio supposito: existere in supposito humano est perfectio, non existere in alio supposito est imperfectio, quia naturam humanam non esse in alio supposito est formalissimé eam non perfici à perfectione infinita suppositi increati: hinc Personalitas Verbi, quæ succedit personalitati creatæ, est quidem causa cur natura humana existat in supposito Verbi, adeoque supplet totam perfectionem personalitatis creatæ, est enim longé perfectiús existere in supposito Verbi, quàm in supposito humano: non propterea est causa, cur eadem natura non existat in alio supposito Diuino, nimirùm in supposito Patris, quia hoc spectat ad imperfectionem personalitatis creatæ, vt excludat aliam personalitatem. Ratio à priori est, quia repugnat vt eadem natura existat in se, & existat in alio: illa igitur forma, quæ formaliter facit naturam existentem in se, formaliter facit naturam non existentem in alio, adeóque formaliter excludit illam formam, quæ facit vt natura existat in alio: sed forma, quæ formaliter facit naturam existentem in se, est personalitas creata, & forma, quæ formaliter facit naturam existentem in alio, est personalitas increata, ergo personalitas creata excludit formaliter personalitatem increatam, adeóque repugnat naturam terminatam personalitate humana terminari personalitate Diuina. E contrario non repugnat, vt eadem natura, quæ est in supposito Verbi, existat simul in supposito Patris, tum quia suppositum Verbi, non excludit à natura, quam perficit, suppositum Patris, vt est indubitatum, tum quia esse in supposito Verbi, & esse in supposito Patris, non sunt effectus formales mutuo repugnantes, sicuti sunt effectus formales

males mutuo repugnantes esse in se, & esse in alio.

12. Ad secundum. Cauenda est æquiuocatio inter sensum specificatiuum, & sensum reduplicatiuum, natura enim suppositata in sensu specificatiuo significat solam naturam, quæ sine dubio potest esse in alio supposito, adeóque potest compleri, quia non est completa nisi in genere naturæ: natura eadem suppositata in sensu reduplicatiuo significat totum suppositum, quod procul dubio non potest esse in alio supposito: est enim substantia essentialiter incommunicabilis alteri supposito, vt demonstratum est: quando igitur sermo est de natura, quæ potest vniri tribus Personis Diuinis, hoc non est ita intelligendum, quasi natura humana quatenús existens in Verbo possit esse in Patre, id enim est manifesté falsum, sed hic loquendi modus significat illam naturam, quæ est in supposito Verbi, posse simul existere in supposito Patris, quod sine dubio non repugnat.

13. Ad tertium. Dist. antec. repugnat naturam creatam esse identicé, siué per identitatem in tribus suppositis realiter distinctis: conc: antec: esse Physicé, siué per vnionem: nego antec. & conseq. Multum interest inter naturam humanam vnitam tribus Diuinis suppositis, & naturam Diuinam existentem in tribus personis Diuinis, tum quia natura humana non habet identitatem cum personis Diuinis, cum quibus habet identitatem natura Diuina: tum quia natura Diuina habet non solúm potentiam, sed etiam debitum, immó & necessitatem, vt existat in tribus personis realiter distinctis, ob necessitatem quam habet summum bonum se summé communicandi: è contrario natura humana, licet possit esse in tribus personis Diuinis, non habet debitum, & multo minus necessitatem, vt in illis existat. Natura igitur humana tametsi finita potest simul esse in tribus suppositis

tis increatis, id enim non repugnat eiuſdem limitationi: addo quod ſicuti natura Diuina, quatenús infinita debet eſſe identicè in tribus perſonis Diuinis, itá natura humana, quatenús eſt in ſuppoſito infinito, poteſt eſſe in tribus ſuppoſitis realiter diſtinctis, adeóque argumentum retorquetur.

14. Ad quartum. Conc: mai: & nego min: hoc enim argumentum eſt manifeſté falſum exemplo naturæ Diuinæ exiſtentis in Patre ſimul & Filio, perſonalitas enim Filij quamuis ſit cauſa, cur natura Diuina exiſtat in Filio potiús quam in Patre, non propterea excludit á natura Diuina perſonalitatem Patris: eodem pacto perſonalitas filij, licet ſit ratio, cur natura humana ſit potiús in ſuppoſito filij, quám in ſuppoſito Patris, non tollit, quo minús eadem natura poſſit eſſe in ſuppoſito Patris per ipſam perſonalitatem Patris. Perſonalitas igitur Verbi excludit a natura humana indifferentiam, quam habet, vt ſit in ſuppoſito humano, vel in ſuppoſito Verbi, adeóque repugnat naturam humanam exiſtentem in ſuppoſito Verbi, eſſe simul in ſupposito humano, ſed non excludit illam indifferentiam, quam habet vt exiſtat in ſupposito Patris, ideo poteſt natura eſſe simul in ſuppositoVerbi,&in ſuppoſitoPatris. Caueri debet æquiuocatio inter iſtas propositiones, quæ videntur similes: *Perſonalitas Verbi non facit naturam humanam eſse in Patre : perſonalitas Verbi facit naturam humanam non eſse in Patre.* ſunt enim diuerſæ, & prima eſt vera, ſecunda falſa, sicut in re simili ex iſtis propositionibus, *albedo non facit dulce : albedo facit non dulce*, prima eſt vera, & ſecunda falſa: quemadmodum igitur vbicatio Romána, quæ eſt ratio cur Pètrus ſit Romæ potiús, quam Florentiæ, non excludit á Petro vbicationem Florentinam, itá ſubſiſtentia Verbi licet ſit ratio cur natura humana ſit potiús

in Verbo, quàm in Patre, non excludit ab eadem natura subsistentiam Patris.

15. Ad quintum. Conc: antec: & nego conseq. Abundantia perfectionis est causa, cur natura Diuina habeat realem identitatem cum personis realiter distinctis: hinc natura humana, quæ communicatur personæ Diuinæ ex indigentia potiùs, quàm ex abundantia perfectionis, non habet identitatem realem cum personis realiter distinctis. Cæterum sicuti natura Diuina potest summè perficere tres personas, cum quibus habet identitatem, ità natura humana potest in suo genere summè perfici à tribus personis, cum quibus potest hypostaticè vniri: argumentum igitur retorquetur.

16. Ad Vltimum: Conc: mai: & dist: min: Non potest perfici intensiuè: omitto min: extensiuè: nego min: & conseq: Nolo hic decidere controuersiam omninò Theologicam, an personalitates Diuinæ habeant aliquam perfectionem, quàm non habet natura Diuina: quod si esset verum, vt cum pluribus Theologis censet Scotus, argumentum rueret, vt satis constat: quia tamen apud me est probabiliùs oppositum, dico naturam humanam, quæ perficitur à Verbo posse magis perfici extensiuè à Patre, quatenùs potest perfici à duplici persona Diuina, sicuti natura Diuina, quæ habet identitatem cum tribus personis, magis perficit extensiuè duas personas, quam vnam.

DIS-

DISPVTATIO SEPTIMA.

De Causis in genere.

DEsiderium sciendi, quod in nobis accendit natura vehementissimum, impellit Animum ad fontes causarum recludendos, in quibus veritas continetur, ideò nihil magis appetit Philosophus, quam rerum causas cognoscere, intelligentis enim substantiæ fœlicitas consistit in contemplatione primæ causæ, hoc est primæ rationis rerum omnium existentium, non existentium, immò repugnantium, & non repugnantium. In hunc locum opportunè cadit Tractatio de causis, quia perfectã corporis naturalis scientiam pariunt omnes eiusdem causæ. Fateor ingenue ad Metaphysicam potiùs, quàm ad Physicam spectare hujusmodi tractatum, cum ratio causæ perindè vt ratio entis sit ratio vniuersalissima, quæ extenditur ad omnia rerum genera, quo fit, vt conceptus causæ conueniat enti sensibili non quatenus ens sensibile est, sed quatenus ens est, adeóque Aristoteles de causis agens in Physica modicus fuit, in Metaphysica multus. Nos Philosophi naturalis limites prætergressi, quidquid ad causarum omnium intelligentiam conducit, in præsenti expediemus, ne in eandem messem semel, atque iterum falcem cogamur immittere.

* *
*

QVAESTIO I.

An sit, quid sit, & quotuplex sit causa.

1. NEmo est, qui possit in dubium vocare, an aliqua in rerum natura existat causa, quia nihil est magis notum, quám causam, & effectum existere, id enim cadit sub experientiam; quis non experitur se intelligere, se videre, audire, & similes actus vitales exercere? quos vtique non potest exercere, nisi cognitionem in se producat, á qua denominatur cognoscens. Præterea experimur Solem illuminare, ignem calefacere, noua in dies animalia generari, ex quo euidenter arguitur existentia causæ producentis lucem, calorē & aliā huius generis. Accedit neminem esse, qui non cognoscat se existere, & simul non intelligat se non semper fuisse, adeòque ab aliquo agente factum fuisse, quia repugnat, vt aliquid incipiat esse, cum antea non fverit, & á nullo agente accipiat esse: vndé nascitur eadem euidentia esse certam existentiam causæ, quā est certa existētia rerum, quas experimur existere: indé est conceptum causæ esse notissimum, sicuti est conceptus entis: non est tamen adeó facile, quod nobis in præsenti incumbit, explicare conceptum formalem causæ in genere præscindentis ab omnibus causis.

2. Notandum primó, nomen causæ accipi posse in amplissima significatione prout significat originem fundatam in necessaria habitudine vnius ad aliud. In hoc sensu vsurpatum nomen causæ, idem sonat, ac principium: ideó priuatio, quam docuimus Disp. 1. quæst. 1. num. 8. esse principium corporis naturalis in fieri, vocatur eiusdem causa, quia corpus naturale in

fieri

fieri oritur ex priuatione, propter necessariam connexionem, quam habet generatio, quæ mutatio est cum ipsa priuatione, à qua non præscindit formalis conceptus mutationis. Causa accepta in significatione minùs ampla sumitur tantum pro eo, à quo aliud oritur per Physicum, & positiuum influxum: in hoc sensu priuatio non est causa corporis in fieri, quia non influit positiuè, sed solum negatiuè per modum termini, à quo recedit subiectum mutationis. Hinc est, quod Aristoteles aliquando vocat priuationem causam, aliquandò negat esse causam, quia nomine causæ nunc vtitur in sensu amplissimo, nunc in sensu minùs amplo.

3. Notandum secundò, apud Aristotelem, & cæteros Philosophos Gentiles nomen principij influentis, & nomen causæ esse terminos conuertibiles: ratio est, quia ab ists Philosophis nulla cognoscitur distinctio inter principium producens & causam: inter rem productam, & effectum, adeò vt omne id, quod producit, sit vera causa, & omne id, quod producitur, sit verus effectus. Apud Philosophos Catholicos hæc doctrina non est vera, quia lumine fidei Diuinæ constat Patrem æternum producere filium, quin Pater sit causa filij, & filius effectus Patris: ratio à priori est, quia filius itá procedit á Patre, vt habeat totam perfectionem Patris, ergo non est effectus Patris, licet a Patre procedat, quia effectus quatenus talis includit essentialiter aliquem defectum perfectionis, quem causa non includit: huiusmodi defectus est dependentia, à qua denominatur formaliter factum id, quod dependet, sed Verbum Diuinum non est factum, quia nullum habet defectum perfectionis, ergo Verbum Diuinum, licet á Patre procedat, nō est effectus Patris, sicuti Pater, licet producat filium, non est causa filij. Hinc patet quomodo nō sit idem causa, & principium.

4. Notandum tertio: repugnare causam repugnante effectu, sed non repugnare principium repugnante principiato, quia causa, quæ nullum effectum potest causare, non est causa, sed repugnante effectu causa nihil potest causare, cum omne id, quod potest causari habeat formalissimam rationem effectus, ergo repugnante effectu repugnat causa, cum repugnet causa, quæ non est causa: è contrario repugnante effectu repugnat principiatum, quia ratio principiati, & ratio effectus sunt rationes conuertibiles, eo quód vtraque ratio in suo formali conceptu includit dependentiam, adeoque imperfectionem; sed repugnante effectu non repugnat principium, ergo repugnante principiato non repugnat principium. Minor ex dictis constat, quia in Diuinis repugnat Filium esse effectum Patris, non tamen repugnat Patrem esse principium filij, aliter Pater non esset Pater, adeoque neque suppositum generans, & filius non esset filius, adeoque esset suppositum ingenitum, quod Catholicæ veritati opponitur, ergo repugnantia principiati non infert repugnantiam principij, sicuti repugnantia effectus infert repugnantiam causæ, cum aliquid existat habens rationem principij, vbi nullum est principiatum: inde est esse optimam huius argumenti consequentiam: *Deus est causa creaturæ, ergo creatura est effectus Dei*, non esse bonam istam: *Pater est principium filij, ergo filius est principiatum*, antecedens enim est verum, & fide diuina certum, consequens est falsum, & hæreticum. Ex qua doctrina euidenter sequitur nomine principij non significari inter ens producens, & ens productum, nimirum inter principium, á quo aliquid procedit, & id, quod á tali principio procedit, non significari, inquam, inæqualitatem dignitatis, & excellentiæ, quam procul dubio nomen causæ significat, ideò effectus non potest

test á causa produci, nisi indigeat causa: ab huiusmodi indigentia, quæ est essentialis dependentiæ, non potest præscindere id, quod á ratione formali effectus non præscindit; ex quo enim aliquid efficitur, & consequentér induit rationem formalem effectus; idem non sufficit sibi ad existendum; quod autem non sufficit sibi ad existendum, indiget alio ente á se distincto ad existendum, vt est manifestum. Hæc indigentia non inuenitur in diuinis personis, quia filius accipit quidem esse diuinum á Patre, cum procedat á Patre tanquam á vero, & reali principio, sed nullam habet indigentiam, nullamque imperfectionem, sicuti nullam indigentiam habet Pater cum quo habet identitatem naturæ: Quiá veró non arguitur principiatum ex principio, sicuti arguitur effectus ex causa, ideó solum arguitur ab essentia principij essentia entis procedentis ab alio, á qua processione ratio principij non potest præscindere; sicuti enim principium formalissimé consistit in eo, quod influit esse in aliud, ita terminus, ad quem refertur essentialiter principium, est formalissimé ens procedens, siué productum; ideo Verbo diuino, ad quod refertur Pater in ratione principij, conuenit esse suppositum productum, procedens, & genitum processione, quæ est vera, formalis, & propria generatio, vt acuté demonstrat S. Thomas in 4. contra Gentes cap. 11. vbi Diuini Verbi generationem plané inenarrabilem acutissimé exponit.

5. His prænotatis, quæ ad rudem spectant causæ, & principij intelligentiam, tria in præsenti quæruntur: primo an inueniatur aliquis conceptus causæ omnibus communis: secundo quid sit huiusmodi conceptus: tertio quot sint causæ, quibus conuenit.

6. Dico primo cum Suario *disp. 11. metaphysica sect. prim.* dari conceptum formalem causæ omnibus causis communem.

7. Ratio est, quia omnes causæ tribuunt esse effectui, sed in hoc prædicato conueniunt, ergo datur aliquis conceptus causæ communis omnibus: ideó cum Aristotele describitur causa in communi: *omne id, ad quod aliud consequitur*, quæ descriptio licet imperfectè exponat naturam causæ, nihilominus ostendit nostræ sententiæ veritatem, quatenus significat dari conceptum causæ omnibus communem: idem discursus nobis constat ex eodem Philosopho, qui in secundo Physicorum cap. 7. hæc habet: *Causa est id, per quod satisfit interrogationi propter quid aliquid fiat*: vbi ly *propter quid* extenditur ad significandum quodcumque genus causæ, quæ nimirum sufficit ad desiderium sciendi explendum, quod, viso effectu, naturaliter excitatur.

8. Dico secundo: conceptus causæ ominbus communis est huiusmodi: *causa est principium per se influens esse in aliudquod neque identicè à se habet esse.*

9. Probatur, quia conceptus causæ omnibus communis, debet talis esse, vt omnibus, & solis causis conueniat, sed huiusmodi est conceptus à nobis traditus, ergo &c. Minor quoad primam partem probatur, quia influere nihil est aliud, quam tribuere, vel communicare esse alteri, vt optimè declarat Suarius disp. cit. sect. 2. & nos vberius explicabimus quæstione sequenti, vbi discrimen, quod inter causam, & conditionem est, afferemus; sed nulla est causa cui non conueniat tribuere, siue communicare esse alteri, vt constat discurrendo de causis nonsolum intrinsecis, quæ inadæquaté distinguuntur ab effectu, quem producunt, verum etiam extrinsecis, quæ adæquatè distinguuntur ab effectu producto, ergo &c.

10. Probatur quoad secundam partem eadem propositio. In primis conceptus causæ non conuenit priuationi, & cæteris causis per accidens, quia illa

ver-

verba *per se influens esse* non possunt de illis verificari: neque conuenit conditionibus, quia conditiones sine quibus effectus produci non potest, nullum influunt esse in effectum: neque conuenit in diuinis Patri, á quo producitur Filius, & Patri, & Filio, á quibus procedit Spiritus Sanctus, quia filius ita accipit esse á Patre, vt habeat identitatem cum natura diuina, quæ est ens á se, & vna, & eadem est in omnibus personis: indé est illa verba: *quod neque identicè habet esse á se* non posse tribui generationi, qua verbum á Patre generatur, & processioni, qua Spiritus Sanctus ab vtroque procedit.

11. Dico tertio: Causa in genere diuiditur in quatuor causas nimirum in materialem, formalem, efficientem, & finalem. Hæc diuisio vt optima demonstretur, opus est singulas causas breuiter definire ante vberiorem tractatum, quem de singulis instituemus.

12. Causa materialis definitur ab Aristotele *ex qua fit aliquid, ita vt insit*, siuè clarius, quæ se communicat formæ dependenter ab ipsa productæ. Causa formalis est illa, quæ per vnionem physicam communicat se materiæ: causa efficiens est, quæ per vnionem physicam influit esse in aliud adæquaté ab ipsa distinctum: causa finalis est id cuius gratia aliquid fit.

13. Istæ definitiones perspicuè declarántur exemplo desumpto ex rebus artificialibus: quando fit statua, causa efficiens est artifex, qui physicé, & efficienter producit statuam á se adæquaté distinctam: causa materialis est marmor, nimirum materia, ex qua statua fingitur, quia marmor communicando se formæ, siuè figuræ dependenter ab ipso productæ, componit statuam: causa formalis est forma statuæ, quæ communicata marmori, illud determinat ad talem speciem entis figurati: causa finalis est illud bonum, quod intentionaliter mouet artificem ad fabrican-

candam statuam. Eodem pacto in rebus naturalibus, quæ á natura fiunt, attendi possunt istæ quatuor causæ: dum lignum incenditur, causa efficiens est ignis, á quo lignum in ignem conuertitur: causa materialis est materia ligni: formalis, forma ignis, quia ex forma ignis, & materia ligni se mutuó perficientibus constituitur ignis: causa finalis est similitudo ignis producti cum producente; ea enim est illud bonum, propter quod omne agens naturale operatur, iuxta illud vulgare principium: *omne agens agit, vt assimilet sibi passum*. Hinc est, quód causa materialis, & formalis sunt causæ intrinsecæ, quia per physicam sui communionem componunt totum, á quo inadæquaté distinguuntur: causa veró efficiens, & finalis sunt causæ extrinsecæ, quia dant esse effectui adæquaté distincto, altera per influxum physicum, altera per intentionalem.

14. Duplicem tradit Arist. in secundo Physic. & in tertio Metaph. rationem, quæ docet prædictam causæ partitionem esse optimam: altera fundatur in inductione, constat enim nullam esse causam, quæ non reducatur ad materialem, formalem, efficientem, & finalem: altera est ratio á priori, quia nulla quæstio agitatur, quæ non possit solui per aliquam ex præcedictis causis: si enim quæratur de rebus immaterialibus, & immobilibus, vel positiué, qualis est Deus, vel præcisiué quales sunt figuræ Mathematicæ, quæ abstrahunt ab omni motu, & materia; si inquam quæratur, quid sint, respondetur per definitionem, quæ explicat naturam rei, adeoque causam formalem, vel quasi formalem, quæ enti enim cur triangulus habeat angulos æquales duobus rectis, respondet Mathematicus tradendo demonstrationem formatam ex definitione trianguli: quærenti pariter cur Deus sit infinité sapiens, & cæteras habeat perfectiones, quæ cum

con-

controuersiam Deo tribuuntur, respondet Theologus demónstratione fundata in diuina essentia, quæ est causa quasi formalis Dei: quatenus essentia Rei, & natura dicitur forma metaphysica; adeoque causa quasi formalis illius rei; cuius est natura, vt dictum est, disp. 5. q. 1. n. 4. Quod si quæstio incidat de ente mobili, siue de corpore naturali, quid nimirum sit; statim respondet Physicus adducendo causa materialem, quæ est materia, subiectum nimirum motus, & mutationis; formalem, quæ est forma determinans materiam ad vnam potius, quam ad aliam speciem entis completi; efficientem, nimirum principium actiuum, quod formam educit ex materia; finalem, nimirum illud bonum, quod mouet causam effectricem ad immutandam materiam. Quia verò omnis quæstio soluitur per causam, sicuti admirationem, ex qua nascitur omnis quæstio, parit eiusdem causæ ignoratio; idcircò si nulla est quæstio, quæ solui non possit per causas nuper explicatas, liquidô constat præter ipsas aliam causam non superesse: inde est, quod causa idealis, ad cuius imitationem artifex producit artefactum, fortuna, fatum, causa meritoria, motiua, & moralis, aliæque causæ, quæ vulgô circumferuntur, reduci possunt ad aliquam ex prædictis causis, vt inferius ostendemus.

15. Hinc colliges primo, existentiam causæ materialis, formalis, efficientis, & finalis euidenter á Physico demonstrari ex perpetua, & noua rerum naturalium mutatione, quæ sensibus occurrit, vt hoc discursu ostensiué demonstratur. In rebus naturalibus, quæ cadunt sub oculos, datur mutatio, ergo aliquid de nouo fit, repugnat enim mutatio sine productione: quod si fit, ab aliquo fit, quia á se non fit, ergo existit causa efficiens, præterea id, quod naturaliter fit ex aliquo subiecto fit, quia ex nihilo nihil fit; &

quod

quod generatur, adeoq; producitur ex aliquo subiecto producitur ergo existit causa materialis, quæ est subiectū, ex quo aliquid fit: rursus omne id, quod fit, habet in se aliquam formam, per quam constituitur in specie talis entis, sed forma per quam constituitur, est causa formalis, ergo existit causa formalis: quia vero nihil fit, quod propter aliquem finem non fiat, quicumque enim sine fine operatur, stultè operatur: ideò existit causa finalis, nimirum finis, propter quem agens operatur; ergo mutatio, quæ in natura contingit, infert existentiam quatuor causarum, quod erat demonstrandum.

16. Colliges secundo: huiusmodi causas esse formaliter distinctas in ratione causæ: quidquid sit an semper sint realiter distinctæ, quod non est præsentis instituti; non enim repugnat vni, & eidem rei conuenire diuersam causalitatem in ordine ad effectus diuersos. Ratio distinctionis formalis requisitæ ad ostendendam veritatem traditæ diuisionis, est, quia distingui formaliter in ratione causæ est habere causalitatem, siue influxum diuersum in effectum, qui producitur: sed causa materialis, formalis, efficiens, & finalis habent causalitatem formaliter diuersam, ergo &c. Minor probatur. Inprimis causa materialis, & formalis sunt causæ intrinsecæ compositi, & causa finalis, atque efficiens extrinsecæ influxus autem causæ intrinsecæ, quæ causat per hoc, quod communicat seipsam effectui, est diuersus ab influxu causæ extrinsecæ, quæ causat per hoc, quod effectui dat esse distinctum ab illo esse, quod in se habet, ergo &c.

17. Colliges tertio: diuisionem prædictam esse adæquatam, non immediatam: ratio cur sit adæquata, est, quia non datur alia causa præter enumeratas: ratio cur non sit immediata, est, quia possunt excogitari partes magis immediatæ diuidentes genus cau-

sæ, tùm quia causa potest diuidi primo in extrinsecam, & intrinsecam, deindè extrinseca in finalem, & efficientem: intrinseca verò in materialem, & formalem: tùm quia posset diuidi causa in causam realem, & intentionalem: realis verò in intrinsecam, & extrinsecam: intrinseca verò in materialem, & formalem, ergo diuisio causæ in materialem, formalem, efficientem, & finalem non est immediata.

18. Huic doctrinæ opponitur primo authoritas Augustini in quæstione 26. docentis omnem causam esse efficientem, ergo nulla datur causa præter efficientem. Consequentiá probatur, quia id tantum causat, quod efficit, sed sola causa efficiens efficit, ergo sola efficiens causat.

19. Secundo. Quod non est principium non est causa, sed finis non est principium, ergo non est causa, ergo causa finalis non datùr. Consequentia probatur, quia omnis causa antecedit effectum, sed finis non antecedit, ergo non est causa.

20. Tertio. Est notior conceptus causæ, quam conceptus rei influentis esse, sed conceptus definitionis debet esse notior conceptu definiti, ergo conceptus principij influentis esse non est conceptus causæ. Maior probatur, tùm quia non explicatur quid sit influere, tùm quia clarior est conceptus dependentiæ, ergo causa debet explicari per dependentiam potius, quam per influxum, ergo &c.

21. Ad primum respondetur non esse mentem Augustini excludere à ratione causæ quamcumque aliam causam, præter efficientem, vt patet ex contextu; sed tantum excludere rationem effectus à prima causa, quam vocat primam rerum omnium rationem. Ad probationem consequentiæ nego, vel dist. ma: id tantum causat, quod efficit in suo genere: concedo ma: quod efficit in genere causæ efficientis: nego ma: &

dist.

distincta min: nego consequentiam. Causa efficiens est magis nota, quam quælibet alia causa, indè est nomen causæ fuisse impositum ad significandam principalius causam efficientem, quæ est potior causa: indè sequitur conceptum causæ esse analogum, & causam efficientem esse principale analogatum.

22. Ad secundum: cocedo maiorem, & nego minorem. Ratio est, quia id, quod est primum in intentione, est vltimum in executione; indé est, quod finis participat rationem principij, quia præcedit in intentione seipsum in executione, vt patet in sanitate, quæ mouet infirmum ad sumendam medicinam. Ad probationem consequentiæ concedo maiorem, & distinguo minorem: finis non est prior prioritate intentionis; nego minorem, prioritate executionis: concedo minorem, & nego consequentiam.

23. Ad tertium: nego ma: Ad eius probationem dico conceptum rei influentis esse in aliud, esse conceptum experimentalem, adeoque per se notum: patet enim experientia actuum vitalium, quos producimus influendo: quid autem sit ipsum influere, quod experimur, clarius explicabitur in sequenti quæstione: vbi rationem á priori licet difficilem conabimur inuestigare, quæ discernit causam à conditione. Conceptus dependentiæ, quem tradunt Conimbricenses, est insufficiens ad explicandum conceptum causæ, quia effectus pendet á conditionibus.

QVAESTIO II.

Vtrum causa indigeat conditionibus ad operandum.

1. Dubium esse non potest, an pertineat ad conceptum formalem causæ agere, siuè operari,

tùm

tùm quia conceptus causæ, quem sine vllo discursu ex ipsa terminorum apprehensione format intellectus, est conceptus rei operantis, à qua præscindere non potest conceptus causæ; tùm quia nulla est causa, quæ in suo genere non influat esse in aliud, vt dictum est qu. 1. numer. 3. id autem procul dubio non potest intelligi non intellecta operatione: hanc veritatem ex terminis notam experientiá demonstrat, quam habemus de nostris actibus, quos agendo producimus ad vitam sentientem, siuè intelligentem spectantibus: vndè parare possumus gradum ad inuestigandum id, quod in alijs agentibus non experimur. Indè est, quod causa actu operans, dicitur causa in actu secundo, & causa actu non agens, sed potens actu agere, siue habens totam virtutem agendi, dicitur causa in actu primo, & quia nunquam inuenitur causa actu agens, nisi sit causa habens totam virtutem agendi, ideó nunquam est causa in actu secundo, quin sit causa in actu primo, & antecedat causam in actu secundo. Huiusmodi actus primus, qui antecedit secundum, est duplex: alius proximus, alius remotus. Hic non habet quidquid ad operandum requiritur, ille veró habet: vndé sequitur causam in actu primo proximo constitutam transire ad actum secundum præcisè per solam operationem, quæ est formalis determinatio ipsius causæ ad effectum producendum, vt dicemus, dùm sermo nobis erit de actione causæ efficientis: Dubium, quod in præsenti nascitur, & valdè conducit ad clarius inuestigandum formalem conceptum causæ, est, an causa indigeat ad agendum aliquibus conditionibus, quæ determinent causam ad agendum; & nullo modo influant in effectum productum.

2. Ratio dubitandi est primo, quia conditiones distinctæ á causa adæquata non existunt, ergo causa non indiget conditionibus distinctis ad agendum,

vel

vel non determinat; si secundum, ergo non existit; si primum, ergo non est distincta á causa adæquata, ergo conditiones á causa adæquata distinctæ non existunt.

3. Secundo. Conditio si existit, constituit actum primum proximum, ergo constituit causam adæquatam, ergo producit effectum non minus, quam causa, ergo non distinguitur á causa. Prima consequentia probatur. Actus primus proximus est causa adæquata, conditio constituit actum primum proximum, ergo constituit causam adæquatam.

4. Tertio. Omne id, quod requiritur ad effectum producendum, communicat esse effectui, adeoque influit in effectum, sed conditio requiritur ad effectum producendum, ergo communicat esse effectui, adeoque influit in effectum, ergo non distinguitur á causa, ergo causa non indiget conditionibus distinctis ad operandum. Maior probatur, tum quia id, quod nullo pacto influit in effectum, materialiter se habet ad effectum, adeoque non requiritur ad effectum producendum; tùm quia deficiente eo quod requiritur ad operandum, effectus deficit.

5. Quarto. Effectus, qui producitur, non habet minorem indigentiam conditionis requisitæ ad agendum, quam ipsius causæ agentis, cum habeat esse ab vtraque dependens, ergo vel nulla conditio est necessaria ad agendum, vel conditio est indistincta á causa. Antecedens probatur. Effectus, qui producitur, habet indigentiam actus primi, à quo producitur, sed actum primum, á quo producitur effectus, constituit non minus conditio ad agendum requisita, quam ipsa causa, ergo &c.

6. Quinto. Causa, quæ agit, vel habet totam virtutem agendi, vel totam non habet: si habet, ergo non indiget conditionibus distictis ad agendum: si non

non habet, conditiones, quibus indigent, complent virtutem causæ, adeoque constituunt causam adæquatam, ergo causa adæquata non indiget conditionibus distinctis.

7. Vltimo. Causa quatenus causa non indiget ad operandum aliquo á se distincto, quia totam virtutem præcontinet, ergo nulla causa indiget conditionibus distinctis ad operandum. Consequentia probatur, quia si aliqua causa indiget, in quantū causa est, indiget, sed in quantū causa est non indiget, ergo nulla indiget. Antecedens probatur, quia causa prima, quæ agit in quantum causa, non indiget aliquo distincto ád operandum, repugnat enim causam primam non esse totum actum primum proximum operandi, ergo &c. Contra hanc sententiam.

8. Dico primo. Causa secunda indiget ad operandum conditionibus á se distinctis.

9. Probatur primo á posteriori, quia nulla est causa secunda, quæ dum operatur, non determinetur ab aliquibus conditionibus á se distinctis ad operandum, vt demonstrat inductio, quæ fieri potest in omnibus causis. Ignis, qui stuppam incendit, in genere causæ efficientis non operatur, nisi eidem stuppæ sit proximus: hæc propinquitas vtique distinguitur ab ipso igne, & est conditio requisita ad incendium stuppæ: materia, quæ in genere causæ materialis producit formam, eamque sustentat, disponi debet aliquibus accidentibus, vt sit subiectum dispositum ad formam sustentandam: idem constat in forma, quæ facit in genere causæ formalis compositum: prætereá bonum, quod in genere causæ finalis ad operandum mouet, in tantum mouet, in quantum media cognitione proponitur voluntati, adeoque indiget cognitione tanquam conditione distincta, & essentialiter requisita ad operandum,

 ergo

ergo causa secunda indiget conditionibus á se distinctis ad operandum.

10 Probatur secundo à priori: nulla causa potest agere vbi non est, ergo omnis causa secunda indiget aliqua re distincta, quæ non est virtus agendi, sed est conditio ad agendum requisita. Consequentia probatur, quia nulla causa secunda per suam existentiam est vbique, aliter res aliqua creata foret immensa, quod repugnat, ergo per suam existentiam est indifferens ad existendum hic, vel alibi, ergo quando hic existit, indiget aliquo á se distincto ad agendum, nimirum vbicatione, quæ est ratió formalis determinans causam ad existendum in loco, in quo operatur. Opposito modo philosophandum est de causa prima, siuè Deo. Ratio est, quia Deus per suam existentiam, quæ est infinita existentia, vbique existit: cum à perfectione immensitatis, quæ est realiter indistincta ab ipso Deo, sit determinatus essentialiter ad existendum in quocumque loco: indé est Deum non indigere aliquo á se distincto ad operandum, siué per modum causæ, siuè per modum conditionis id se habeat, quia virtus agendi est in Deo indistincta ab ipsa perfectione existendi vbique, ergo talis virtus cum sit infinita, & immensa per seipsam determinat Deum ad agendum in quocumque lòco.

11. Dico secundo. Non omnis conditio requisita ad agendum constituit actū proximum agendi. Ratio est, quia non omnis conditio quæ est requisita ad agendū, physicé existit, quādo causa operatur, sed conditio non existens physicé quando causa operatur, non constituit actum primum proximum agendi, ergo non omnis conditio ad agendum requisita constituit actum primum proximum agendi. Minor est certa, quia non potest causa agere, nisi

exi-

existat physicè totus actus primus proximus agendi, quando enim causa operatur, est actus secundus, adeoque totus actus primus, qui non potest ab actu secundo separari, ergo conditio, quæ physicè non existit quando causa operatur, non constituit actum primum proximum agendi, quia repugnat in terminis existere totum physicum, quando physicè non existunt omnes partes. Maior probatur, quia quando mobile mouetur, & recedens ab vno termino accedit ad alium, est causa suæ præsentiæ localis in termino, ad quem accedit: sed non potest esse causa præsentiæ localis in termino ad quem, nisi prius fuerit in termino à quo per præsentiam essentialiter repugnantem illi præsentiæ, quam habet, dum est in termino ad quem; ergo non omnis conditio ad agẽdum requisita existit physicé, quando causa operatur.

12. Hinc sequitur, aliquas esse conditiones, quæ constituunt actum primum proximum agendi, adeoque determinant in actu primo causam ad operandum, cum qua simul existunt, & aliquas esse conditiones, quæ non constituunt actum primum proximum, quia habent metaphysicam repugnantiam cum existentia actus primi proximi, adeoque non existunt existente actu primo proximo, sed necesse est eas aliquando extitisse, vt existat actus secundus, adeoque actus primus productiuus secundi: id quod requiritur tanquam conditio pertinens ad actum primum proximum, eumque intrinsecè constituens, vocatur conditio in actu primo determinans virtutem causæ ad operandum: id verò, quod requiritur tanquam conditio, quæ non constituit actum primum proximum appellatur conditio *sine qua non*, hoc est conditio talis generis, vt sine illa non sit totus actus primus: ita præsentia Petri existentis in loco *A*, est conditio, sine qua non est actus primus

productiuus præsentiæ eiusdem Petri in loco *B*, repugnat enim Petrum, qui mouetur á loco *A* ad locú *B*, esse in loco *B*, si nũquã fuit in loco *A*, vnde mouetur.

13. Dico tertio Conditio, quæ constituit actum primum proximum agendi, non influit in effectum.

14. Probatur. Vel causa secunda potest agere, etiamsi nihil á se distinctum habeat, quod eam determinet in actu primo ad agendum, vel illud, quod eam determinat in actu primo ad agendum non influit in effectum; sed cáusa secunda non potest in actu primo ágere nisi habeat aliquid à se distinctum, à quo determinatur in actu primo ad agendum, vt demonstratum est in prima conclusione, ergo illud, quod determinat causam in actu primo ad agendum non influit in effectum; sed illud, quod determinat causam in actu primo ad operandum, est conditio constituens vná cum ipsa causa actum primum proximum, ergo conditio, quæ constituit actum primum proximum, non influit in effectum, adeoque nulla est conditio, quæ influat, quia illa conditio quæ non constituit actum primum proximum, & est conditio, *sine qua non*, procul dubio non influit, cum non existat, quando effectus existit. Maior probatur, quia habere virtutem influendi in effectum est formalissimè habere virtutem causandi, ergo illud, quo indiget causa adæquata ad agendum, non habet virtutem influendi, si enim habet hanc virtutem, causa non habet indigentiam alterius rei à se distinctæ ad operandum.

14. Hinc est causam conuenire cum conditione io eo, quód vtraque constituit actum primum proximum agendi: vtraque antecedit effectum prioritate naturæ, de qua sermo est in quæstione sequenti, & effectus ab vtraque dependet: differre verò, túm quia causa communicat suum esse effectui, adeoque ha-

habet virtutem continentem effectum in eo genere, in quo est causa: conditio non communicat esse effectui, sed solum determinat causam ad communicandum: tùm quia causa influit esse in effectum, conditio non influit, sed solum determinat in actu primo causam ad influendum.

16. Ratio à priori, cur causa influat, & conditio non influat, peti debet ex altiore discursu, quo naturam causæ intimè speculatur intellectus, & manuducitur ad discernendum illud prædicatum, quod in causa requiritur, vt influat, in conditione, vt determinet virtutem influendi.

17. Certum est causam largiri, & communicare effectui existentiam in eo genere, in quo est causa, effectus enim, qui non est, tunc esse incipit, quando egreditur ex causa, in cuius virtute continetur: indé est effectum procedere à causa, eaque indigere, cum sibi non sufficiat ad existendum, sufficientia enim effectus ad existendum non est ipse effectus, sed aliquid ab effectu contradistinctum. Præterea certum est causam non posse largiri existentiam effectui, nisi illam perfectionem, quam largitur, habeat in se, vel formaliter, vel eminenter: sermo in præsenti est de causa efficiente, quæ est potissima causa, & agit ex abundantia, non ex indigentia perfectionis. Ratio á priori est, quia repugnat, vt causa tribuat id, quod non habet in se, vel formaliter, habendo perfectionem æqualem perfectioni, quam communicat; vel eminenter habendo perfectionem maiorem, vt videre est in causa prima, quæ in gradu quodam eminentiori continet totam perfectionem in rebus creatis diffusam. Hæc repugnantia nititur in illo vulgari principio: *nemo dat quod non habet*; cuius veritatem nemo in dubium reuocabit, qui terminos intelligat: quomódo enim fieri potest,

vt pauperis indigentiam subleuet qui pecunia caret? vt alios Philosophiam doceat qui Philosophiam ignorat? Indé est, quod nulla causa potest agere, nisi existat eo modo, quo agit,& vnaquæque res in tantùm agit, in quantùm est in actu, vt sæpissimé docet S.Thom.quia nulla res potest suũ esse propagare, & suas quodammodo diuitias in effectum effundere nisi habeat virtutem effundendi, quæ virtus est formalissimé cõtinentia perfectionis effectui cõmunicatæ, vt dicemus in Tract. de Causa efficiente. Prætereá appetitus propagandæ speciei, quem in rebus ad interitum properantibus vehementissimũ experimur, est quidam appetitus æternandæ vitæ non in se, quia hoc naturæ repugnat, sed in suo partu, hoc est in aliqua sui imagine, cum finis agendi sit similitudo sui imprimenda rei, quam debet producere: quia veró nõ potest intelligi similitudo producta, nisi intelligatur perfectio in causa, quam imitatur effectus; ideo causa non potest agere nisi perfectio effectus inueniatur in causa, vel formaliter secundum speciem, vel eminenter modo quodam perfectiori.

14 Ex hoc discursu euidenter nascitur causám habere cum effectu, quem producit, commune aliquod prædicatum non transcendens, siue specificum, quod conditio non habet, licet actum primum proximum constituat: ratio est quia causa influit, conditio non influit in effectum, sed influere est habere aliquod prædicatum non transcẽdens, siué specificum commune cum effectu, vt demonstratum est, ergo &c. Ideó causa debent producere effectum similẽ sibi, conditio veró debet determinare virtutem causæ, quia conditio non requiritur vt effectui communicet imaginem sui, adeóque õnis perfectio effectus debet relucere in cau-

sa : nulla in conditione , vt experientia demonstrat : Ignis admotus stuppæ , illam incendit : ad hunc effectum producendum requiritur ignis , & approximatio , ille vt causa , ista vt conditio ; ille effectum sibi assimilat , secus ista, quia ignis productus imitatur ignem propinquum stuppæ , non imitatur propinquitatem , quæ eatenùs requiritur, quatenùs admouet stuppæ virtutem continentem ignem producendum . Præterea quando formatur cognitio , requiritur ex parte actus primi tū intellectus, tū species impressa, quę est imago obiecti cogniti : vtraq. est causa cognitionis , quia vtraque in cognitionem influit , cognitio enim producta est imago vitalis obiecti , quatenùs imago obiecti producitur á specie , quam imitatur ; quatenùs vitalis producitur ab intellectu , á quo accipit perfectionē vitæ , quam á specie non potest accipere : idem patet in visione Dei , quam producit Intellectus Beati informatus lumine gloriæ , vt omnes docent Theologi , quia in visione Dei producta ab intellectu Beati est aliqua perfectio , quæ in intellectu reperitur , & aliqua quæ reperitur in lumine gloriæ . Hinc est, quod ad discernendam conditionem à causa,adeoq; definiendum , an aliquid constituens actum primum proximum sit causa , vel conditio : opus est speculari an habeat aliquod prædicatum specificum cōmune cum effectu , an nullum; si aliquod , est causa; si nullum; est conditio .

15. Ad primum:nego Antecedens. Ad eius probationem dico esse in conditione virtutem determinandi , non esse vırtutem agendi , quia causa adæquata , quamuis habeat totam virtutem agendi , debet in actu primo determinari à conditione distincta.

25. Ad 2. conc. Antecedens , & nego conse-

quentiam. Ad eius probationem distinguo maiorem: actus primus proximus est tantum causa adæquata: nego maiorem: est non tantum causa adæquata: conc. ma. & dist. minori, nego Cõsequentiã: Actus primus magis laté patet, quàm causa, quia includit conditiones, quæ non sunt causa:

21. Ad 3. nego maiorem, cuius falsitas cõstat ex dictis.

22. Ad 4 nego Antecedéns: effectus, qui producitur, dependetá causa, & â conditione, sed magis á causa, quàm á conditione, quia illa influit, ista non influit, sed tantum determinat virtutem influendi. Hinc patet ad probationem Antecedentis.

23. Ad 5. Causa habet totam virtutem agendi, adeoq: est adæquata, sea non habet quidquid ad agendum requiritur, quia tám virtus quàm determinatio virtutis requiritur; & ratio á priori est, quia causa adęquata, quæ est causa limitatá, sicuti quælibet causa secũda indiget determinatione distincta vt possit agere: indè est facile in hac materia cõfundi actum primum adæquatum, & causam adęquatam, ille constituitur per causam, quæ hábet virtutem agendi, & conditionem, quæ determinat, ista veró constituitur per solam virtutem agendi.

24. Ad vltimum dist. antecedens: causa non indiget conditione distićta, quatenus causá in genere: conc. Antecedens: quatenus causa limitata: nego antecedens, & cônsequetiam: ratio cur causa prima quæ est causa infinita, non indigeat, est quia huiusmodi causa pér suam existentiam est vbique, cum immensa sit, adeóqué intimè præsens cuicumque rei.

QVAE-

QVAESTIO III.

Vtrum causa antecedat effectum prioritate naturæ.

1. NIhil solet esse apud Philosophos magis decantatum, quam effectum, & causam ita comparari, vt hæc antecedat, ille consequatur: ista sit prior, ille posterior: id enim inualuit, vt ratio, quæ causam rei tradit, appelletur a priori, & ratio, quæ rem per effectum demonstrat, á posteriori: indè est per disputantium ora frequentissimè volitare id, quod est in priori signo antequam effectus intelligatur productus; & id, quod est in posteriori, quãdo nimirũ effectus intelligitur productus: Hæc duo signa, quæ appellántur instantia naturæ, siuè causalitatis debet diligenter attendere, & accuraté distinguere quicunque inoffenso pede naturam rerum speculari desiderat, & vérum á falso internoscere. Quomodo verò causa effectum antecedat, & quid tandem sit hęc prioritas naturæ constituens causam priorem suo effectu, & effectũ posteriorem causa difficillimum est enucleatè, & subtiliter explanare, vt patet ex omnibus Philosophis, qui ad hanc rem tractandam accessere: nobis rem totam altius repẽtibus placet subijcere aliquas propositiones, quibus ante oculos ponatur id, quod in re præsenti dicendum occurrit.

2. Prima propositio. Prioritas in genere est cõparabilitas plurium rerum habentium inter se distinctionem, & ordinem.

3. Veritas huius propositionis patet explicatis terminis, quia repugnat prioritas, vbi non est distin-

ctio,

ctio, & ratio á priori est, quia vbi non est distinctio, ibi est identitas, vbi identitas, ibi summa vnitas, & communicatio, vbi autem summa communicatio, nulla in prædicatis obiectiuis discrepantia; vbi nulla discrepantia, nulla prioritas, quia priús, & posterius sunt prædicata inuicem pugnantia, vt quilibet intellectus ad terminorum intelligentiam peruenlens facilè videt, ergo necesse est, vt prioritas inferat distinctioné: ergó repugnat prioritas, vbi nō est distinctio. Quia verò nō datur distinctio, vbi non datur aliquis numerus, siuè multitudo; ideó multitudo, in qua fundatur omnis prioritas, debet esse ordinata; repugnat enim aliquid esse priùs, & aliquid posterius, vbi non est primum, ad quod ordinātur omnia, quæ talem multitudinem constituunt: indè est prioritatem in genere esse comparabilitaté, siuè numerum rerum habentium inter se distinctionem cum ordine. Hæc doctrina desumpta est ab Aristotele, qui ait in V. Metaphy. *Priora sunt, quæ magis appropinquant alicui primo existenti in re, vel cognitione*: vnde Philosophus deducit in lib. 12. vniuersam rerum multitudinem, quæ Mundum componunt, ordinari ad vnum primum ens, sicuti milites, qui sunt in exercitu, ordinantur ad Imperatorem: immò in lib. 1. Magnorum Moral. cap. 5. comparat ordinem cum numeris originem trahentibus ab vnitate, quæ est principium omnis numeri: vndé sequitur illum numerum esse priorem, qui magis ab vnitate recedit,

4. Secunda Propositio. Prioritas alia est realis, alia rationis, siué logica.

5. Ratió est, quia omnis prioritas fundantur in aliqua distintione, vt dictum est num 3, sed distintio alia est realis, alia rationis, siuè logica, ergo etiam prioritas. Exemplum realis prioritatis habes

in

in Deo reſpectu Creaturæ, quia Deus ſicuti nullo intellectu cogitante à Creatura diſtinguitur, ita eandem antecedit æternitate, perfectione, & cauſalitate. Exemplum prioritatis logicæ eſt genus reſpectu ſpeciei, nimirum animal reſpectu hominis, adeoque prædicatum magis vniuerſale reſpectu minus vniuerſalis. Ratio eſt, quia inter genus, & ſpeciem, animal, & hominem non datur niſi diſtinctio formalis, & logica: prætereà homó infert animal, non veró animal infert hominem: hæc prioritas vocatur á logicis à ſubſiſtendi conſequẽtia. Sub genere prioritátis realis continẽtur plures & diuerſæ ſpecies prioritatis; vna & maximè nota eſt prioritas tẽporis ſiuè durationis, quæ eſt realis comparabilitas pluriũ inſtantium, quæ habent inter ſe aliquẽ ordinem. Hanc prioritatem nemo eſt, qui ſtatim non intelligant propter eſſe ſucceſſiuum, quod habet tempus includens eſſentialiter partes priores, quæ antecedunt, & partes poſteriores, quæ ſuccedunt. Hoc eſſe ſucceſſiuum, in quo poſita eſt tota prioritas durationis, nobís eſt notiſſimum, quia ſub experientiã cadit per actus intentionales diuerſos, alios memoriæ, quibus præterita recordamur, alios intuitionis, quibus res præſentes intuemur, & alios expectationis, quibus futura cognoſcimus. Neceſſe eſt, vt ea, quæ habent hanc prioritatem, in eodem temporis inſtanti non exiſtant. Hæc neceſſitas fundatur in veritate illius principij Metaphyſici *repugnat idem ſimul eſſe, & non eſſe* quia ſi *A* præcedit temporè *B*: in eo inſtanti, in quó eſt *A*, non eſt *B*. cum in eo inſtanti, in quo eſt *A*. quód eſt priús, ſit negatio *B*. Hinc eſt, quod intellectus, qui à rebus notis ad ignota progedi ſolet quamcumque ſpeciem prioritatis concipit relaté ad prioritatem durationis. Ratio eſt, quia ægerrimé concipitur prioritatem prio-
ori-

oritas, & posterioritas sine aliquo conceptu successionis: indè est per quandam analogiam, & similitudinem cum huiusmodi differentijs temporis, quæ sunt præteritum, præsens, & futurum, explicanda esse ea, quæ habent prioritatem, & posteritatem originis, & naturæ, siué causalitatis.

6 Tertia propositio. Præter prioritatem temporis, siué durationis, datur prioritas naturæ, & originis, quæ est realis comparabilitas rerum habentiũ distinctionem cum ordine causæ ad effectum, & producentis ad productum.

7 Probatur, quia ante quamcumque intellectus reflexionem inuenitur id, quod producit, & id, quod producitur, id, quod est causa, & id, quod est effectus: Pater enim in diuinis producit filium, & Deus est causa, Creatura effectus nullo cogitante intellectu: præterea inter causam, & effectum, inter producens, & productum datur realis ordo, cuius rei multiplex ratio afferri potest: præcipua, quam Aristoteles insinuat in 14. Met. cap. 15. fundatur in summa sapientia illius intellectus, qui Mundum fabricauit, quia tota hæc natura, quam ante oculos habemus, non est tanquam vitiosa, & inconnexa Tragœdia, ergo constat ex partibus maximé ordinatis: quod est adeò veritati consonum, vt nihil sit, vbi maior ordo, & maior connexio reluceat, quàm in operibus naturæ, ipsa enim monstra, quæ sunt naturæ particularis ab idea deficientis peccata, immò eadem scelera, quibus nihil est magis inordinatum, cum à perfectione ordinis deflectant, ad vniuersi pulchritudinem, & mundi harmoniam conducunt Augustino teste. Quod si partes, ex quibus coalescit natura, ordinis pulchritudinem habent, an carebunt perfectione ordinis, causæ, & effectus? certè finis vltimus, & suprema naturæ perfectio consistit

ſiſtit in cauſando, & operando, vt dicit Philoſophus in primo Ethic. vbi autem eſt maior perfectio, ibi maior inuenitur ordo: optimum enim in vniuerſo eſt ordo, vt idem Philoſophus ait in 15. Met. vbi verò eſt ordo, ibi eſt prius, & poſterius, vt disertè docet S. Thomas in ſecunda ſecundæ quæſt. 26. art. 10. ergo inter cauſam, & effectum datur verus, & realis ordo, ergo vera, & realis prioritas. Accedit intellectum, qui vtpotè facultas percipiens verum, maximam haurit voluptatem ex proportione, conſonantia, & ordine, vehementer delectari cognitione effectuum, & cauſarum: quæ delectatio tanta eſt, vt totus ſapientiæ fructus, quàm acutè vocat S. Thomàs ſapidam ſcientiam, conſiſtat in rebus omnibus ad vltimam cauſam, & primam rationem reducendis: vndè conſtat inter cauſam, & effectum maximũ ordinem inueniri, adeoque prioritatem, quæ eſt fundamentum ordinis. Hinc eſt, quod inter diuinas Perſonas, quarum vna procedit ab alia, datur etiam ordo non dignitatis, perfectionis, & naturæ ſed originis; inter cauſam, & effectum datur ordo naturæ, & cauſalitatis, adeoque prioritas naturæ.

8 Quarta propoſitio. Prioritas naturæ, ſiue cauſalitatis eſt longè nobilior prioritate durationis, ſiuè temporis.

9 Veritas huius propoſitionis ex dictis conſtat vt hoc ſyllogiſmo demonſtro. Illa prioritas eſt nobilior in genere prioritatis, quæ conſiſtit in perfectiori ordine, ſed ordo naturæ, ſiue cauſalitatis eſt longè perfectior, quam ordo temporis, ergo prioritas naturæ eſt longè nobilior prioritate temporis. Minor patet, quia maiorem habent connexionem, adeoque maiorem ordinem ea, quæ ita comparantur, vt vnum ab alio dependeat, quàm ea, quorum vnum aliud antecedit duratione, ſicuti maiorem

con-

cōnexionem in ordine intentionali habent ea,quorū vnum ex alio sequitur, vt antecedens, & consequens, quàm ea, quorum vnum ante aliud cognoscitur, magis enim connectitur conceptus animalis cum conceptu hominis, quàm conceptus Petri cum conceptu Pauli,licet fortasse contingat,vt cognitio quæ repræsentat Petrum antecedat cognitionem, quæ repræsentat Paulum, quia cognitio Pauli sequitur post cognitionem Petri, sicuti cōceptus animalis sequitur ex conceptu hominis. Præterea prioritas tēporis licet sit magis nota, quàm prioritas naturæ, fundatur in prioritate naturæ, vnde arguitur maior perfectio, & excellentia in prioritate naturæ, quám in prioritate temporis. Ratio, cur fundatur, est, quia eatenus aliqua sunt priora, quatenus participant aliqúid de ratione causæ, ea enim sunt priora, quæ magis appropinquant primò principio, docet autem Aristoteles in 5. Met. text. primo. principium esse vnde aliquid est, fit, aut cognoscitur, ex quo optimé infert Cardinalis Pallauicinus in disp.4.qu.2.de Act hum. vnum tempus denominari prius alio, quia posteriora causari possunt à prioribus, non priora à posterioribus: ita Adamus, qui antecessit tempore omnes homines, est causa saltem mediata omnium hominum: nullus homo potest esse causa Adami. Ratio à priori, cur omnis prioritas fundetur in prioritate naturæ, vel originis, est, tum, quia primum simpliciter, & in omni genere est Deus, qui eatenus constituit cum cæteris rebus ordinem, qúatenus eas producit, & est adæquata sufficientia omnium rerum ad existendum: tum quia substantia creata, quæ primum habet locum respectu accidentium, adeoque ab Aristotele in 4. Met. vocatur ens simpliciter primum, constituitur prima, eo quod producit accidentia, á quibus perficitur in genere

cau-

causæ efficientis, materialis, & finalis. Inde est, quod effectus, qui à causa procedit, adiungitur causæ, sicuti secundum instans horæ adiungitur primo instanti, cum illud, quod adiungitur, sit posterius, illud verò, cui adiungitur, sit prius.

10 Quinta propositio. Prioritas temporis, siuè durationis, neque requiritur, nec sufficit ad constituendam causam priorem effectu.

11 Probatur vtraque pars. Non requiritur: primo, quia illud non requiritur ad constituendam causam priorem effectu, quod neque influit, neque determinat virtutem influendi; sed prioritas temporis neque influit, neque determinat, ergo non requiritur. Minor probatur, quia ignis per hoc præcisé, quod hesterna die fuerit in rerum natura, non influit in lignum, quod hodie inceditur, neque eius virtus determinatur ad influendum per existentiam hesternam, vt patet: inde est existentiam hesternam materialiter, & per accidens se habere ad effectum hodiernum, adeoque prioritatem durationis non esse requisitam ad constituendam causam. Secundo: plurimæ sunt causæ, quæ habent rationem veræ causæ, & tamen non antecedunt duratione, vel tempore effectum productum, vt contingit in sole respectu lucis, in igne respectu caloris, in materia respectu illius formæ, quam habuit in Mundi exordio, in Deo respectu mundi iuxta sententiam falsã, quia contrariam fidei, quam tradidit Aristoteles de mundo æterno, quem tamen á Deo factum, & productum non negauit: inde est, quod causa in quantum causa non antecedit suum effectum duratione, adeoque ex conceptu causæ non potest inferri consequentia formali prioritas temporis, & durationis.

12 Ratio cur hæc prioritas non sufficiat ad con-

stituendam causam priorem effectu, constat ex præfato discursu, quia causa, quæ antecedit effectum duratione, non est causa in quantum antecedit duratione; id enim prioritatis genus non requiritur, sed est causa in quantum influit: ita Deus licet antecesserit æternitate mundum, quem ante sex ferè annorum millia condidit, non ea de causa condidit, quia æternitas Dei Mundi durationem antecessit, sed quia Mundo sibi non sufficienti ad existendum, existentiam communicauit: vndè fit prioritatém temporis non satis esse ad explicandum conceptum causæ, quæ suum effectum antecedit.

13 Sexta propositio. Effectus, & causæ existentia in eodem instanti temporis requiritur, sed non sufficit ad constituendam causam priorem effectu prioritate naturæ.

14 Ratio cur requirátur, est, quia licet non sit necesse, vt effectus procedens á causa existat quandocumque existit causa, necesse tamen est, vt causa existat in eo instanti, in quo fit effectus, cum fieri non possit, vt causa agat quando non est: operari enim supponit esse: quod si causa non potest in effectum influere, nisi existat simul cum effectu, consequens est, vt coexistentia causæ, & effectus, siue existentia vtriusque in eodem instantí necessaria sit ad constituendam causam in ratione causæ, siué actus primi proximi ad operandum expediti, adeoque ad constituendam prioritatem naturæ, siuè causalitatis.

14 Ratio, cur non sufficiat, est euidens, quia plurima sunt, quæ coexistunt, siuè in eodem tempore existunt, neque tamen vnum est prius, aliud posterius natura, cum vnum ab alio non dependeat: certé si contingat, sicuti contingere potest, vt Cœlo coruscante Turca saltet, in eodem temporis momen-

mento coruscabit Cœlum, & Turca saltabit, quin coruscatio Cœli antecedat causalitate saltantem Turcam, quid enim in Turcam saltantem influit Cœlum fulgurans?

15 Septima propositio. Ad constituendam prioritatem, & posterioritatem naturæ requiritur præter realem distinctionem, & coexistentiam plurium rerum dependentia vnius ab alia, siue indigentia vnius respectu alterius.

16 Explicatur hæc propositio, & simul demonstratur eius veritas. In primis necesse est, vt ea, quæ comparantur sicuti prius, & posterius, habeant distinctionem realem, quia sicuti prioritas supponit distinctionem, vt demonstratum est num. 3. ita prioritas realis supponit realem distinctionem: præterea necesse est, vt in eodem instanti temporis existant, cum huiusmodi prioritas non sit prioritas durationis: quia verò prioritas non existit sine ordine, & ordo non existit sine aliquo primo, quod antecedit, eique adiungitur id, quod consequitur, primum autem in ordine naturæ, de quo sermo est, fundatur in dependentia, ideó ad prioritatem naturæ requiritur dependentia, adeoque indigentia: quia verò non potest esse dependentia, nisi existat id, quod dependet, & id, á quo dependet, ideó ens dependens est posterius, & ens, á quo dependet, est prius; sed ens dependens est effectus, & ens, á quo dependet, est causa, ergo causa est prior natura. Ratio á priori est, quia intellecta præcisè duarum rerum existentia, quarum vna dependet, & indiget, alia non dependet, neque indiget, intelligitur comparabilitas rerum habentium distinctionem cum ordine causæ ad effectum; sed huiusmodi comparabilitas est prioritas naturæ, vt in tertia propositione demonstratum est num. 6. ergo intellecta præcisé duarum

rerum existentia cum dependentia non mutua intelligitur prioritas naturæ, ergo &c. Ex quo efficitur, omne id, quod constituit actum primum, habere prioritatem naturæ respectu actus secundi, cum effectus dependeat ab omnibus illis requisitis, quæ requiruntur ex parte actus primi, & constituunt adæquatam sufficientiam sui: quià verò ex parte actus primi requiritur non solum causa, sed etiam conditio, ideo vtraque est prior natura respectu effectus, qui est posterior natura.

17. Ex hoc discursu peti debet ratio, cur dicatur effectus ducere in cognitionem suæ causæ, in qua intellectus quiescit; cur effectus causæ, non causa effectui dicatur adiungi; cur tandem causa præsertim efficiens agat ex abundantia, nō ex indigentia perfectionis. Effectus quatenus effectus non sufficit sibi ad existendum, quia indiget alio ente á se adæquaté distincto ad existendum, sed ens quod sibi non sufficit ad existendum, ducit intellectum in cognitionem suæ causæ, ergo &c. Minor probatur. Ens, quod supponitur sibi non sufficere ad existendum, non potest existere alio ente á se distincto nō existente; si enim posset, vtique sufficeret sibi ad existendum, quod repugnat hypothesi, ergo huiusmodi ens connectitur essentialiter cum alio ente, ergo ducit intellectum in cognitionem alterius entis á se distincti, ergo in cognitionem suæ causæ, quia huiusmodi connexio essentialis est connexio effectus cū sua causa, cū qua in tantùm connectitur, in quantùm ab ea accipit existentiam, quam á se non habet: indé est intellectum non quiescere in cognitione effectus, quia cognito effectu non cognoscit sufficientiam illius ad existendum, quam naturaliter cognoscere appetit, cum nihil sit magis naturale facultati intelligendi, quàm cognita existentia rei, quæ non suffi-

cit

cit sibi ad existendum, cognoscere existentiam alterius rei, quæ est eius sufficientia ad existendum, adeóque est ratio, cur existat id, quod sibi non sufficit ad existendum. Hanc arbitror esse causam cur sit euidens existentia Dei á posteriori, vt cū S. Thoma in prima parte docent ferè omnes Theologi, & Philosophi, & nos eamdem in nostra Metaphysica demonstrabimus. Ratio est, quia quælibet res creata non sufficit sibi ad existendum, ergo habet essentialem connexionem cum alio ente, a quo necesse, est, vt accipiat existentiam, quam á se non habet, ergo ducit intellectū in cognitionem illius entis, quod est adæquata sufficientia sui ad existendum: sed illud ens, quod est adæquata sufficientia rei creatæ ad existendum, est prima cáusa, nimirùm causa non causata, adeoque causa, quæ est sufficientia tùm sui, tùm aliarum rerum ad existendum; quia omnis causa, quæ non est prima causa, est causata, & consequenter causa simul, & effectus, adeóque indigens alio ente ad existendum, ergo existentia rerum creatarum demonstrat á posteriori existentiám Dei. In hoc discursu fundatur veritas illius doctrinæ, quam in Metaphysica trademus de possibilitate rerū omnium, à Deo realiter indistincta, eaque mihi in præsenti summopere placet propter mirabilem consonantiam, quam habet cum Tractatu de causis, & veritatibus de existentia Dei tùm naturæ lumine notis, tùm diuinitùs reuelatis, Deus enim cum sit adæquata sufficientia rerum omnium ad existendum, est prima ratio rerum omnium, in cuius cognitione intellectus quiescit, quia in tantùm non quiescit intellectus in cognitione rei contingenter existentis, adeóque sibi non sufficientis ad existendum, in quantùm ab effectu cognito mouetur ad inuestigandam rationem, siué causam, cur effectus

sit, ergo cognita causa, quæ est prima ratio cur effectus sit, necesse est, vt extinguatur desiderium sciendi, & intellectus quiescat in cognitione causæ, neque vlterius progrediatur, ex quo nascitur gaudium, nimirùm fructus veritatis possessæ. Hinc est maximum esse discrimen inter primam causam, quæ est prima, & adæquata rerum omnium sufficientia ad existendum, & quamcumque causam secundam, quia causa secunda est quidem ratio, cur effectus existat, sed non est prima ratio, ideó supponit, non facit effectum possibilem. Causa prima non solum est ratio, sed etiam est prima ratio, cur existat omne id, quod existit: ideò non supponit, sed facit effectum possibilem, facit inquam in genere causæ formalis possibilem extrinsecé, & in genere causæ efficientis possibilem intrinsecé, quando producit existentiam effectus, quæ est possibilitas intrinseca.

18. Prætereà effectus necessariò infert necessitate consequentiæ existentiam causæ, quia id, quod sibi non sufficit ad existendum, non potest exercité, vel signatè existere, nisi existat exercité, vel signatè illud ens, quod est causa, & ratio vt existat, vt omnibus patet terminos intelligentibus. Causa veró non infert necessitate consequentiæ existentiã effectus: constat hoc ostensiué in causis liberis nimirum in voluntate, quæ est causa libera amoris, adeòque potest amare, vel non amare, non enim sequitur necessitate consequentiæ existentia amoris, ex facultate ad amandum expedita, quia potest cum ipsa coniungi negatio amoris, aliter non esset liberum voluntati flectere se ad amorẽ potiùs, quám ad non amorem: in causis necessarijs, quæ sunt determinatæ ad vnum, non est adeò perspicuum id, quod in causis liberis est euidentissimum: nihilominús quia causa necessaria id habet cum libera commune,

quod

quòd vtraque est causa, adeóque neutra requirit existentiam effectus: ideò causa necessaria, inquantùm causa non infert existentiam effectus: ratio á priori est, quia illud solùm infert, in quantùm causa, quod infert vt ipsa existat, sed nulla causa infert existentiam effectus, vt ipsa existat, ergo causa necessaria non infert existentiam effectus in quantum est causa, quidquid sit, an ex alio capite inferat quod in præsenti non attenditur. Hinc est, quód in ordine naturæ, qui est ordo physicus, effectus adiungitur suæ causæ, eique connectitur connexione dependentiæ, quæ est connexio consequentiæ realis, & physicæ, sicuti in ordine logico, & intentionali hæc veritas: *homo est risibilis*, adiungitur huic veritati: *homo est rationalis*, quia vna ex altera infertur, sicut consequens ex antecedenti, cum quo proindé connectitur consequentia non physica, sed logica, quia inter rationale, & risibile non datur nisi distinctio logica; quemadmodum ergó intellectus assecutus cognitionem huius veritatis *homo est resibilis*, non quiescit, sed quærit, cur sit risibilis, videt enim hanc veritatem non esse ex terminis notam, adeóq; videt eam nasci ex alia veritate, cui vlteriùs adiungitur, neque quiescit, donec perueniat ad veritatem indemonstrabilem, quæ cæteras logice antecedit, nullamque consequitur: itá idem intellectus cognito effectu, qui sibi non sufficit ad existendum, adeòque physicé adiungitur alteri rei, quæ est ratio vt existat; non quiescit, sed quodam sciendi instinctu mouetur ad quærendum illud ens, cui adiungitur, & cuius habet indigentiam ad existendum; neque quiescit donec perueniat ad cognitionem illius entis, quod est primum ens, & prima ratio rerum omnium, adeóque cæteras res physicè, siué ordine naturæ antecedit. Quia veró illud ens, cui cætera adiungun-

 tur,

tur, ipsum verò nulli adiungitur, ad operandum mouetur non ex indigentia perfectionis; sed ex copia, & magnitudine perfectionis, nimirùm vt largiatur, non vt acquirat perfectionem; deó causa efficiens, quæ in suo formali conceptu inuoluit perfectionem simpliciter simplicem, Deo, nimirum enti, quod habet omnem perfectionem maximè congruentem, agit ex abundantia, non ex indigentia perfectionis, vndè inualuit illud, quod vulgò circumfertur,& causæ efficienti conuenit: *omne agens agit in quantum est in actu*, quod est ita intelligendum, vt causa efficiens debeat continere in se perfectionem, quam effectui largitur, adeóque debeat agere vt perficiat, non vt perficiatur, quod est agere ex abundantia, non ex indigentia,& perfectissimè conuenit causæ primæ,imperfectè causæ secundæ, vt suo loco dicemus.

19. Octaua propositio. Præter prioritatem naturæ datur prioritas originis, quæ est comparabilitás plurium, quorum vnum procedit ab alio, & non è contrario.

20. Veritas huius propositionis non aliundè nobis constat, quam ex Mysterio Trinitatis, in quo fides docet Filium á Patre genitum non factum, neque creatum, quia Filius procedit quidem á Patre, á quo producitur, sed habet eandem numero naturam, quam habet Pater, adeóque habet naturam improductam, & ingenitam: quod autem habet naturam improductam,& ingenitam est identicè ens á se, adeóque ens essentialiter non factum, neque creatum. Indé est Patrē non esse priorem Filio, neq; tempore, neque natura; in hac enim Trinitate, vt docet Athanasius, nihil prius, aut posterius nihil maius, aut minus: quia verò Pater distinguitur realiter á Filio, & Filius realiter producitur á Patre,vbi

au-

autem realis datur distinctio cum reali productione, ibi datur ordo, qui sine aliqua prioritate consistere non potest, ideò inter Patrem, & Filium datur ordo originis, ille est posterior, ille prior prioritate, quæ nullam inæqualitatem, sed solam significat originem, quatenùs Filius procedit á Patre, non veró Pater á Filio. Prioritas itaque originis, quæ est prioritas, *á quo*, comparatur cum prioritate naturę, quæ est prioritas, *in quo*, itá vt ista in suo formali conceptu includat dependentiam, illa non includat, sed præscindat; ideó prioritas originis latiùs patet, quám prioritas naturæ, quia omne id, quod est prius natura, est etiam prius origine, sed non omne id, quod est prius origine, est prius natura: causa enim, quæ antecedit effectũ ordine naturæ, antecedit etiam ordine originis: Pater æternus in Diuinis antecedit suum Filium origine, non natura,

21. Nona propositio. Prioritas naturæ hactenús explicata inuoluit essentialiter duo instantia non temporis, sed causalitatis, quæ vocantur signa naturæ, & instantia præcisiua.

22 Hæc propositio patet explicatis terminis. Nomine instantis temporis, siué durationis intelligitur illud temporis momentum diuisibile, vel indiuisibile iuxta varias sententias, á quibus in præsenti præscindimus de compositione continui, in quo necesse est, quamcumque rem existere, vel non existere physicè necessitate fundata in illo principio metaphysico, *quodlibet est, vel non est*, quia nullum est instans temporis, in quo res nequè sit, neque non sit, vel sit simul, & non sit. Nomine instantis naturæ, siuè causalitatis intelligitur instans dependentiæ, quod necesse est inueniri, vbi inuenitur causa, & effectus: huiusmodi instans est duplex, aliud instans causæ, quæ est actus primus, aliud instans ef-

 fectus

fectus, qui est actus secundus. Hæc duo instantia non sunt, neque possunt esse instantia temporis, quia actus secundus est inseparabilis ab actu primo, vt dictum est, adeòque, quando existit actus secundus existit etiam actus primus, quod contingere non potest in duobus instantibus temporis, quæ non possunt coexistere: vocantur signa naturæ, siué instantia præcisionis, quia primum signum, in quo est causa, præscindit á secundo, in quo est effectus, secundum veró non præscindit á primo, non enim intelligi potest actus secundus sine primo, potest actus primus sine secundo.

23. Vltima propositio. In priori signo, in quo est causa, & conditio constituens actum primum, neque est effectus, neque negatio effectus.

24. Ratio cur in priori signo non sit effectus, est multiplex, primo quia illud tantū est in priori ád effectum, quod antecedit effectum; sed effectus non antecedit effectum, quia nihil antecedit seipsum, ergo in priori signo non est effectus. Secundò, quia effectus adiungitur alteri á se distincto, non sibi, sed illi enti, quod est in priori signo, adiungitur illud, quod est in posteriori signo, ergo, &c. Tertiò, quia effectus non est sufficientia sui ad existendum, aliter non haberet indigentiam, adeòque non foret effectus, sed illud, quod est in priori ad effectum, constituit sufficientiam effectus ad existendum, ergo effectus non est in signo priori. Quartò, quia effectus est ipse actus secundus, adeòque nō constituit actum primum, quia actus secundus est contradistinctus á primo, ergo non est in priori signo, in quo solum illud est, quod constituit actum primum: indè est, quòd licèt in eodem istanti temporis existat Sol, & Lux, in priori tamen instanti naturæ, siué causalitatis est Sol, non est Lux.

25. Ra-

25. Ratio autem, cur in priori signo, in quo non est effectus, non sit negatio effectus, est multiplex: primo si in priori ad effectum esset negatio effectus, in eodem instanti temporis esset simul effectus, & negatio effectus; nam signum prius, in quo est causa, & signũ posterius, in quo est effectus, simul tempore existunt: indé est, quod in eodẽ instanti tẽporis esset simul lux, & negatio lucis, si in priori ad lucem esset negatio lucis: secundo negatio effectus non influit, neque determinat virtutem influendi in effectum, sed in priori ad effectum est tantum id, quod influit, vel determinat virtutem influendi, ergo in priori ad effectum non est negatio effectus. Tertió negatio effectus, neque est sufficientia, neque constituit sufficientiam effectus ad existend, vt ex terminis constat, ergo non est in priori ad effectum. Quid ergo est in priori ad effectum, si neque est effectus, neque negatio effectus? Est actus primus productiuus effectus præscindens ab effectu, & negatione effectus. Ponamus gratia exempli Petrum á Deo vocatum conuerti Romæ, Turca saltante Constantinopoli: quæro nunc, in priori ad conuersionem est ne saltus Turcæ? minimé veró, quia non influit in conuersionem, ergo in priori ad conuersionem est negatio saltus Turcæ? Neque hoc, eadem de causa; quia Petrus Romæ conuertitur: vel saltet, vel non saltet Turca, dummodo enim in promptu sit gratia Dei vocantis, & Petrum á somno culpæ excitantis, adest quidquid requiritur ad conuersionem Petri. Ratio á priori, cur sine vlla specie contradicentiæ neque effectus, neq; negatio effectus existat in illo priori, est, quia signum priús est instans præcisionis ab vtroque contradictorio præscindens, licet enim non detur medium inter contradictoria, nimirum inter esse, & non esse, datur tamen medium inter intelligentiam vnius

con-

contradictorij, & intelligentiam alterius, nimirùm nihil intelligere, vt euidentissimè constat ex nostro Tract. de ident. & distinct. tom. 1. disp. 3. quæst. 1. & sequentibus.

26. Ex hac tota doctrina constat quid sit prius, quid posterius natura, quomodo causa, & conditio antecedat effectum: dubium solum remanere potest, an quælibet causa sit prior natura, idemque militat de actione, in sententia eam distinguente ab effectu. Breuissimè rem totam expedio, dicendo non omnem causam esse priorem natura, quia causa intrinseca, quæ reducitur ad formalem, non habet prioritatem naturæ, eò quod non distinguitur adæquatè ab effectu, quæ componendo causat. De actione alij aliter opinantur, volunt enim habere prioritatem originis, siué *à quo*, non naturæ, siuè *in quo*. Hæc opinio mihi probari non potest, qui censeo prioritatem originis sinè prioritate naturæ in solis personis diuinis reperiri, vbi locum habet ratio principij, non habet ratio causæ. Melius ergo censeo actionem esse priorem effectu prioritate naturæ, priorem inquam *vt quo*, non *vt quod*. Ratio est, quia eo modo est prior quo causat, sed causat *vt quo*, non *vt quod*, ergo est prior *vt quo*. Aliqua possunt huic doctrinæ opponi, quæ conducunt ad eam illustrandam potius, quàm oppugnandam.

27. Primo opponitur. Ignis, qui est prior natura calore, non minus indiget calore, quam calor igne, ergo prioritas naturæ non est dependentia, siuè indigentia posterioris respectu prioris. Antecedens probatur. Ideò calor indiget igne, quia exigit ignem, sed etiam ignis exigit calorem, sine quo esse non potest, ergo, &c.

28. Secundo. Effectus non succedit causæ, ergo causa non antecedit effectum. Antecedens probatur, quia

quia causa, & effectus sunt in eodem instanti.

29. Tertiò, Causa non est ante effectum, ergo non est prior natura effectu. Antecedens probatur Sol, qui est causa lucis non est ante lucem, quia quando est Sol, est etiam Lux: Sol enim sicuti non antecedit Solem, ità non antecedit lucem. Confirmatur. Nullum datur instans reale, in quo est Sol, & non est lux, ergo neque instans naturæ.

30. Vltimo. Prioritas naturæ est prioritas realis, sed in Sole respectu lucis nulla datur prioritas realis, ergo nec prioritas naturę. Min. probatur. Ideò causa est prior effectu, quia intellecta causa non intelligitur effectus, ergo præscindendo ab actu intellectus causa non est prior, ergo est prior tantùm per intellectum.

31. Ad primum: nego Antecedens. Ad eius probationem dist ma: ideó calor indiget igne, quia exigit ignem vt sit: concedo ma: quia est: nego ma: & distinguo min: ignis exigit calorem vt sit: nego min: quia est: concedo minorē, & nego consequentiam. Ignis exigit calorem, & calor exigit ignem; sed diuersimodè, ignis enim exigit calorem non vt existat, sed quia existit; in priori enim ad calorem est; calor verò exigit ignem, vt existat: Cur autem ignis exigit, quia est? calor veró, vt sit? Quia nimirum calor accipit esse ab igne, eique adiungitur, ignis non accipit esse à calore, neque adiungitur calori, eatenùs enim exigit calorem, quatenùs a calore perficitur.

32. Ad secundum dist: antecedens: effectus non succedit causæ successione temporis: conc. antecedens successione naturæ: nego antecedens, & consequentiam. Eodem pacto succedit effectus, quo antecedit causa, sed causa antecedit natura, non tempore, ergo effectus succedit natura non tempore.

ræ. Successio temporis differt a successione naturæ, quód illa includit in suo formali conceptu duo instantia, quorum vnum negat existentiam alterius; ista veró includit duo instantia, quorum vnum non negat, sed præscindit ab existentia alterius. Quia verò natura intellectus, qui phantasmata speculatur, ægrè potest concipere successionem, & ordinem, nisi ante oculos habeat rerum temporis decursu fluentium imágines, quas concipit, & ad viuum exprimit phantasia, vtpotè facultas materialis tempori alligata; ideò intellectus successionem naturæ intelligit relatè ad successionem temporis, debet tamen idem intellectus, qui ratione immaterialitatis phantasiam præteruolat, eius defectum emendare, & sincerissimam rei veritatem ab imaginum vmbra secernere.

33. Ad tertium dist. antecedens: non est ante effectum antecedentia naturæ: nego antecedens: antecedentia temporis: conc: antec: & nego consequentiam. Ad eius probationem constat ex dictis, quia lux dependet à Sole, non sol à luce, etiamsi eodem temporis momento existat lux, & Sol. Ad confirmationem concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio est, quia licet nullum detur instans temporis, in quo existit sol, & lux non existit, nihilominus sol est causa, & lux effectus, ideò debet dari aliquod instans naturæ, siuè præcisionis, in quo intelligitur sol, non intelligitur lux; quia huiusmodi signum est indistinctum à ratione causæ, adeóq; nō potest argui ab instanti temporis ad instans naturæ. Cauendam itaque moneo æquiuocationem, quæ in hac materia est frequentissima, dum sermo est de signo naturæ: quod vtique non est instans temporis cum hoc non præscindat ab vtroque contradictorio. Hinc est, quòd falsitas huius propositionis: *in priori ad*

ri ad lucem est lux, non infert, ergo *in priori ad lucem non est lux*, æquiualet enim huic: *in priori ad lucem est negatio lucis*, quæ est euidenter falsa, vt diximus. Ratio á priori est, quia iuxta leges Dialecticæ falsitas vnius propositionis infert consequentia formali veritatem contradictoriæ, non infert veritatem non cōtradictoriæ, sed huic propositioni falsæ *in priori ad lucem est lux* contradicit ista: *non est in priori ad lucem lux*, non verò contradicit hæc: *in priori ad lucem non est lux*, ergo falsitas huius propositionis: *in priori ad lucem est lux* non verificat hanc: *in priori ad lucem non est lux*, sed verificat istam: *non est inpriori ad lucem lux*. Min. probat in rigore tū logico: tūm metaphysico: logico, quia propositio, quæ negat, non contradicit affirmanti, nisi neget quidquid ista affirmat; metaphysico veró, quia esse in priori ad lucem est constituere actum primum lucis, non esse in priori ad lucem, est non constituere actum primum lucis, quæ absque dubio sibi contradicunt, adeóque nequeunt esse vera simul, & falsa: Indé est hanc propositionem: *non est in priori ad lucem lux*, esse veram, etiamsi lux coexistat Soli, cuius existentia affirmatur, quia non negat existentiam lucis, sed præscindit, præscindentium autem non est mendacium: quid ergó negat, si lucis existentiam non negat? negat existentiam lucis esse actum primum lucis: id autem negando non negat lucem simpliciter existere, sicuti qui negat Turcam saltare Romæ, non negat Turcam saltantem, quia vt docent Summulistæ, non bené arguitur à secundum quid ad simpliciter, neq; à particulari ad vniuersale negatiué.

34. Ad vltimum concedo maiorem, & nego minorem, quia prioritas realis non est sola prioritas temporis, sed etiam est prioritas naturæ, quę consistit in dependentia reali effectus à causa, & præbet intelle-

tellectui fundamentum cognoscendi causam non cognito effectu. Hinc instans naturæ est instans præcisionis, non formalis, quæ est opus intellectus, vt rectè monet arguens, sed fundamentalis quæ antecedit operationem intellectus, quia nullo cogitante intellectu lux accipit esse á Sole dependet á Sole, eique physicè adiungitur. Vnde patet ad probationem minoris.

QVAESTIO IV.

Vtrum repugnet mutua prioritas, siue mutua causalitas.

1. Evidens est repugnare mutuam temporis prioritatem, quia euidens est fieri non posse, vt eadem res simul sit, & non sit, quod ex huiusmodi prioritate necessariò sequitur, vt ostensiuè demonstro. Fingamus Petrum, qui nunc existit, esse priorem simul, & posteriorem Paulo prioritate temporis: ex hac hypothesi infero Petrum existere nunc, & simul non existere nunc: ratio est, quia quatenus est prior Paulo, existit nunc, quatenus posterior, non existit nunc: posterius enim tempore non existit quando existit prius; sed Petrus in ista hypothesi nunc est prior simul, & posterior Paulo, ergo nunc existit, & simul non existit nunc, ergo repugnat Petrum esse priorem, & posteriorem Paulo in eodem instanti prioritate temporis, ergo repugnat mutua prioritas temporis, quod erat demonstrandum.

2. Non est adeó euidens repugnantia mutuæ prioritatis naturæ, siuè causalitatis, vndè præsenti quæstioni relinquitur locus, vbi disputandum aggredimur,

mur, an duæ causæ possint esse sibi inuicem causæ adeóque se mutuò causare, quod non solum causæ, sed etiam conditionibus conuenit, quæ constituunt actum primum, & habent prioritatem naturæ respectu effectus, siué actus secundi. Qua in re certum est nō repugnare causæ rationem effectus, alioquin nulla causa secunda esset causa, quia nulla est causa secunda, quæ non sit effectus, cum omnis causa secunda sit causa causata, adeóque sibi non sufficiens ad existendum propter contingentiam existendi per omnia creata diuagantem. Certum præterea est, non repugnare, vt causa accipiat aliquando existentiam à suo effectu. Ratio est: Fingamus ignem A, qui hodie producit ignem B, statim extingui: non repugnat ignem A extinctum reproduci crastina die ab igne B hodie producto, suppono enim rem semel productam posse iterum produci, ergo non repugnat, vt causa, quæ hodie largitur existentiam effectui, accipiat crastina die á suo effectu existentiā. Præterea sistendo in cursu, & ordine naturæ, euidens est accidens, quod in genere causæ instrumentalis producit substantiam, accipere in instanti sequenti existentiam á substantia producta, á qua conseruatur, conseruatio autem est noua productio, cum sit continuata productio, ergo non repugnat, vt causa, á qua effectus dependet, ab eodem aliquando dependeat: indé est conceptui causæ non repugnare, vt in vno instanti sit prior natura, in alio posterior suo effectu, adeoque conceptui prioritatis non repugnare mutuam prioritatem in diuerso instanti.

3. Difficultas solum est, an possit aliquid in eodem instanti esse effectus rei, cuius est causa, vel cōditio, hoc est eadem res prior simul, & posterior natura, adeoque an repugnet duarum rerum mutua in eodem instanti dependentia à priori, quæ est de-

pen-

pendentia causalitatis: quia veró non est vnum, & idem genus subalternum causæ, vt patet ex eius diuisione in quatuor causas, idcircò de causis tàm in eodem quàm in diuerso genere influentibus in effectum, præsens quæstio agitatur, cuius solutionem altius iudico repetendam, an nimirùm idem possit seipsum producere. Non repugnare, vt aliqua se mutuo producant in eodem genere causæ, videtur fuisse sententia veterum Philosophorum, ex illis præsertim, qui primum rerum omnium principium ignorarunt; eadem iam obsoleuit: posse duas res secundum esse physicum se mutuo producere in diuerso genere causæ, est sententia, cui plerique Thomistæ adhærent, contra Scotum in secundo dist. 12. quæst. 2. his argumentis.

4 Primo. Non valet ita arguere: repugnat mutua prioritas temporis, ergo etiam naturæ, ergo mutua causalitas non repugnat, tùm quia ex prioritate naturæ non sequitur consequentia formali prioritas temporis, vt demonstratum est qu: 3. num. 10. túm quia mutua temporis prioritas repugnat, eo quod idem non potest simul esse, & non esse; sed hoc non sequitur ex mutua naturæ prioritate, quæ appellat instans præcisiuum: ergo &c.

5 Secundo: materia, & forma se inuicem causant, ergo habent mutam prioritatem. Antecedens probatur de forma, quia de materia non est dubium; túm quia forma informat materiam, eamque perficit, ergo etiam est causa formalis materiæ, túm quia materia dependet à forma non minus, quam forma á materia, ergo forma determinat materiam ad existendum. Confirmatur, quia materia, & forma se mutuo determinant, cum se mutuo perficiant. Idem argumentum fieri potest in substantia respectu accidentium, à quibus perficitur.

6 Ter-

6 Tertio. Calor, qui pręparat lignum ad habēdam formam ignis est in priori ad ignem: idem est in posteriori, tum quia ab igne sustentatur, in quo tanquam in subiecto recipitur, tum quia ab eodem igne in genere causæ efficientis conseruatur, ergo inter calorem, qui disponit, & ignem, ad quem calor disponit, datur mutua prioritas.

7 Quartó: duæ particulæ ignis separatę continuó extinguuntur, coniunctæ diutiús perseuerant, ergo se conseruant mutuo, ergo mutuum sibi esse communicant, ergo habent mutuam prioritatem. Consequentia probatur, quia causa, quæ conseruat, est efficiens, adeoque prior natura re conseruata. Antecedens suadet experientia, cui contradici non potest.

8 Vltimó: sumantur duæ rotæ ita inuicem cōnexæ, vt vna sine altera moueri non possit, deindé sic arguitur: Motus rotæ A est causa motus rotæ B, & motus rotæ B est causa motus rotæ A, ergo inter hunc duplicem motum datur mutua prioritas. Antecedens probatur, quia si vna rota non mouetur, altera non mouetur, vt experientia constat, ergo motus vnius rotæ determinat motum alterius rotæ, adeoque vel est eius causa, vel saltem conditio, quod satis est ad finem argumenti. Húc etiam spectat ingressus venti, qui est causa cur fenestra aperiatur, & fenestra, quæ dum aperitur, est causa cur ventus ingrediatur: huc spectant duo baculi, qui erecti in speciem trianguli se mutuó sustinent, itaut præsentia localis vnius sit causa, vel conditio determinans præsentiam localem alterius, & é conuersó: Duæ manus, quæ mutua confricatione calorem sibi communicant, & alia id genus, quibus singillatim recensendis nec libet, nec expedit longius immorari,

9 Hæc sunt potissima fundamenta, quibus inni-

ti potest sententia docens non repugnantiam causalitatis mutuæ: contra quam.

10 Dico primo. Non repugnat in generé mutua prioritas naturæ, sicuti non repugnat in genere, vt idem producat seipsum. Hæc sententia est certa, eamque fuisse ex mente Aristotelis docentis in 5. Met. cap. 2. & & in secundo Physic. cap. 3. causas se inuicem causare notat Suar. disp. 27. sect. 2.

11 Ratio á priori huius veritatis est euidens, quia media sunt causa finis, vt medicina sanitatis, adeoque antecedunt finem prioritate naturæ; finis veró est causa, cur adhibeantur media, quæ non censentur aliam habere bonitatem præter bonitatem finis, nemo enim operatur desperans de fine, vt inquit Philosophus, quis enim medicatam, & amaram sumeret potionem, nisi amor sanitatis eum moueret? ergo finis antecedit media priorítate naturæ; inde est, quòd finis existens in intentione est causa sui in executione, adeoque seipsum producit, vt latiús explicabimus, dum agemus de causa finali. Quia verò illud non repugnat in genere, quod alicui speciei non repugnat, ideó mutua prioritas, quam alicui speciei causæ non repugnare demonstratum est, vtique non repugnat in genere prioritatis, & causæ.

12 Dico secundo. Repugnat idem physicé existens esse causam sui, adéoque producere physicé se ipsum.

13 Ratio à priori est, quia repugnat idem produci simul, & non produci, sed hoc sequitur si idem producit physicé se ipsum, ergo repugnat idem physicé producere se ipsum. Minor probatur. Repugnat produci ens improductum, quæ repugnantia fundatur in veritate huius principij: *idem non potest simul esse, & non esse*: sed aliquid producere phycè se ip-

ipsum est formalissimè produci ens improductum, vt breuissimè demonstro hoc discursu: Fingamus A producere physicè se ipsum: ex hac hypothesi infero, ergo A est ens improductum. Probo consequentiam. Illud ens, quod sibi sufficit ad existendū, est ens improductum, siue necessarium, ea enim de causa Deus est ens improductum, adeoque ens à se, Creatura verò est ens productum, adeoque ens ab alio; quia Deus sibi sufficit, creatura non sibi sufficit ad existendum; sed A si producit seipsum physicé, sibi sufficit ad existendum, quia sufficientia effectus ad existendum est causa, quæ producit effectum, cum effectus nulla alia re indigeat ad existendum præter causam adæquatam sui, ergo A si producit seipsum, est ens improductum: si ens improductum, non producitur, quia repugnat produci improductum, ergo repugnat A producere seipsum, ergo hypothesis facta est chimærica, quia infert vtrumque conrradictorium, nimirum non produci id, quod supponitur produci: ergo &c.

14 Ex hoc discursu nascitur omne id, quod existit, esse ens productum, vel improductum, quia id, quod existit, vel sufficit sibi ad existendum, vel non sufficit: si sufficit: est ens improductum, cum sit adæquata ratio, vt existat: quod autem est adæquata ratio suæ existentiæ, est ens improductum, quia est prima ratio, cur existat: si non sufficit: est ens productum, cum existere non possit, nisi existat aliqua ratio suæ existentiæ à se distincta: quod autem est huiusmodi, est ens productum, quia est ens ab alio: vndé vlterius sequitur id, quod ab alio non producitur, nec produci potest, vel nihil esse, vt chimæra, vel esse ens optimum, & improductum, vt Deus.

15 Præterea implicat aliquid existere physicè in

priori naturæ ad existentiam physicam sui, ergo implicat idem esse causam sui. Consequentia patet, quia causa existit physicé in priori ad existentiam effectus. Antecedens probatur. Implicat rem existere in priori ad existentiam sui prioritate non minus naturæ, quam temporis, sed idem existere in priori ad sui existentiam prioritate temporis manifesté repugnat, ergo &c. Ma: probatur. Non minús repugnat intelligi rem existere, & simul non intelligi rem existere, quám repugnet idem simul esse, & non esse, sed esse in priori naturæ est formalissimé intelligi existentiã causæ, & non intelligi existentiam effectus, ergo repugnat rem existere ante existentiam sui prioritate non minus naturæ, quam temporis.

16 Dico tertio. Repugnat mutua prioritas naturæ, siué causalitatis in causis physicé causantibus, tám in eodem, quam in diuerso genere.

17 Probatur primo. Repugnat idem quatenús idem esse causam sui, ergo repugnat idem quatenús idem esse causam suæ causæ, ergo repugnat mutua causalitas secundum existentiam physicam. Vltima consequentia patet, quia mutua causalitas inter ignẽ A, & ignem B in eo consistit, quod ignis A causat ignem B, & ignis B ignem A, adeoque ignis A sit causa suæ causæ, ergo repugnantia mutuæ causalitatis infertur ex repugnantia, qua repugnat idem esse causam suæ causæ. Prima consequentia probatur, quia veritas antecedentis constat ex secunda conclusione num. 15. Quod est causa causæ, est causa causáti, ergo id, quod est causa suæ causæ, est causa sui, sed hoc repugnat, ergo &c.

19 Probatur secundo. Repugnat A esse in eodẽ instanti prius, & posterius natura, quam B, ergo repugnat inter A, & B mutua prioritas, ergo &c. Antecedens probatur. Repugnat in terminis A esse in

co-

eodem instanti sufficientiam, & rationem, vt existat B, & simul non esse sufficientiam, vt existat B: sed A esse posterius natura B est formalissimé A non esse sufficientiam, siue rationem, vt existat B, & A esse prius natura B est formalissimè A esse sufficientiam, vt existat B, vt ostensum est, qu. 3 num. 16. & sequ. ergo repugnat &c.

20 Probatur vltimo Repugnat rem operantem producere, & acquirere operando id, quod præsupponitur ad operandum, vt ex terminis est euidentissimum, & ipsa inductione constat, quæ fundat veritatem huius alterius principij, de quo nullus Philosophus dubitauit: *esse præsupponitur ad operari*, ergo repugnat, vt aliquid sit causa suæ causæ, ergo repugnant duæ causæ se mutuò causantes in eodem instanti. Consequentia probatur. Si non repugnat causa suæ causæ, non repugnat causa, quæ operando acquirat id, quod præsupponitur ad operandum, quia causa, quæ causat suam causam, producit virtutem causandi, quam á suo effectu accipit; sed repugnat causa, quæ producit illam virtutem causandi per quam causat; ergo repugnat causa suæ causæ. Tota vis huius discursus fundatur in hoc principio, cuius veritatem lumen naturæ nobis persuadet, nimirùm; *fieri non potest, vt aliquis det, & dando acquirat virtutem dandi illud ipsum, quod dat, quia* nemo dat, quod non habet, adeoque non dat, si non potest alia ratione dare, nisi dando acquirat ipsam virtutem dandi.

21 Hæc sunt argumenta, quantum ego arbitror planè ostensiua, ex quibus persuasam mihi semper habuí metaphysicam repugnantiam mutuæ prioritatis: vnde sequitur, neque diuinitùs posse fieri, vt idem secundum idem sit causa, vel conditio determinans in actu primo causam suæ causæ. Vt autem

opposita argumenta euidentius soluas, notare debes inter ea, quæ sunt simul tempore, alia esse, quæ habent prioritatem naturæ, alia, quæ habent simultatem naturæ, adeoque sunt simul natura, alia, quæ neque simultatem neque prioritatem naturæ habent: Ratio est, quia illa sunt simul natura, quæ sunt effectus ab eadem causa simul prouenientes; & illa habent prioritatem naturæ, quæ habent connexionem causæ, & effectus; sed aliqua sunt simul tempore, quæ neque conneсtuntur connexione causæ, & effectus, neque ab eadem causa procedunt, vt sunt res omnes disparatæ, nimirum cursus Petri, & somnus Pauli; aliqua coexistunt, quæ connectuntur connexione causæ, & effectus, vt sol, & lux: aliqua denique coexistunt, quæ ab eadem causa procedunt, vt lux, & calor ab eodem sole emanantes, qui effectus vocantur simultanei, quia sunt simul naturá: ergo &c. quoniam vero effectus simultanei id habent cōmune cum causa, & effectu, quod sicuti effectus non potest á causa separari, ita vnus effectus simultaneus ab alio separari non potest: idcircò facilé est arguenti æquiuocationem committere ab illis rebus, quæ habent simultatem naturæ ad ea, quæ habeat prioritatem naturæ, adeoque mutuam causalitatem inuenire, vbi non datur. Quod diligenter notandum est pro omnium sophismatum in hac materia occurrentium solutione.

24 Ad Primum. Nego antecedens. Ad eius probationem dicendum est hunc modum arguendi: *repugnat mutua prioritas temporis, ergo etiam naturæ* non ea de causa valere, quia prioritas naturæ, vel inferat, vel supponat prioritatem temporis, id enim est euidenter falsum, vt patet ex ijs, quæ docuimus quæstione 3. num.10. sed quia euidens contradictio sequitur ex mutua prioritate naturæ, sicuti nemo

est,

est, qui eam sequi non videat ex mutua temporis urioritate: neque obstat contradictioni instans præcisiuum, quod vtique est instans naturæ, non temporis, quia instans præcisiuum licet præscindat ab vtroque contradictorio, á se ipso tamen nō præscindit, id enim ex terminis repugnat: ita conceptus animalis, qui est conceptus præcisiuus, licet præscindat á rationali, & irrationali, non tamen præscindit ab animali, alioquin non esset conceptus animalis, & intelligere animal formaliter esset non intelligere animal, quod repugnat, quia intellectum intelligere simul, & non intelligere æqué repugnat, ac rem esse simul, & non esse, cum inter intelligere, & non intelligere nullum detur medium, licet inter intelligere rationale, & intelligere irrationale, siué negationem rationalis detur aliquod medium, videlicet nihil intelligere. Ex éo autem, quod A sit prius natura B, & simul posterius B, sequitur dari aliquod signum naturæ, in quo intelligitur A, & simul non intelligitur A, quia in signo priori ad B intelligitur A, quod est causa B: in eodem signo non intelligitur A quia non intelligitur B, quod est causa ipsius A.

23. Ad 2. Nego Antecedens. Forma perficit materiam, eamq. actuat, & informat, sed non est causa formalis materiæ. Ratio est, quia illud esse, quod in genere causæ formalis tribuit forma materiæ, est esse máteriæ transitiuū, non intransitiuum: esse autem transitiuum materiæ est formalissimé esse compositi, ideó forma est causa formalis materiæ secundū esse nō intransitiuum, quod identicé habet materia, sed solum transitiuum, quod habet materia per physicam vnionem cum forma; hoc esse re verá est esse compositi potiùs, quàm materiæ, vt patet indé est formam esse causam formalem com-

positi non materiæ, licet sustineri possit esse causam formalem materiæ informatæ, sumendo materiam informatā secundum omne id,quod significat, non verò secūdū illud, pro quo tantū supponit. Ratio á priori est, quia causa formalis est causa intrinseca, quatenus est pars compositi; ergo distinguitur inadequaté á suo effectu, quem facit componendo,sed forma est pars compositi, quod intrinsecé componit, non est pars materiæ, quam intrinsecè non cōponit:distinguitur inadæquaté á composito, adæquatè á materia, ergo est causa formalis compositi, non materiæ. Quomodò ergo forma informat physicé materiam, si non est ipsius causa formalis? Immò non est causa formalis materiæ, quia eandem physicè informat, cum enim illud informet physicé, cui vnitur tanquam actus potentiæ, & fieri non possit, vt intrinsecé constituat id, cui vnitur, consequens est, vt non possit esse causa formalis illius, quod physicè informat, quia spectat ad causam formalem constituere intrinsecè effectum formalē: non est igitur forma causa formalis materiæ, quia materiā informat, sed est causa formalis compositi, quod ingenere causæ formalis causat informando materiā, quæ secūdū esse intransitiuum est in priori ad formam. Vnde sequitur formam pendere á materie dependentia á priori, materiam verò á forma dependentia tantùm á posteriori: materia enim exigit formam non vt sit, sed quia est, forma verò exigit materiā vt sit adeòq. additur materiæ, sicuti effectus suæ causæ. Ad confimationem; dist. Ma. forma, & materia se mutuò perficiunt, & determinant determinatione causante compositum: con. Ma: determinatione, qua se mutuò causant: nego Ma: & distincta Min:nego Consequentiam. Forma, dum perficit materiam, causat compositum: idem

dico

dico de materia perficiente fopmam, ideò compositum est effectus materiæ, & formæ se mutuó perficientium, adeòq. ex mutua perfectione, quam materia, & forma sibi communicant, nòn potest inferri mutua prioritas.

24 Ad 3. Calor, qui disponit materiam ad formam ignis, constituit actum primum eiusdem formæ, ideò est in priori ad formam ignis; neq. tamen est in posteriori ad eandem formam, vt contẽdit arguens (loquor de illo instanti temporis, in quo habet prioritatem naturæ.) Ratio est, quia forma ignis nullam causalitatem exercet in huiusmodi calorem: non materialem, quia subiectum quod sustentat, est materia: non efficientem, quia causa, quæ conseruat calorem, in eo instanti in quo fit ignis, non est forma ignis, quæ producitur, sed est vel forma ignis, quæ producit aliam formam, vel alia causa essentialiter requisita ad incendium ligni: quidquid sit an forma ignis producta in instanti sequénti conseruet calorem, à quo fuit producta adeoque sit causa conseruans suam causam, qua in re nulla sequitur in eodem instanti mutua prioritas. Inde est, quód cùm forma ignis producitur, calor antecedit prioritate naturæ formam ex materiá eduducendam, quia materiam ex suà natura indifferentum debet determinare ad hanc potiùs, quám ad aliam formam: cùm verò eadem forma conseruatur, idem calor non antecedit natura, quia materia abundè determinatur ad sustinẽdam formam ignis, eò quòd eam immediaté ante sustentauit.

25. Ad 4. con. Antecedens, & nego Consequentiam. Eadem causa, quæ conseruat vnam particulam ignis, conseruat aliam: Huiusmodi est causa prima, ad quam solam spectat conseruare substantiam, id enim est proprium substantiæ, vt eius con-

conseruatio pendeat a solo Deo, vndé sequitur nullam substantiam posse deficere nisi ex formæ contrariæ præsentia? Ratio est, quia ex duplici capite contingere potest, vt substantia deficiat, nimirum ex defectu causæ conseruantis, vel ex præsentia formæ oppositæ: sed nulla substantia potest deficere ex defectu causæ conseruantis, quia omnis substantia conseruatur á Deo, quem deficere repugnat, ergó substantia, quæ destruitur non nisi á forma sibi contraria destruitur. Quia veró duæ particulæ ignis habent maiorem virtutem ad remouendam formam oppositam coniunctæ, quám separatæ, quia virtus vnita est fortior, indé est quod diutius perseuerant coniunctæ, quàm separatæ: vnde ex hoc capite non arguitur mutua prioritas, sed tantum arguitur maior virtus ad contrarium remouendum.

26. Ad Vlt. nego Ma: Ad eius probationem con: Antecedens, & nego consequentiam: ratio est quia motus vtriusque rotæ sunt effectus simultanei, & concomitantes, qui ab vna, & eadem causa proueniunt, nimirùm ab illa causa, quę efficit vtrùque motum simul; ideó motus vnius rotæ est connexus cum motu alterius rotæ connexione non causalitatis, quæ est cōnexio effectus cum causa, sed concomitantiæ, quæ est connexio duorum effectuum ab eadem causá prouenientium, adeóque simul natura existentium. Quod si vnius rotæ motus deficiat, id non prouenit, eò quód motus vnius rotæ sit in priori ad motùm alterius rotæ, sed quia non existente vnius rotæ motu non existit causa adæquata motus alterius. Ratio est, quia si rota *A* non mouetur, vtique non existit causa adæquata sui motus; sed causa adæquata motus rotæ *A* est causa adæquata motus rotæ *B* quia huiusmodi motus sunt

sunt

nt effectus connexi ab eadem causa procedentes, ergo si rota *A* non mouetur, non datur causa adæquata motus rotæ *B*, ergò non existente motu vnius rotæ non est causa adæquata alterius motus, adeóq. non est mirum, si vna rota quiescente alia etiam quiescat, quamuis motus vnius rotæ non sit in priori ad motum alterius, sicuti lux, quæ procedit à sole, non existit sine calore, non proindè calor est in priori ad lucem.

27. Vrgebis instantius. Negatio quiètis vnius rotæ est in priòri ad motum alterius, sed motus est formalissimé negatio quietis, ergo motus vnius rotę est in priori ad motum alterius. Ma: probatur. Quies vnius rotæ est impedimentum motus in alia rota, sed negatio impediméti est in priori ad effectum, vt constat inductione; ità indistantia ignis á ligno est in priori ad incendium, quia distantia est impedimentum incendij. ergo &c.

28. Respondetur: nego maiorem. Ad eius probationem dist. ma: est impedimentum formale; transeat: ma: causale: nego ma: & distin: mi: negatio impedimenti formalis est in priori ad effectum: nego mi: negatio impedimenti causalis: concedo mi: & nego consequentiam. Impedimentum, quod impedit existentiam effectus, est duplex, aliud formale, aliud causale: formale est, vel negatio effectus, vel aliquid connexum cum hac negatione: causale est negatio, vel causæ, vel conditionis determinantis causam: negatio lucis est impedimentum formale lucis; negatio solis est impedimentum causale eiusdem lucis, adeoque existentiam lucis vtraque negatio impedit, non tamen eodem modo, quia negatio lucis impedit formaliter in genere impedimenti formalis, negatio solis impedit causaliter in genere impedimenti causalis. Ad genus impedimen-

menti formalis reducitur omne id, quod connectitur cum negatione effectus connexione concomitantiæ, quæ vocatur connexio simultaneitatis; ideò negatio caloris, quæ huiusmodi connexione connectitur cum negatione lucis, est impedimentum formale lucis, vel quasi formale, quia reducitur ad formale, licet verè non sit formale, adeoque vocari potest impedimentum formale reductiuè, non formaliter. Certum est in priori ad effectum non requiri negationem impedimenti formalis, alioquin in priori ad lucem esset lux negans sui negationem, quod repugnare demonstratum est qu. 3. num. 26. cuius ergo impedimenti negatio requiritur in priori ad lucem? requiritur negatio impedimenti causalis; & quia impedimentum causale lucis est negatio solis, in priori ad lucem requiritur negatio huius negationis, nimirum existentia solis. Quies rotæ *A* est impedimentum formale motus rotæ *B*, quia est connexa cum eius quiete connexione simultaneitatis, quod sicuti quies rotæ *B* est impedimentum formaliter impediens motum eiusdem rotæ, adeoque eius negatio non potest esse in priori ad motum: ita quies rotæ *A* est impedimentum formale, vel quasi formale motus rotæ *B* adeoque eius negatio, quæ est formalissimè motus rotæ *A*, non potest, nec debet esse in priori ad motum rotæ *B*, quod erat ostendendum.

25. Ex hac doctrina, quam ante oculos habere debes, facilè tibi erit soluere cætera argumenta ex eiusdem farinæ experientijs deducta: cum eadem causa, quæ impellit ventum, aperiat fenestram. Non censeo hic prætereundam hanc propositionem causalem, quæ solet fieri: *ideò ingreditur ventus, quia aperitur fenestra, & ideò aperitur fenestra, quia ventus ingreditur*: vnde inferi videtur mutua priori-

tas,

tas, sed falso: prædicta enim causalis dubium habet sensum: est enim falsa, ly *quia* appellante connexionem causalitatis, est vera, appellante connexionem simultaneitatis, quæ est connexio effectuum concomitantium.

QVAESTIO VLTIMA.

An repugnet mutua prioritas inter causas meritorias, vel morales.

1. VIdetur non repugnare, primo, quia non repugnat, vt finis sit causa mediorum, & media vicissim sint causa finis, vt ostensum fuit qu. 4. num. 10. ergo non repugnat præmium esse causam meritorum, & meritum præmij. Consequentia probatur, quia meritum est causa præmij quatenus mouet remunerantem ad conferendum præmium, non secus ac finis mouet operantem ad media adhibenda consentanea fini consequendo, si ergo finis potest mouere ad media, quæ sunt causa ipsius finis, cur meritum non poterit mouere ad consequendum præmium, quod est causa meriti.

2. Secundo. Non repugnat præmium esse causam meriti etiam in genere causæ efficientis: ergo non repugnat meritum, & præmium esse sibi inuicem causas, ergo non repugnat mutua prioritas inter meritum, & præmium. Antecedens probatur, quia non repugnat conferri præmium ante meritum, vt satis constat in Christo, cuius merita fuerunt remunerata antequam existerent; gratia enim hominibus collata ante aduentum Christi fuit effectus meritorum Christi: præmium igitur, quod antecedit meritum, potest esse causa meriti.

3. Ter-

3. Tertio: Fieri potest, vt miles reportet in præmium victoriæ futuræ gladiũ, eoque vtatur ad bellum ineundum, & victoriam referendam, ergo non repugnat mutua prioritas inter gladium, qui est causa victoriæ, & victoriam, quæ meretur, gladium tanquam præmium victoria. Antecedens probatur, tũm quia non repugnat, vt aliquis vincendo hostem mereatur gladium sibi ante victoriam donandum, eoque deinde possit vti ad hostem debellandum; tùm quia potest Imperator ante certamen donare gladium militi, futurum in eius potestate, si hostem vicerit, tanquam præmium certaminis fœliciter conficiendi.

4. Quar: Merita Christi fuere causa omnium meritorum Beatæ Virginis, vt est apud omnes indubitatũ, Christus enim est caput totius Ecclesiæ, á quo virtus merendi in omnia eius membra diffunditur: sed merita Beatæ Virginis fuerunt causa, cur Christus existeret, ea enim, vt ait Ecclesia, meruit esse Mater Dei, adeoque meruit existentiam Christi, eiusqué merita: ergo inter meritum Virginis & meritum Christi datur mutua prioritas.

5. Quinto. Consensus Virginis ab Angelo salutatæ quē ipsa pręstitit, vt in Dei Matrem eligeretur, fuit prior natura meritis Christi, quia fuit prior natura quam ipse Christus, sed merita Christi fuerunt priora natura huiusmodi consensu, quia ad præstandum hunc consensum sine dubio supernaturalem, & meritorium opus fuit gratia, quæ confertur ex meritis Christi, ergo inter hunc consensum & merita Christi datur mutua prioritas.

6. Sexto. Gratia disponit ad formandum actum contritionis, quiá nemo potest sine diuina gratia peccatum præteritùm retractare, ergo est in priori ad actum contritionis, sed actus contritionis est in prio-

priori ad gratiam, cuius eſt cauſa, ergo inter contritionem, & gratiam datur mutua prioritas.

7. Septimo. Sitis, qua Chriſtus conficiebatur affixus Cruci, ab eodem Chriſto reuelata fuit cauſa cur aceto, & felle potaretur, vt conſtat ex ſacra hiſtoria: præterea Chriſtus, qui certo cognouerat ſe aceto potandum, ſuam ſitim reuelauit vt apertè ſignificant illa, quæ narrat. Ioan, in capit. 19. his verbis: *poſtea ſciens Ieſus, quia omnia conſummata ſunt vt conſummaretur ſcriptura dixit ſitio*, iuxta illud quod fuit ante multa ſecula de ipſo Chriſto in Pſalmo 68. reuelatum: *dederunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potuerunt me aceto*, ergo fuit mutua prioritas inter Chriſtum ſitientem, & Chriſtum aceto potatum.

8. Vltimo. Inter gratiam efficacem quâ Deus operatur in nobis opera bona, & ipſum opus bonum datur mutua prioritas naturæ, ergo non repugnat inter cauſas morales mutua prioritas. Antecedens probatur, ſupponendo ſententiam de efficacia gratiæ, quam habet gratia non intrinſecè, quia non prædeterminat, ſed extrinſecè à voluntate Dei beneuola, quam antecedit ſcientia huius veritatis; *ſi vocauero Petrum conſentiet* iuxta ea, quæ docuimus in logica de veritate futurorum contingentium tom. 1. diſp. 12. qu. 3. num. 8. gratia antecedit opus bonum, quia eſt cauſa operis boni, ergo eſt prior natura opere bono: è contrario opus bonum antecedit gratiam, quia Deus non habet voluntatem vocandi Petrum niſi videat per ſcientiam mediam conſenſum Petri conditionatè futurum indiſtinctum ab opere bono, ergo opus bonum eſt prius natura quam gratia, ergo &c.

9. Reſpondetur. Meritum eſſe cauſam præmij eſt apud omnes certum, quia opus meritorium ha-

bet vim mouendi eum, ad quem spectat remunerari opera bona, conferendo præmium æquale merito. Hinc ea opera, quæ sunt bona in genere moris, nimirum actus virtutis merentur æternam felicitatem, eamque propterea efficiunt, quatenus impellunt supremum principem, qui mundum gubernat, ad merita præmijs proportionatis compensanda: huiusmodi virtus, quam omnes in merito recognoscunt relatè ad præmium, reducitur ad virtutem propriam causæ effectricis: indè est, quòd in sacris paginis vsus obtinuit, vt nostra merita comparentur cum semine, eo enim pactò, quo ex semine gignitur planta, gratia quæ est semen gloriæ eam efficit. Præterea causa meritoria vindicat sibi nomen causæ moralis, non quia non sit vera causa, sed quia id genus causæ spectat ad naturam rationalem, quæ sola est capax merendi propter libertatem necessario requisitam ad constituendam vitam, bene vel male moratam: quemadmodum ergo non est capax meriti quicumque non operatur in genere moris, ità causa meritoria appellatur causa moralis. Hinc est, quòd meritum est causa præmij, & præmium nullo pacto est causa meriti in genere causæ efficientis, quidquid sit de causa finali, quæ non spectat ad rem præsentem: quapropter perindè repugnat præmium esse causam meriti, & meritum vicissim esse causam præmij, sicut repugnat duas causas efficientes esse inuicem causas, vt constat ex qu. 4. num. 12. præmium enim non potest esse effectus meriti, nisi meritum existat independenter à præmio, adeoque nisi meritum, habeat adæquatam sufficientiam sui distinctam à præmio: eadem igitur de causa propter quam repugnat mutua prioritas inter duas causas physicé causantes, excluditur mutua prioritas inter meritum & præmium. Nunc reliquū est vt soluamus obiecta, quæ

sunt

ſunt maioris momenti, dúm ex cauſa meritoria deſumuntur.

10. Ad primum: inter finem, & media datur mutua prioritas, quia eſt proprium cauſæ finalis agere vt exiſtat, idcirco ſanitas, quæ non dum exiſtit, & ſolum cognoſcitur poſſibilis, mouet infirmum ad ſumendam medicinam, quæ eſt cauſa ipſius ſanitatis: ſecus accidit in merito, quod debet agere, quia exiſtit, non verò vt exiſtat, mouet enim remunerantem ad conferendum præmium, quia nemo eſt, quem moueat victoria poſſibilis ad militem remunerandum, neque ipſe Deus coronat eum qui poteſt legitimè certare, ſed eum qui ſtrenué dimicat: eſt igitur diſpar ratio inter mutuam prioritatem, quæ non repugnat inter finem, & media, & mutuam prioritatem, quæ repugnat inter meritum, & præmium: adeoque finis qui eſt in intentione, eſt cauſa ſui in executione, præmium vero phyſicé exiſtens nunquam eſt cauſa cur ſit meritum. Cæterum non eſt dubium, quin etiam præmium exiſtens in intentione ſit cauſa ſui in executione, ſed hanc vim cauſandi habet præmíum quatenus eſt finis, qui mouet merentem ad merendum: cauenda eſt igitur æquiuocatio inter illam vim mouendi, quam habet meritum ad inducendum præmium, & vim mouendi quam habet finis, vt ſit cauſa cur ponantur media, vis enim mouendi, quæ eſt in merito, eſt cauſa cur præmium exiſtat, quia eſt meritum, é contrarió finis eſt cauſa cur ponãtur media, non quia finis exiſtit, ſed vt finis exiſtat: hinc eſt, quod præmium poteſt mouere merentem ad ponendum meritum in genere cauſæ finalis, quatenus poteſt mouere bonitate ſua operantem ad operandum.

11. Ad ſecundum: nego antecedens: nolo hic decidere controuerſiam à Theologis agitatam in

tractatu de merito; an nimirum repugnet merito, vt conferatur præmium ante ipsum meritum. Facilè est argumentum soluere ijs, qui arbitrantur hoc repugnare: ne tamen videar difficultatem fugere, pono in præsenti non repugnare, vt præmium conferatur ante meritum, eo fermè pacto quo aliquando soluitur pretium anticipata solutione, quod ego iudico esse simillimum vero: non propterea sequitur mutua inter meritum, & præmium prioritas, quia inter Theologos conuenit præmium ante meritum collatum non esse causam meriti: qui enim donat præmium ante meritum, necesse est hábeat cognitionem meriti futuri, á quo moueatur ad meritum remunerandum: quomodo ergo fieri potest, vt præmium antecedat natura adeoque sit causa illius meriti, quod independenter ab ipso cognoscitur futurum: itaque opus est distinguere inter prioritatem naturæ, & prioritatem temporis, præmiũ enim quod confertur ante meritum, antecedit tempore ipsum meritum: & è contrariò meritũ antecedit natura, siuè causalitate præmium, quatenus est causa præmij: non est autem mirum, si præmium sit effectus meriti, & antecedat tempore ipsum meritum, quia ille, ad quem spectat remunerari meritum, cognoscit meritum futurum, vnde mouetur ad conferendum præmium, eo fermè pacto, quo scientia de peccato futuro antecedit peccatum æternitate non causalitate, vt demonstratum est in nostro tractatu de futuris contingentibus tomo 1. disp. 12, qu. vlt. num. 12. quid igitur dicendùm, si miles in præmium victoriæ futuræ habeat gladium, eoque vtatur ad victoriam obtinendam? Dico id posse contingere varijs modis posito quod præmium ante meritum conferatur: vel enim accipit ante victoriam vsum gladij, habiturus eius dominium, si hostem debellauerit, quod certé

tè poteſt fieri, quia vſus gladij a dominio diſtinguitur: quo poſito vſus gladij eſt meritum, ad obtinendum dominium gladij in præmium victoriæ: in hac re nulla eſt repugnantia, quia nulla eſt mutua prioritas: vel accipit vſum ſimul, & dominium iure acquſiito, ex ipſa donatione, itavt habiturus ſit in præmium ſuæ victoriæ nouum ius ad eundem gladium fundatum in merito: qua in re ſine mutua prioritate poteſt gladius, qui poſſidetur ex capite donationis, eſſe meritum ad obtinendum eumdem gladium nouo iure, nimirum illo iure, quod naſcitur ex merito, ad habendum præmium, non enim repugnat vt vna & eadem res ex duplici iure poſſideatur, ſicuti Chriſtus gloriam ſui corporis ſibi aliunde debitam tanquam Filio Dei naturali, accepit tanquam præmium illius obedientiæ, quam exercuit in morte tolleranda. Nullam autem in hac re eſſe vmbrã mutuæ prioritatis eſt manifeſtum, quia ſunt duo iura reſpectu eiuſdem gladij, vnum acquiſitum donatione, aliud merito; adeoque illud eſt prius prioritate naturæ, hoc poſterius. Quod ſi miles accipiat in præmium victoriæ futuræ ius ad gladium, eiuſque vſum; manifeſtum eſt non poſſe vti hoc iure, & gladium adhibere ad victoriam reportandam, quia repugnat vt aliquis operando acquirat virtutem ad operandum requiſitam, quod certè contingeret in prædicta hypotheſi. Hinc habes, eum qui obtinet pro præmio ſuarum precum perſeuerantiam finalem ſui amici, non moueri à morte amici ad impetrandam hanc perſeuerantiam finalem, etiam ſi poſt mortem amici Deum oret prò eius finali perſeuerantia, & Deus dederit amico finalem perſeuerantiam in præmium orationis futuræ.

12. Ad tertium: conſtat ex dictis: quod ſi imperator volens remunerari ſuum militem, eum in

hunc modum alloquatur antequam descendat ad certamen, quod certe fieri potest. *En tibi gladium, vtere pro arbitrio, si enim hastem viceris, statim erit in potestate tua gladius: si vero in acie cecideris, gladium amittes*: vsus gladij erit causa, ad obtinendum dominium eiusdem gladij: hinc etiam patet, quod pecunia, quæ anticipata solutione aliquando traditur operarijs occupatis labore diurno, non arguit mutuam prioritatem inter pretium laboris, & ipsum laborem; quia pecunia quæ antecedit natura laborem diurnum est pecunia quam dominus mutuam dedit operario, eaque operarius vtitur ad merendam aliam pecuniam, tanquam mercedem labori suo proportionatam.

13, Ad quartum: Merita Christi fuerunt quidem causa meritorum Beatæ Virginis, sed non vice versa. Ratio est, quia meritum Christi est principium omnis meriti, vt est indubitatum, principium autem meriti non potest cadere sub meritum, alioquin nostra merita non essent dona Dei, quod apertè contradicit Paulo; ex cuius doctrina acutè ait Augustinus Deum coronare sua dona dum nostra merita remuneratur, ergo meritum Christi nòn potest cadere sub meritum alicuius creaturæ: indè est nullum hominem, licet Sanctissimum, fuisse, qui meruerit, vel merere potuerit incarnationem Verbi: quomodo igitur potuit Beata Virgo mereri esse Mater Dei, si non meruit Incarnationem? ea de causa meruisse dicitur, quia tot & tantas virtutes habuit quibus decebat Virginem òrnari in Dei matrem eligendam: cæterum hoc meriti genus non pertingit ad illam rationem meriti, quam debet habere causa meritoria, nimirum virtus inductiua præmij; Deus enim nullam iniuriam Beatæ Virgini fecisset etiam si eam in matrem sui Filij noluisset eligere.

14. Ad

14. Ad quintum: Quod ſpectat ad meritum Sanctiſſimæ Virginis ſatis conſtat non fuiſſe in priori ad meritum Chriſti, quia nullum meritum potuit mereri vnionem hypoſtaticam humanæ naturæ cum Dei Verbo, quod vero attinet ad conſenſum eiuſdem Virginis ab Angelo ſalutatæ, quem Deo libuit expectare, antequam in eius Vterò Dei Filius humanam carnem indueret, non eſt dubium quin fuerit in priori ad humanitatem Chriſti, quam indubitanter genarauit Sanctiſſima Virgo, quæ ob eam cauſam eſt Mater Chriſti, immò Mater Filij Diuini, non quod Verbum Diuinum ante omnia ſæcula natum potuerit in natura Diuina generare, vel quod vnionem hypoſtaticam hominis cum Deo potuerit producere, ſed quia illam naturam genuit, quam Dei Filius aſſumpſit. Ex hoc non ſequitur fuiſſe Virginem, vel eius conſenſum in priori ad meritum Chriſti ex pluribus capitibus: primo quia eſt probabile, quod Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis non incæperit mereri, ſed tantum in ſecundo, in quo inſtanti nullam cauſalitatem in Chriſtum exercebat eius mater, vt ferè omnes Theologi docent de Angelis, qui cum primum fuere creati, nihil meruerunt. Neque huic doctrinæ eſt contrarius Apoſtolus, qui in Epiſtola ad Hæbreos, ait nos à Chriſto ſanctificatos dum mundum ingrederetur, quia hæc Apoſtoli verba poſſunt abundè intelligi de illo tempore, quod immediatè fluxit poſt conceptum Chriſti; ſecundó admiſſo etiã, quod Chriſtus in primo inſtanti meruerit, quod eſt probabiliſſimum, & apud me verum, eſt enim magis conformè ſententiæ omnium Patrum, non propterea ſequitur conſenſum Beatæ Virginis fuiſſe in priori ad hoc meritum, quia non fuit in priori ad infinitam dignitatem Verbi Diuini, quæ conſtituit meritum Chriſti: ter-

 tio

tiò quia neque fuit in priori ad illum actum meritorium, quem humanitas Christi exercebat, dum mortem oblatam a Patre pro generis humani vita amplecteretur, quia cognitio, quam procul dubio Christus habuit, quod esset Filius Virginis Sanctissimæ, non fuit causa cur Christus obediret Patri, & se ipsum exiberet ad mortem subeundam, ad hoc enim præstandũ satis erat cognitio suæ infinitę dignitatis: hanc autem à Christo habitam constat ex ijs quibus Ioannes aggreditur narrare futuram Christi mortem his verbis: ***Sciens Iesus, quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, & quod omnia dedit ei pater in manus surgit à cœna &c.*** ex quibus patet fuisse necessarium, vt Christus cognosceret se esse Filium Dei, non fuisse necessarium, vt cognósceret se esse Filium Sanctissimæ Virginis, quando se ipsum pro nostra salute in ara crucis immolauit, quod certé requireretur, si Sanctissima Virgo fuisset in priori ad meritum Christi

15. Ex quibus constat duplicem cognitionem fuisse in Christo, quando in primo instanti suæ vitæ meruit reparationem generis humani eligendo mortem deinceps secuturam, vnam qua cognoscebat se esse Filium Mariæ Virginis, aliam qua cognoscebat se esse verum Dei Filium, & generatum in tempore ab aliqua Matre, præscindendo ab hac vel illa matre: sicuti enim est valdè probabile duplex decretum fuisse in Deo circa Incarnationem Verbi Diuini, vnum quo Deus decreuit Christum nasci ex aliqua matre indeterminatè: aliud, quo decreuit eumdem nasci ex Maria Virgine, sciens à Christo hanc potiús matrem, quam aliam eligendam, ita Christus cum meruit nostram reparationem, nouit se esse Filium Dei ab æterno, & Filium alicuius Matris in tempore; adeoque in instanti In-

car-

carnationis nouit ſe eſſe Deum ſimul & hominem, præterea nouit ſe eſſe Filium Mariæ Virginis, quam Matrem habere voluit & meruit. Ex iſtis duabus cognitionibus vna tantum fuit in priori ad meritum Chriſti; non enim vtraque erat neceſſaria; quia verò fuit neceſſaria ad merendum cognitio, qua Chriſtus cognoſcebat ſe eſſe Deum ſimul, & hominem, adeoque Filium Dei, & Filium alicuius indeterminatè Matris, ideó huiuſmodi cognitio fuit in priori ad illum actum meritorium, quo Chriſtus ingrediens mundum elegit mortē, & voluit iuxta Pauli Apoſtoli teſtimonium legem Dei, hoc eſt Crucem ſuam: alia cognitio, qua Chriſtus cognoſcebat ſe eſſe Filium huius Matris determinatè, nimirum Virginis Mariæ, non fuit in priori ad iſtum actum, quia relatè ad merendam noſtram ſalutem perindé fuit Chriſtum eſſe Filium Mariæ Virginis, & cuiuſcumq; alterius Matris. Indé eſt, quod Chriſtus, qui meruit noſtram ſalutem, licet ſit verus Filius Mariæ Virginis, ſicuti eſt verus Dei Filius, non meruit quatenus Filius Mariæ Virginis, quia cognitio, qua cognoſcebat ſe exiſtere dependenter á Maria Virgine, nullum influxum habuit in huiuſmodi meritum. Vnde patet, quid ſit dicendum ad hunc ſyllogiſmum, quo probatur mutua prioritás inter conſenſum Virginis, & meritum Chriſti, quaſi conſenſus Virginis fuerit in priori ad meritū Chriſti, ſicuti meritum Chriſti fuit in priori ad conſenſum. In priori ad meritum Chriſti fuit exiſtentia Chriſti: ſed conſenſus Virginis fuit in priori ad exiſtentiam Chriſti: ergo fuit in priori ad meritum Chriſti. In forma: diſt. ma: in priori ad meritum Chriſti fuit exiſtentia Chriſti quatenus dependens á Beata Virgine: nego ma: non quatenus dependens: concedo ma: & conc. mi: nego conſequentiam.

16. Ad sextum : Sitis quam Christus in cruce significauit, fuit in priori ad amaram fellis potionem, quia milites moriturum Deum circumstantes, audito, quod Christus cruciabatur siti vt pœnam augerent, nouum genus supplicij meditati sunt: cæterum huiusmodi potio, quam in sacris literis olim reuelatam Christus perfectè nouerat, non fuit in priori ad eamdem sitim significandam, quia plurima sunt, quæ potuerunt mouere Christum, vt sitim suam faceret manifest m: neque vrgent illa Sacri Textus verba, *vt consummaretur scriptura dixit sitio*, est enim vsitatum in sacris paginis vt particula, *vt* non significet causalitatem, sed solam connexionem, vel consecutionem vnius, ex alio.

17. Ad septimum: Dico duplicem esse gratiam, aliam sanctificantem, quæ vocatur gratia habitualis est enim forma sanctificans animam, aliam auxiliantem, quæ vocatur gratia actualis, & voluntatem hominis excitat ad bene operandam: in priori ad actū contritionis non est gratia sanctificans; hæc enim producitur ab ipso actu contritionis, sed est gratia auxilians, quæ præbet vires formandi actum contritionis; vnde patet non sequi mutuam prioritatem.

17. Ad vlt: Dist: antec: gratia antecedit opus bonū existens logicè, & intentionaliter conc: antec: existens physicé: nego antecedens: & distinguo consequens, ergo est prior natura opere bono existente physicè: concedo consequentiam: existente logicé: nego consequentiam: Eodem modo dist. antecedens subsumptum: opus bonum existens physicé antecedit gratiā: nego antecedens existens logicé, & intentionaliter: concedo antecedens: & nego consequentiam: Certum est, Deum non posse efficaciter velle actum bonum, nisi cognoscat per scientiam mediam consensum conditionatè futurum

rum

rum ſub hypotheſi vocationis, quæ natura ſua eſt indifferens, vt coniugatur cum conſenſu, vel negatione conſenſus: indè eſt in priori natura ad conſenſum phyſicè exiſtentem eſſe in in mente Diuina logicé & intentionaliter conſenſum conditionatè futurum: id autem non inuoluit mutuam prioritatem, quam repugnare demonſtratum eſt inter ea, quæ inuicem ſe antecedunt ſecundum exiſtentiam phyſicam, quia de intentionali non eſt dubium, cum finis exiſtens intentionaliter antecedat media, & media quæ exiſtunt phyſicé, antecedant ipſum finem.

19. Hinc eſt, omnem hypotheſim, quæ infert mutuam prioritatem, eſſe chimæricam, adeoque inuoluere vtrumque contradictorium, quod libet indicaſſe, ad ſoluendas ſophiſticas argumentationes quibus in re præſenti delectantur aliqui recentiores. Ponamus (inquiunt) in Petro voluntatem efficacem mouendi manum dexteram ſi moueatur ſiniſtra, & vice verſa mouendi ſiniſtram, ſi moueatur dextera: quid ex hac hypotheſi ſequetur? Motus ſimul, & negatio motus in vtraque manu, quia motus, qui in priori ad exiſtentiam ſui ſupponit ſe ipſum, eſt impoſſibilis, ergo voluntas efficaciter volens hunc motum eſt impoſſibiſſilis, repugnat enim velle efficaciter, quod fieri non poteſt: ſed voluntas prædicta vellet motum, qui in priori ad exiſtentiam ſui ſupponit ſe ipſum, ergo &c. Quid igitur poteſt Petrus efficaciter velle circa motum vtriuſq; manus, dico poſſe vtrumque velle, tanquam effectus ſimultaneos, quod nullatenus repugnat. At non ne poteſt Angelus Gabriel velle motum, vel quietem ſui ſi viderit Angelum Michaelem moueri, vel quieſcere: idem omnino volente Michaele? quæ nam fingi poteſt huius hypotheſis repugnantia? certè non repugnat, vt libenter fateor, quo minus Angelus id velit volunta-

te

te inefficaci, quia voluntate efficaci non potest, repugnat enim voluntas efficax rei repugnantis: neque proinde sequitur inter motum, vel quietem vtriusque Angeli mutua prioritas, quia vterque Angelus quiescet, absque eo, quod quies vnius, sit causa vel effectus quietis alterius: ratio á priori est, quia quilibet Angelus debet habere voluntatem quiescendi, quando non habet voluntatem requisitam ad motum, séd in ista hypothesi non habet voluntatem requisitam ad motum, quia voluntas, quæ vult motum impossibilem, non requiritur ad motum, ergo habet voluntatem quiescendi, ergo vterque quiesceret sine mutua dependentia.

DISPVTATIO OCTAVA.

De causa materiali.

A Contemplatione causarum in genere descendimus ad causas in specie, inter quas nobis primo loco speculandam se offert causa materialis, quę induit naturam duplicis causæ: extrinsecæ nimirum & intrinsecæ: est enim causa intrinseca compositi, & causa extrinseca formæ. De causa materiali intrinseca non erit in præsenti sermo, quia id causalitatis genus ad causam formalem pertinet, quæ est causa intrinseca. De causa materiali extrinseca, eiusq; causalitate agendum in hac disputatione, vbi explicatur modus, quo forma educitur de potentia materiæ:

QVAESTIO I.

An materia sit causa materialis formæ.

1. MAteriam in rerum natura existere demonstratum est disp. 2. qu. 1. num. 7. an circa formam exerceat aliquod munus causæ, ibi non definiuimus, formam enim à materia pendere à priori suppoſuimus potiùs, quam probauimus, in præſentem locum huiuſmodi quæſtione reiecta.

2. Materiam non esse causam intrinsecam formæ est euidens, quia distinguitur adæquatè a forma, adeoque non constituit intrinsecè formam. Eandem requiri in priori ad existentiam formæ est certum, cum experientia constet, nihil posse de nouo fieri, nisi exiſtat aliquod subiectum susceptiuum formæ, quæ producitur. Dubium, quod agitatur, est, an materia requiratur, vt causa formæ, adeoque influat in formam, an verò sit conditio determinans virtutem causæ.

3. Ratio dubitandi est primo, quia materia, vel omnem, vel nullam formam causat, non omnem, ergo nullam. Minor prob. quia anima rationalis est independens à materia, vt potè immaterialis. Maior probatur. Si aliquam causat, ideo causat, quia est in priori ad eius existentiam; sed est in prori ad existentiam omnium, ergo vel omnem, vel nullam causat.

4 Secundo: materia non influit in formam, ergo non est causa formæ. Antecedens probatur, túm quia nullum prædicatum accipit forma à materia, cum nullum habeat commune cum materia, túm quia materia est imperfectior forma.

5. Ter-

5 Tertio: Materia habet minimam perfectionem in genere entis, ergo non est causa materialis formæ. Consequentia probatur. Esse causam cuiuscumque formæ est habere perfectionem repugnantem minimæ perfectioni, sed materia si est causa formæ, est causa cuiuscumque formæ materialis, cum nulla sit, quam recipere non possit, ergo vel non habet minimam perfectionem in genere entis, vel non est causa formæ. Maior probatur, quia esse causam est continere perfectionem effectus.

6 Quarto Forma magis perficit materiam, quā perficiatur à materia, ergo magis dependet à forma materia, quam á materia forma: sed materia non dependet á priori á forma; ergo nec forma á materiá: ergo &c. Confirmatur, quia materia habet propriam existentiam, ergo non est causa materialis formæ, quia causa materialis cum sit causa passiua, non actiua, non debet existere, sufficit enim si possit existere.

7 Vltimò. Substantia quatenùs sustentat accidentia, á quibus perficitur, non est causa materialis accidentium, ergo materia non est causa formæ, quā sustentat. Antecedens probatur primo. Repugnat substantiam immaterialē esse causam materialem; quia materiale, & immateriale opponuntur; sed datur aliqua substantia immaterialis, quæ sustentat accidentia, á quibus perficitur, nimirum Anima hominis, & Angelus, ergo repugnat hanc substantiam esse causam materialem. Secundo intellectus recipit cognitionem, á qua perficitur; sed intellectus non est causa materialis cognitionis, est enim causa efficiens; ergo &c. Contra hanc sententiam.

8 Dico primo Materia prima est causa materialis formæ substantialis: ita Aristoteles quem vna cum S. Thoma sequuntur omnes Peripatetici.

9 Pro-

9. Probatur primo. Forma ſubſtantialis dependet á materia in genere cauſæ materialis, ergo materia eſt cauſa materialis formæ ſubſtantialis. Antecedens probatur, quia forma ſubſtantialis habet eſſe inhærens materiæ, vt patet in omni forma materiali, ſed inhærere alteri eſt formaliſſimé pendere in genere cauſæ materialis, cum ad cauſam materialem pertineat ſuſtentare effectum, quem producit, conceptus enim cauſæ materialis eſt conceptus cauſæ paſſiuæ, adeoque cauſæ ſuſtentantis effectum á quo perficitur intrinſecè, ergo &c. Maior patet, quia nulla eſt forma materialis, quæ poſſit naturaliter á materia ſeparari: id enim eſt proprium formæ immaterialis, nimirum Animæ rationalis, quæ eſt forma ſubſiſtens, adeoque independens á materia; ergo forma materialis habet eſſe inhærens materiæ, quia inhærere materiæ eſt ſuſtentari á materia, adeoque non poſſe naturaliter á materia ſeparari.

10 Probatur ſecundo. Materia eſt in priori ad formam materialem; ſed non eſt in priori tanquam conditio, ergo tamquam cauſa: non efficiens; quia materia non agit, ſed patitur; non formalis, id enim ſpectat ad formam; neque finalis; quia cauſat phyſicè exiſtens; ergo materialis. Maior patet, quia nulla eſt forma, ad cuius productionem materia non requiratur. Minor probatur, túm quia materia requiritur tanquam conditio in priori ad formam immaterialem; ergo in priori ad materialem requiritur tanquam cauſa, cum materia magis indigeat forma materiali, quæ ſuſtentatur, quam immaterialis, quæ non ſuſtentatur; tum quia forma immaterialis creatur, forma verò materialis generatur, ergo ideo creatur illa, non iſta, quia materia reſpectu illius eſt conditio, non cauſa; reſpectu iſtius eſt cauſa. Confirmatur, quia cauſa materialis eſt ſubiectum,

ctum, ex quo fit aliquid, sed materia existens in priori ad formam materialem est subiectum, ex quo fit forma, quæ ratione suæ materialitatis exigit informare materiam, ergo &c.

11 Probatur tertio. Nullum agens naturale potest creare: sed omne agens naturale potest producere formam materialem; ergo nulla forma materialis potest produci independenter á subiecto, quia forma producta independenter à subiecto creatur, non generatur, ergo omnis forma materialis potest produci dependenter á subiecto, ergo dependenter á materia, quæ est subiectum primum, ergo materia est causa materialis, á qua dependet forma: inde est pertinere ad defectum, & imperfectionem causæ nō posse creare, arguit enim in causa, quæ agit, necessitatem alterius causæ ad agendum, nimirum necessitatem causæ passiuæ, & materialis.

12 Dico secundo. Materia prima non est causa materialis omnis formæ substantialis.

13 Ratio est, quia datur aliqua forma, quæ est immaterialis, nimirū Anima hominis, quæ est forma corporis; sed materia non est causa materialis animæ, quæ adhæret quidē materiæ eam informando, sed non inhæret materiæ, sine qua potest naturaliter existere, vt cōtingit in morte hominis, ergo datur aliqua forma, quā materia non causat, ergo non omnē formam materia causat, adeoque non datur causa materialis omnis formæ substantialis. Hinc est materiam existere quidem in priori ad productionem Animæ rationalis, cum sit conditio naturaliter requisita, vt primò existat, sed non esse causam, quia Animæ rationalis causa est tantúm Deus, qui solus habet virtutem creandi, hoc est producendæ formæ ex nihilo sui, & subiecti.

14 Di-

14 Dico tertio. Non omnis forma substantialis educitur de potentia materiæ.

15 Veritas huius sententiæ, quæ sequitur ex præcedentibus, constat explicatis terminis: educi de potentia materiæ est produci dependenter á subiecto; sed non omnis forma substantialis producitur dependenter á subiecto, quia materialis dependet, immaterialis non dependet; ergo non omnis forma educitur de potentia materiæ. Hinc est, Animam rationalem, quæ perficit materiam, non educi de potentia materiæ, cæteras verò formas educi de potentia materiæ, quám perficiunt. Quia verò nihil potest produci, nisi in eo subiecto præexistat, vndé educitur, ideó forma materialis præexistit in materia antequam fiat, non quidem actu, quasi verò apparere incipiat per generationem, quæ antea latebat, vt aliqui Philosóphi contendunt, sed potentia; quatenus est in virtute passiua materiæ, cuius rei meliorem intelligentiam quæstio sequens declarabit.

16 Dico quarto. Substantia est causa materialis accidentium, á quibus perficitur.

17 Probatur eodem argumento. Accidentia, quæ perficiunt substantiam, inhærent substantiæ cum habeant existentiam á substantia naturaliter inseparábilem, ergo pendent á substantia in genere causæ materialis: vndé sequitur rationem causæ materialis transcendere per omnes substantias creatas, quia nulla est substantia creata, quæ ab accidentibus non perficiatur, ergo nulla est substantia creata, quæ non exerceat munus causæ materialis, vel secundum se totam, vel secundum aliquam partem circa accidentia, á quibus perficitur: quæ vltima verba necesse fuit adiungere, vt in præsenti præscinderē á quæstione alibi agitanda de subiecto accidentium, an

ni-

nimirum fit totum compositum, an sola materia.

18 Dico vltimo. Accidentia educuntur de potentia substantiæ.

19 Ratio ex dictis patet, quia idem formalissimè est esse effectum causæ materialis, & educi de potentia subiecti; sed accidens est effectus substantiæ in genere causæ materiális, ergo educitur de potentia substantiæ: inde est accidentia non posse naturaliter produci independenter à subiecto; sicuti non potest forma materialis.

20 Hinc colliges causam materialem non præscindere ab imperfectione: ratio est, quia conceptus causæ materialis est conceptus, qui non præscindit á potentialitate, sed potentialitas est imperfectio, ergo &c. Minor patet, quia perfectibilitas est imperfectio, potentialitas est perfectibilitas, ergo est imperfectio: Ma: etiam constat; tum quia produci materialiter, & educi de potentia materiæ est idem formalissimé; tum quia causa materialis non potest præscindere á materialitate, adeoque á conceptu entis receptiui; sed conceptus entis receptiui est conceptus potentialitatis; ergo causa materialis non potest præscindere à potentialitate. Quia verò nihil potest Deo tribui, quod áb imperfectione non præscindit: ideò conceptus causæ materialis non potest cadere in Deum, qui cum sit actus existendi purissimus, est alienus ab omni vmbra materialitatis: indè est Deũ, qui conseruat sine substantia accidéntia Eucharistica, supplere defectum causæ materialis in genere causæ efficientis, quæ nullam imperfectionem includit.

21 Ad primum: nego maiorem: Ad eius probationem dist. ma. ly ideó appellante causam adæquatam: nego ma: inadæquatam conc: ma: & min: & nego consequentiam. Materia est causa materia-

lis

lis formæ, non quia est in priori ad formam, sed quia influit in formam eam sustentando; sed non influit in formam immaterialem, quia eam non sustentat, ergo non est causa materialis formæ immaterialis: licet existat in priori ad eius productionem; Ratio autem, cur Anima rationalis non sustentetur á materia, & forma materialis sustentetur, est, quia illa potest, ista non potest naturaliter existere separata á materia.

22 Ad secundum dist. Antecedens. Materia non influit actiuè in formam: concedo antecedens; non influit passiuè: nego antecedens, & consequentiam. Certum est influxum materiæ non esse influxum causæ efficientis, quia forma non pendet á materia eo modo, quo calor pendet ab igne, & lux á sole: præter hoc influendi genus inuenitur alius influxus, qui causæ materiali tribuitur, & in eo præcisè consistit quod res, quæ exercet munus causæ materialis, sit subiectum sustentans formam, quam recipit, vt in quæstione sequenti explicabimus, vbi conceptum, & virtutem causæ materialis exponemus. Inde est formam habere cum materia comune prædicatum materialitatis, in quo fundatur similitudo effectus cum causa: hæc similitudo est in materia cum forma materiali, non est cum forma immateriali, ideó forma immaterialis licet communicetur materiæ tāquam actus potentiæ, non dependet á materia, neque accipit esse á materia. Huiusmodi prædicatum materialitatis non accipit forma actiuè á materia, sed solum passiuè, adeoque dum producitur forma, opus est virtute actiua causæ efficientis, quæ formam educat de potentia materiæ. Vndè patet ad probationem antecedentis.

23 Ad tertium concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio, cur virtus causandi omnem

formam, non opponatur illi exiguæ perfectioni, quā recognoscunt in materia omnes Philosophi, est, quia virtus causæ materialis minimam arguit perfectionem, est enim virtus passiua, ad quam spectat perfici magis, quam perficere: non actiua, cuius est perficere magis, quam perfici; causa materialis operatur ex indigentia, quatenus potest perfici à forma, quam producit, causa verò efficiens, operatur ex abundantia, quatenus potest communicare effectui producto perfectionem, quam in se continet, non enim incopia, sed potiùs copia perfectionis mouet causam efficientem ad agendum, adeoque ad formandam imaginem sui; oppositum contingit in causa materiali, quam ad operandum mouet defectus perfectionis, ea enim habet indigentiam effectus producti. Ratio á priori huius discursus est, quia inter causam materialem, & effectricem id interest, quod illius potissima virtus est dare, istius recipere, sed posse recipere arguit minimam perfectionem, posse dare arguit maximam, vt cōstat in ductione ergo &c. In genere sciētię maximā habet perfectionem, qui habet virtutem omnia docendi, virtus enim docendi omnia supponit intelligentiam rerum omnium, quam virtus discendi non supponit: in genere honoris, & excellentiæ posse in Cardinalem eligi non est magna dignitas, sed posse eligere est maxima dignitas, quia indicat supremam Pontificis authoritatem, qui est instar solis in Ecclesia minoribus Astris lucem elargientis: exiguam igitur perfectionem habere debet causa materialis, vt possit omnes formas in suo genere producere: maximam habet causa efficiens, quæ proinde continere dicitur perfectionem effectus, & in tantum agit, in quantum est in actu. In forma ad probationem consequentiæ dist. ma: esse causam actiuam est habere

perfectionem repugnantem minimæ perfectioni: concedo ma: esse causam passiuam. Nego ma. & conc. min. nego consequentiam.

24 Ad quartum concedo antecedens, & nego consequentiam. Virtus causæ materialis arguit cæteris paribus minorem perfectionem in causa, quam in effectu, quia consistit in virtute accipiendi, non in virtute dandi: hæc virtus explicatur per conceptum causæ passiuæ, quæ est formalissimè causa materialis. Indè est hunc arguendi modum: *Forma magis perficit materiam, quam materia formam, ergo materia non est causa formæ*, nihil concludere, quia oppositum potiùs infert, materia enim, quia magis perficitur, quam perficiat debet esse causa materialis, cum cæteris paribus id pertineat ad rationem causæ materialis: & quia dependentia effectus á causa est dependentia à priori, ideò non debet esse mirum si forma licet perfectior dependeat à priori á materia, quæ est imperfectior. Ad confirmationem dico ex conceptu causæ materialis inferri existentiã potiùs, quam non existentiam materiæ, causa enim materialis licet sit causa passiuà, eatenùs est causa, quatenus habet esse non purè possibile, adeoque actu existens, cum repugnet id, quod actu est nihil, esse subiectum physicé susceptiuum formæ: sed esse non purè possibile est formalissimè esse actu existẽs, ergo causa pasiua eatenùs est causa, quatenus habet esse actu existens, ergo causa materialis licet sit causa pasiua, habet propriam existentiam. Hinc est, quod materia accipit à forma, quam sustentat, existentiam completam, & transitiuam, non incompletam, & transitiuam, quia respectu illius est ens in potentia.

25 Ad vltimum: nego antecedens: Ad primam probationem nego maiorem illa propositio: *mate-*

riale, & immaterale opponuntur, quæ affertur ad probandam repugnantiam causæ materialis respectu substantiæ immaterialis, duplicem habet sensum iuxta diuersam significationem materialitatis, de qua egimus disp. 2. quæst. 1. nu. 5. Si enim nomine entis materialis intelligitur ens corporeũ, & quantũ; propositio est vera, quia repugnat ens incorpòreum esse corporeum: Quod si nomine entis materialis intelligitur ens receptiuum alterius entis, propositio est falsa, quià omnis substantia immaterialis, vna duntaxat excepta, quæ est increata, excludens omnem potentialitatem, est receptiua accidentium, á quibus perficitur; ratio causæ materialis est ratio entis receptis receptiuis, adeoque est ratio præscindens ab ente corporeo, & incorporeo; sed ratio præscindens á corporeo, & incorporeo non opponitur enti incorporeo, siuè immateriali, ergo ratio causæ materialis non opponitur enti immateriali. Indé est substantiam immaterialem, quæ est subiectum suorum accidentium, exercere verum munus causæ materialis, non secus ac materia respectu formæ substantialis, quæ non est forma subsistens: quia verò natura est subiectum subsistentiæ, quæ in genere causæ formalis determinat naturam ad sistendum in se, vt dictum est disp. 6. quæst. 2. nu. 9. ideò natura est causa saltem materialis suæ subsistentiæ: quidquid sit de causa efficienti: vndè sequitur naturam esse in signo priori ad subsistentiam, in quo signo natura completa intelligitur existens, non intelligitur subsistens, quia in eo signo præcisiuo non sistit neque in se, neque in alio.

26 Ad secundam probationem concedo ma: & distinguo minorem: non est causa materialis tantum: concedo minorem, non tantum: nego minorem, &

con-

consequentiam. Intellectus, & quælibet facultas viuens exercet vtrumque munus causæ materialis, quatenus recipit cognitionem, efficientis quatenus illam producit; neque id repugnat, vt dicemus suo loco.

QVAESTIO II.

De Virtute causatiua causæ materialis.

1 DEmonstrata existentia causæ materialis, quã materiæ respectu formæ, substantiæ respectu accidentium, naturæ respectu subsistentiæ, cuius est subiectum, conuenire ostensum est, virtutem causæ materialis declarare necesse est: qua in re notandum est nullum esse causæ genus, in quo attendi non posit virtus causatiua, & causalitas: nomine virtutis causatiuæ intelligitur id, quod constituit causam in ratione causæ, præscindendo ab actu causandi: nomine causalitatis significatur ipse actus causandi. De causalitate causæ materialis in sequenti quæstione sermo erit, túm quia ordo doctrinæ postulare videtur, vt prius de virtute causæ, quam de ipso actu causandi disputemus; túm quia ea, quæ de virtute causæ materialis dicenda sunt, multum conducunt ad eius causalitatem explicandam. Huius igitur quæstionis institutũ est inuestigare illud prædicatum, quod requiritur ad constituendam virtutem causatiuam in genere causæ materialis: id primo aspectu videtur esse ratio subiecti, siuè ratio entis receptiui, conceptus enim causæ materialis, & conceptus causæ passiuæ conuertuntur: quod tamen veritati repugnare demonstratur exemplo Animæ

rationalis, quam materia recipit, non causat. Pro cuius quæstionis solutione.

2. Sit prima Conclusio. Conceptus formalis subiecti est formalissimé conceptus entis receptiui.

3. Probatur explicatís terminis, quorum intelligentia péndet ex ijs, quæ docuimus disp.4 quæst.1. num.5. vbi definitum est materiam esse subiectum, & formam actum. Nomine subiecti significatur id, quod alteri subijcitur, ita substantia est subiectum accidentium, quia subijcitur accidentibus, nomen enim substantiæ desumptum est á munere substandi, quod illa exercet materia est subiectum formæ, quia subijcitur formæ, à qua determinatur ad speciem entis; fieri autem non potest, vt intelligatur vnam rem alteri subijci, quin intelligatur recipere, & recipi, vt apertè constat in substantia, quæ non potest esse subiectum accidentis, quod in se non recipit: indè est rationem subiecti esse rationem entis receptiui, adeòque vnum conceptum non esse ab alio præcisum.

4. Secunda Conclusio. Ratio subiecti requiritur, non tamen sufficit ad virtutem causæ materialis.

5. Ratio cur requiratur, est, quia causa materialis est causa passiua; sed quatenús passiua est subiectum receptiuum illius, cuius est causa, ergo causa materialis quatenus materialis est subiectum receptiuum, ergo ratio subiecti requiritur ad virtutem causæ materialis. Maior est certa, causa enim materialis differt ab efficiente, quia illa est passiua, ista actiua. Minor etiam patet, quia necesse est, vt causa passiua sustentet suum effectum, adeòque perficiatur á suo effectu, cum id non præstet causa actiua, quæ continet in se perfectionem effectus produ-

cti

&i non potest autem sustentare effectum, quem in se non recipit, vt ex terminis constat, ergo necesse est, vt causa passiua recipiat effectum, quem producit. Præterea nemo est, qui non experiatur se intelligere per cognitionem receptam in cognoscente, videre per actum videndi in oculo existentem; sentire per actum sentiendi receptum in facultate sentiente: sed intelligens est causa materialis cognitionis, facultas, quæ videt, ac sentit est causa materialis actus videndi, & sentiendi, cognitio enim est accidens perficiens cognoscentem, adeòque á cognoscente dependens in genere causæ materialis, sicuti omne accidens pendet à substantia, ergo ratio entis receptiui requiritur ad causam materialem: indé est causam materialem in suo formali conceptu includere defectum perfectionis, quia includit rationem subiecti, siué entis receptiui, quod formalissimé includit imperfectionem.

6. Ratio cur conceptus entis receptiui non sufficiat ad virtutem causæ materialis est, quia conceptus genericus logicé indifferens ad plures species, non sufficit ad constituendam vnam determinatam speciem, licet ad eam requiratur: itá conceptus animalis non sufficit ad constituendum hominem: sed ratio subiecti, siuè ratio entis receptiui est conceptus genericus logicé indifferens ad speciem causæ materialis, ergo non sufficit ad eam constituendam. Min. probatur, quia huiusmodi conceptus ibi reperitur vbi lócum non habet causa materialis vt videre est in materia respectu Animæ rationalis, cuius est subiectum non causa ergo conceptus subiecti, siuè entis receptiui magis laté patet, quám conceptus causæ materialis, quia omnis causa materialis est subiectum formæ, cuius est causa; non omne subiectum formæ est causa formæ. Ratio autem

tem a priori est, quia conceptus causæ materialis est conceptus subiecti sustentantis, sed conceptus subiecti sustentantis includit formaliter differentiam quæ contrahit ad vnam speciem subiecti rationem subiecti abstractissimé acceptam, ergo conceptus causæ materialis non est tantum conceptus subiecti, sed includit formaliter conceptum genericum subiecti, & conceptum differentiæ illum contrahentis: eo pacto, quo conceptus hominis non est tantum conceptus animalis, sed etiam est conceptus rationalis, qui contrahit conceptum animalis ad vnam potius, quám ad aliam speciem animalium.

7. Hinc est, subiectum in genere diuidi in subiectum inhæsionis, & in subiectum adhæsionis, siuè in subiectum informationis, & in subiectum sustentationis Ratio est, quia subiectum in genere est ens receptiuum, quod formalissimé est ens in potentia, sed ens receptiuum diuiditur in ens sustentans, & ens non sustentans formam receptam, quia non est necesse, vt forma, quæ recipitur in materia, eamque informat, accipiat existentiam á materia, adeòque à materia dependeat in genere causæ materialis: huiusmodi enim prædicata, nimirùm informare materiam, & dependere, á materia sunt conceptus formales diuersi, adeóque separabiles, & de facto separantur in anima rationali, quæ cum sit forma immmaterialis informat materiam, á qua non dependet, ergo subiectum in genere diuiditur in subiectum, quod recipit, & non sustentat, & in subiectum, quod recipit simul & sustentat: subiectum, quod recipit, & non sustentat vocatur subiectum informationis, siué adhæsionis: subiectum, quod recipit, & sustentat, vocatur subiectum sustentationis, siué inhæsionis. Hinc redditur ratio, cur Anima rationalis sit in materia tamquam actus in potentia,

eam-

eamque informet, neque tamen inhæreat materiæ, ficuti inhæret Anima Leonis, quia nimirum illa est in materia, tanquam in subiecto adhæsionis, ista veró est in materia, tanquam in subiecto inhæsionis, hanc non illam sustentat materia, quæ ab vtráque perficitur.

8. Tertia conclusio. Ad rationem causæ materialis requiritur virtus sustentandi formam præter virtutem recipiendi.

9. Probatur, tum quia non sufficit ad rationem causæ materialis virtus recipiendi, quæ est virtus faciendi vna cum forma compositum substantiale, vel accidentale, ergo requiritur virtus sustentandi formam, quæ physicè informat materiam; túm quia intellecta præcisè virtute sustentandi, intelligitur causa materialis; ea non intellecta non intelligitur, vt patet inductione: Materia ideó non est causa materialis Animæ humanæ, & in eius existentiam non influit, licet existat in priori ad eius creationem, quia non habet virtutem sustentandi Animam immaterialem, & ideó est causa materialis formæ Leonis, & in eam influit, quia habet virtutem eam sustentandi: idem contingit in substantia, quæ ideó in genere causæ materialis influit in accidentia, quia sustentat accidentia, adeóq; Deus, qui naturæ legibus nō seruatis conseruat in Sacramēto Eucharistiæ accidentia panis sine substantia panis, maiorem concursum exhibet, quia in genere causæ efficientis supplere debet defectum illius influxus, quem in genere causæ materialis præstare solet substantia, ergo virtus sustentandi formam requiritur ad constituendam virtutem causæ materialis.

10. Confirmtur, quiá virtus sustentandi formam est virtus influendi in formam, sed huiusmodi virtus non spectat ad causam formalem, efficientem,

vel

vel finalem, ergo ad causam materialem. Maior probatur, tum quia forma, quæ debet sustentari, habet indigentiam subiecti sustentantis, vt existat, ergo subiectum, quod sustentat est virtus influens esse in formam, non enim potest forma indigere subiecto sustentante, nisi tale subiectum habeat virtutem influendi in formam; tùm quia subiectum, quòd recipit formam, eamque non sustentat, requiritur in priori ad productionem formæ per modum virtutis influentis. Minor etiam est certa; In primis influere sustentando est influere in effectum á se contradistinctum, ergo non est influere in genere causæ formalis, quæ causat effectum á se non contradistinctum; deindé causa effectrix quatenus effectrix non sustentat effectum productum, alioquin Deus, causa nimirum effectrix rerum omnium perficeretur intrinsecè à rebus omnibus, quod repugnat, ergo influere sustentando non est influere in genere causæ efficientis: præterea causa finalis agit mouendo intentionaliter agens ad operandum, ergo influere sustentando non est influere in genere causæ finalis, ergo in genere causæ materialis.

11. Vltima Conclusio. Virtus sustentandi formam est formalissimé virtus exigitiua vnionis cum forma, siué virtus recipiendi formam, quæ non potest naturaliter existere nisi in materia.

12. Probatur primó. Virtus productiua formæ in genere causæ materialis est virtus exigitiua vnionis cum forma, sed virtus sustentandi formam est formalissimé virtus productiua formæ in genere causæ materialis, ergo virtus sustentandi formam est formalissimé virtus exigitiua vnionis cum forma. Minor est certa, quia esse causam materialem est esse subiectum inhæsionis, quod est formalissimè subiectum sustentationis. Maior pro-

probatur. Virtus productiua formæ in genere causæ materialis est virtus influens esse in formam, non actiuè, quia hic influendi modus tribuitur causæ efficienti, quæ in tantùm agit, in quantùm est in actu, adeòque ex abundantia, non indigentia, ergo passiuè: sed influere passiuè in formam est influere exigendo vnionem sui cum forma, ergo virtus productiua formæ in genere causæ materialis est virtus exigitiua vnionis cum fórma. Antecedens subsumptum probatur ex triplici capite. Primò influere passiuè in formam non est præcisè esse subiectum formæ, siuè mutari intrinsecè à forma, eamque recipere, aliter materia influeret in formam immaterialem, quia est subiectum formæ immaterialis, á qua intrinsecé immutatur eam recipiendo, ergo influere passiuè in formam est exigere vnionem cum forma, adeòque exigere immutari á forma, adeò vt materia non habeat virtutem influendi in illam formam, quæ est tantæ perfectionis, vt possit in rerum natura existere etiamsi materiam non immutet. Secundò: influere materiam passiuè in formam est formalissimè dependere formam passiuè à materia, sed influere exigendo vnionem cum forma est formam dependere passiuè á materia, quæ itá requiritur in priori ad existentiam sui vt exigat vnionem cum se: ergo influere exigendo vnionem cum forma est influere passiuè in formam. Tertió: substantia influit passiuè in accidentia, á quibus perficitur, sed non ex alio capite influit, quám ex capite virtutis exigentis vnionem cum accidentibus, ergo influere passiuè in formam est exigere vnionem cum forma.

13. Probatur secundo, Per illud præcisé constituitur virtus sustentandi formam, per quod intelligitur forma dependens á materia, sed per hoc præcisé, quod materia exigat vnionem cum aliqua forma, intelli-

telligitur forma dependens á materia, ergo virtus sustentandi formā constituitur per exigentiam vnionis cū ipsa forma, ergo virtus sustentādi est formalissimé virtus exigitiua vnionis. Maior patet, quia formam dependere à materia in genere causæ materialis, & materiam sustentare formam sunt prædicata conuertibilia. Minor probatur. Per hoc præcisé, quód materia exigat vnionem cū aliqua forma, intelligitur talis forma habere indigentiam vnionis cum materia, vt existat. Hæc propositio est euidens, quia materia non exigit vnionem cum illa forma, quæ potest naturaliter existere a materia separata, exigentia enim habendi formam supponit indigentiam in forma: indé est, quod materiá non exigit habere vnionem cum forma immateriali: quia hæc non indiget vnione cum materia, vt existat, potest enim existere non vnita materiæ. Id autem est adeò verum, vt materia non solum non exigat vnionem cum forma immateriali, sed potiús exigat aliquandó negationem talis vnionis, vt contingit tùm in hominis morte, tùm post hominis mortem, suppono enim hominem extinctum ad vitam redire sine miraculo non posse. Manifestum est autem formam, quæ vt existat indiget vnione cum máteria, esse formam dependentem à materia, cum ratio effectus, adeóque entis dependentis sit ratio entis sibi non sufficientis ad existendum, adeóque indigentis alio ente, quód vel est adæquata sufficientia, vel constituit adæquatam sufficientiam sui ad existendum: quid enim est aliud formam pendere à materia tanquam effectum á causa, quàm materiam requiri ad constituendam adæquatam sufficientiam formæ ad existendum? Quod si forma indiget materia vt existat; materia vtique constituit sufficientiam formæ ad existendum, adeòque forma, quæ

non

non potest existere separata à materia, est forma dependens á materia.

14. Hinc colliges primó virtutem causæ materialis esse exigentiam vnionis cum forma, siué virtutem recipiendi formam, quæ non potest naturaliter existere separata á materia. Ratio est, quia virtus causæ materialis supponit indigentiam formæ dependentis à materia; sed virtus recipiendi formam, quæ non potest existere separata á materia, supponit indigentiam formæ dependentis á materia; repugnat enim naturaliter existere formam dependentem à materia, & non existere in materia, ergo virtus causæ materialis est virtus recipiendi formam, quæ non potest naturaliter existere separata á materia. Hinc redditur ratio, cur intellectus sit causa materialis cognitionis, cur materia prima sit causa materialis cuiuscumque formæ materialis, cur natura creata sit causa materialis propriæ subsistentiæ; quia nimirum intellectus habet virtutem recipiendi cognitionem, quæ non potest existere ab intellectu separata: materia prima habet virtutem recipiendi formam materialem, quæ non potest non esse in materia quandocumque existit: natura creata habet virtutem recipiendi subsistentiam ab ipsa natura inseparabilē naturaliter: Indé est ad cognoscendam causam materialem debere attendi, an id, quod requiritur ad productionē alicuius rei exigat vnionem cum eadem re, quandocumque talis res existit: si enim exigit, manifestum est illi conuenire rationem causæ materialis, quia veró nunquam contingit, vt id, quod est in priori ád formam productam; exigat vnionem cum forma producta, nisi forma habeat indigentiam vnionis cum sua causa, adeóque non possit naturaliter existere nisi suam causam informet: ideó euidens est illam rem habere causam ma-

terialem sui, quæ non potest naturaliter existere nisi sit forma actu informans.

15 Colliges secundo materiam non esse causam Animæ rationalis, etiamsi existat in priori ad creationem Animæ, quia cum Anima rationalis non habeat indigentiam vnionis cum materia ad existendum simpliciter, consequens est vt materia non habeat virtutem, quæ exigit vnionem sui cum Anima: quod autem ita est in priori ad formam productam, vt non habeat virtutem, quæ exigit vnionem sui cum tali forma, nõ est causa materialis formæ, ergo materia non est causa materialis Animæ rationalis. Cur ergó in priori ad creationem Animæ requiritur? quia est conditio, quam consuetus naturæ cursus exigit, vt nimirum Anima non formetur á Deo nisi materia sit disposita, sicuti necesse est disponi ad vnionem habendam cum Anima, quia Anima rationalis est forma subsistens, adeòquè forma corporis: ratio huius est, quia in ordine substantiæ intelligentis Anima rationalis vltimum tenet locum propter necessitatem, quam habet conuertendi se ad phantasmata, eaque in aliquo statu speculandi: Quia verò fieri non potest vt speculetur phantasmata, nisi existat in Anima virtut formandi phantasmata, quæ est virtus pertinens ad vitam sentientem, cum actus sentiendi á phantasmate indistinctus sit actus coniuncti, vt dicit Philosophus, hoc est actus alicuius facultatis organicæ: ideò Anima intelligens est forma corporis, adeoque exigit pro aliqua temporis differentia vnionem sui cum materia: ex quo fit, vt Anima rationalis non possit naturaliter produci nisi existat in priori materia disposita tanquam conditio, non tanquam causa.

16. Col-

16. Colliges tertio omnem formam distinctam ab Anima rationali esse formam materialem, & educi de potentia materiæ: ratio est quia omnis forma, quæ non est Anima rationalis, est forma dependens á materia, adeóque indigens vnione cum materia, quandocumque existit, sed forma, quæ dependet á materia, & habet existentiam indigentem vnione cum materia, est forma materialis, ergo omnis forma distincta ab Anima rationali est materialis: sed omnis forma materialis educitur de potentia materiæ, quia producitur per actionem dependentem á materia, quæ actio formalissimé est eductio formæ de potentia materiæ, ergo, &c. Min. prob. quia esse materiale est esse corporeum: esse autem corporeum est habere molem sensibilem, nimirum quantitatem, quæ est subiectum accidentium sensibilium, & ingenere causæ formalis facit vnam substantiam impenetrabilem cum alia, adeóque extensam secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem: indè est quód forma dependens á materia, quæ vel est ipsa quantitas, vel saltim subiectum á quantitate inseparabile, denominatur á quantitate materiæ quanta, corporea, adeóque materialis.

17. Obijcitur primo. Materia prima, vel exigit vnionem cum omni forma, vel cum nulla: cum omni non exigit, ergo cum nulla, ergo virtus causæ materialis indistincta á materia prima non est exigentia vnionis cum forma. Maior probatur: ideó cum aliqua exigit, quia habet ordinem ad illam, sed habet ordinem ad omnes, quia omnes potest recipere, & omnes æqualiter appetit, ergo exigit vnionem cum omnibus, ergo, &c. Confirmatur, quia materia est causa materialis, siué potentia passiua omnium formarum materialium, sed non est virtus exigens

vnio-

vnionem sui cum omnibus formis materialibus, ergo, &c.

18. Resp. nego ma: Ad eius probationem dist. ma. quia habet ordinem potentiæ ad actum nego ma: ordinem causæ ad effectum: conc. ma: & dist. min. habet ad omnes ordinem potentiæ ad actum: conc. min. causæ ad effectum nego. min. & consequentiam. Forma, quæ potest cum materia constituere vnum per se, est actus materiæ; sed esse actum materiæ est materiam habere respectu formæ ordinem potentiæ ad actum, ergò materia respectu formæ habet ordinem potentiæ ad actum. Huiusmodi ordo est in materia relatè ad quamlibet formam, cum nulla sit forma quæ non sit actus materiæ: quia verò inter formas, quæ possunt esse in materia, aliæ sunt materiales, quæ dependent á materia, aliæ immateriales, quæ non dependent á materia, ideó necesse est inueniri in materia aliquem singularem ordinem ad formas materiales: huiusmodi ordo vocatur ordo causæ ad effectum: cum autem causa materialis formalissimé sit virtus exigens vnionem sui cum forma producta, manifestum est prædictum ordinem esse indistinctum ab exigentia, qua materia exigit vnionem cum forma existente. Hinc patet duplicem esse ordinem quem habet materia ad formas materiales, vnum communem cum immaterialibus, qui est ordo potentiæ ad actum, alium proprium materialium, qui est ordo causæ ad effectum. Ad confirmationem dico materiam eo pacto esse virtutem exigitiuam talis vnionis, quo est causa formæ, quia verò non ità est causa, vt possit omnibus formis simul existentiam communicare, ideó non est virtus exigens vnionem simul cum omnibus; in forma dist. ma. est potentia passiua omnium formarum simultate potentiæ: conc. ma.

po-

potentia simultatis; nego ma. & dist. min. non est virtus exigens vnionem cum omnibus formis simultate virtutis: nego min. virtute simultatis: côc. min. & nego consequentiam.

19. Ob. secundo: virtus causæ materialis est virtus influendi in formam, sed virtus exigens vnionem sui cũ forma non est virtus influendi in formã, ergo, &c. Minor probatur, tum quia virtus influendi in formã est ratio vt forma dependeat á materia, eaque indigeat, sed virtus exigens vnionem cum forma est ratio cur dependeat materia á forma, eaque indigeat, ergo non est virtus influendi: tum quia si virtus exigens vnionem cũ forma explicatur per indigentiam formæ non sufficientis sibi ad existendum, non explicatur virtus causæ materialis, nimirum illa virtus quæ in materia requiritur, vt influat in formam.

20. Resp. conc. ma. & nego minorem. Ad eius probationem conc. ma. & dist. minorem: est ratio cur materia pendeat á priori á forma eaque indigeat indigentia causalitatis: nego mi: pendeat á posteriori a forma, eaque indigeat indigẽtia cônexionis: concedo minorẽ & nego Consequentiam. Non est dubium quin exigentia habendi vnionem cum forma sit aliqua indigentia subiecti habentis talem exigentiam, quiá huiusmodi exigentia est formalissimé perfectibilitas, quæ vtique est indigentia perfectionis, vt patet ex terminis, hæc veró indigentia non modó non opponitur conceptui causæ materialis, sed potiús cum eodem componi debet: ratio est, quia causa materialis est formalissimé causa, quæ operatur ex indigentia, sed causæ operanti ex indigentia non opponitur virtus causandi indistincta ab indigentia, ergo, &c. Numquid igitur causa materialis est effectus formæ, cuius est

causa? falsa consequentia: non enim omnis indigentia est argumentum effectus, quia duplex datur indigentia, alia connexionis, alia causalitatis, ista arguit effectum, est enim indigentia rei vt sit, illa non arguit, cum sit indigentia quia est: itá sol indiget luce, & lux sole: sed indigentia lucis est indigentia causalitatis, & indigentia solis respectu lucis est indigentia connexionis: Quia veró indigentia connexionis est dependentia á posteriori, & indigentia causalitatis est dependentia causalitatis, vel dependentia á priori: ideó sol á luce pendet á posteriori, lux veró á sole a priori, quod non repugnat: Virtus igitur causæ materialis indistincta á materia arguit in materia indigentiam connexionis, in forma indigentiam causalitatis est autem maior indigentia causalitatis quám connexionis, ideó est maior indigentia formæ, quàm materiæ, quia forma indiget vt existat, cum materia indigeat, quia existit. Indigentia causalitatis, quam habet forma respectu materiæ, arguit aliquam causalitatem, adeóque influxum materiæ in formam: hic influxus nihil est aliud, quám exigentia habendi vnionem cum forma, quæ explicatur per indigentiam formæ pendentis á materia: neque id est in Philosophia nouum, vbi ordo causæ cum effectu viam aperit ad explicandam virtutem causæ per indigentiam effectus.

21. Ob. tertio: Anima rationalis licet non indigeat vnione cum materia quandocumque est, indiget tamen quando primo est, ergo materia exigit vnionem cum animá rationali primo existente, ergo est causa materialis Animæ rationalis, ergo &c. Consequentia probatur, quia exigere vnionem cum forma est esse causam materialem formæ, sed materia exigit vnionem cum Ani-

ma

ma primó existente, ergo est causa materialis Animæ primó existentis. Confirmatur, quia exigentia vnionis cum Anima primó existente non obstat, quo minus materia sit conditio respectu Animæ rationalis, ergo exigentia vnionis cum forma simpliciter existente non obstat, quó minus materia sit tantum conditio.

22. Resp. conc. primum Enthymema, & nego Consequentiam. Ad eius probationem dist. ma: exigere vnionem cum forma simpliciter existente est esse causam materialem formæ: conc. ma: cum forma primò existente: nego ma. & conc. min. nego Consequentiam. Forma dependens á materia est forma, quæ indiget vnione sui cum materia, vt simplicer existat, non vt primó existat: ratio á priori est, quia forma dependens á materiá est forma, cuius adæquatam sufficientiam constituit materia, cum autem nullum ens possit simpliciter existere nisi existat ipsius adæquata sufficientia, manifestum est formam dependentem à materia non posse simpliciter existere, nisi in priori ad ipsam existat materia, adeoque formam dependentem á materia indigere vnione sui cum materia ad existendum simpliciter, ergo materia non potest exercere munus causæ materialis circa illam formam, cuius vnionem non exigit simpliciter, sed solum secundum quid, hoc est in illo instanti, in quo forma incipit existere: hinc patet ad confirmationem, concesso enim Antecedente nego Consequentiam. Disparitas inter Animam rationalem, & cæteras formas est euidens, quia Anima rationalis eo quód indigeat vnione cum materia pro primo tantum instanti suæ existentiæ habet esse independens á materia, ergo materia non potest requiri nisi vt conditio ad productionem Animæ, ergo non

est causa influens: indé est adæquatam causam, quæ in Animã infuit, esse Deum, qui proindé eodem concursu influeret in Animam, si eam produceret, vt potest supernaturaliter producere, sine vnione cum materia; forma veró materialis eo quod simpliciter indigeat vnione cum materia, habet esse dependens á materia, adeóque maiorem habet similitudinem cum ipsa materia, quam Anima rationalis, ergo materia, quæ in priori requiritur, est causa influens, non conditio determinans virtutem influendi. Indé, est quod materia dicitur adiuuare causam secundam efficientem ad producendam formam, adeóque Deus maiori influxu concurreret ad formam, si eam produceret independenter á subiecto.

QVAESTIO VLTIMA

Vtrum causalitas causæ materialis sit dependentia formæ à materia.

1 VIdetur non esse primo. Existentia formæ in materia est causalitas causæ materialis, sed dependentia formæ á materia non est existentia formæ in materia; ergo causalitas causæ materialis non est dependentia formæ á materia. Ma. prob. Existentia formæ in materia est vnio formæ cum materia, sed vnio formæ cum materia est causalitas causæ materialis, quia vnio non præscindit á causalitate, ergo, &c.

2. Secundo. Causalitas causæ materialis debet esse ipsa formalis existentia formæ in materia, ergo non est dependentia formæ á materia. Antecedens probatur. Causalitas causæ materialis est causalitas

cau-

causæ passiuæ, sed causalitas causæ passiuæ est ipsa formalis existentia formæ in materia, quia non intellecta formali existentia formæ in materia non intelligitur causa passiua actu causans, ergo, &c.

3. Tertio. Causalitas causæ materialis est illa ratio formalis, per quam materia patitur, sed illa ratio formalis, per quam materia patitur, est vnio, siuè existentia formæ in materia, ergo causalitas causæ materialis est vnio formæ cum materia. Maior patet, quia sicuti causalitas causæ actiuæ est ratio formalis determinans causam ad agendum, ità causalitas causæ passiuæ est ratio formalis determinans materiam ad patiendum. Min. probatur. Per illud formaliter materia patitur, pér quod formaliter immutatur, sed materia formaliter immutatur per vnionem cum forma, ergo, &c.

4. Quarto. Repugnat formam pendere à materia, & non vniri materiæ, ergo eadem forma præstat vtrumque effectum formalem; sed forma vnita materiæ est formalis effectus vnionis, ergo formà pendens à materia est effectus formalis vnionis, ergo causalitas caúsæ materialis est vnio. Prima Consequẽtia probatur; túm quia nõ est cur formæ multiplicentur, cum ad vtrumque præstandum vnicá sufficiat; túm quia si formæ sunt diuersæ, vna erit ab alia separabilis, adeóque fieri poterit, vt forma pendeat á materia, eique non vniatur, quod repugnat.

5. Vltimo. Conceptus dependentiæ á materia, vel nullus est, vel est conceptus vnionis formæ cum materia: ergo causalitas causæ materialis vel nulla est, vel est ipsa formalis vnío. Antecedens probatur; túm quia non potest explicari conceptus dependentiæ nisi per conceptum vnionis; túm quia forma pendens à materia est forma exigens vnionem cum materia,

teria, vt dictum est, quest. 2. num 11. ergo dependentia formæ á materia est vnio formæ cũ materia.

6. Resp. causalitatem causæ materialis esse ipsã formalem dependentiam formæ á materia, adeóque causam materialem tunc esse in actu secundo quando forma pendet á materia, eique inhæret.

7. Ratio á priori est, quia dependentia formæ á materia est ratio formalis, quæ determinat materiam vt sit causa formæ, sed causalitas causæ materialis est ratio formalis, quæ determinat materiã vt sit causa formæ, ergo causalitas causæ materialis est dependentia formalis formæ á materia. Minor probatur quia dependẽtia formæ á materia est ratio formalis, qua forma pendet á materia in genere causæ materialis, sed ratio formalis, qua forma pendet á materia in genere causæ materialis, est ratio formalis, qua materia causat formam, ergo, &c.

8. Hæc dependentia formæ á materia debet esse distincta ab existentia formæ, & existentia materiæ: ratio est, quia repugnat existere dependentiam formæ á materia, & formã non dependere á materia, cum repugnet causa formalis sine effectu formali: sed non repugnat existere formam materialem, & simul existere materiam, quin forma pendeat á materia, id enim saltem diuinitus præstari potest, vt constat ex disp 4. qu. 2. n. 7. ergo repugnat dependentiam formæ á materiá esse indistinctam ab existẽtia formæ, & existentia materiæ, ergo huiusmodi dependẽtia debet esse realiter distincta ab vtraque existentia.

9. Eodem plané argumento demonstratur esse distinctam ab existentia formæ in materia, siuè ab vnione formæ cum materia, túm quiam Anima rationalis est corpori vnita, á quo non dependet, túm quia fieri potest saltem virtute diuina, vt forma ma-

terialis informet materiam, & non dependeat á materia, cum possit Deus producere formam materialem, eamque conseruare sine vlla dependentia á subiecto, quod informat, supplendo in genere causæ efficientis concursum, quo materia in genere causæ materialis influit in existentiam formæ materialis; cum ergó dependentia formæ á materia neque sit existentia formæ, & existentia materiæ, neque existentia formæ in materia, siuè vnio formæ cum materia, reliquum est, vt talis dependentia sit aliqua forma modalis distincta tum á materia, & forma, tum etiam ab vnione: effectus formalis huius dependentiæ est determinare formam vt neque diuinitus possit existere ipsa dependentia non existente vnione formæ cum materia, adeóque communicare formæ in genere causæ formalis exigentiam essentialem vnionis cum materia: indé est, quod dependentia formæ á materia, quæ nihil est aliud, quám eductio formæ de potentia materiæ, eiusque causalitas, non communicat formaliter materiæ formam, sed solum exigitiuè, & causaliter per modum radicis trahentis essentialiter; íllam formam, quæ immediatè, & in genere causæ formalis communicat formam materiæ. Constat igitur ex dictis, quænam sit virtus causatiua, & causalitas causæ materialis, virtus enim causatiua est virtus influendi in formam per virtutem exigendi vnionem cũ forma: causalitas veró est actualis sustentatio, siuè actualis exigentia recipiendi formam, quæ tanta, ac talis est, vt necesse sit necessitate metaphysica existere in sensu composito cum tali dependentia vnionem formæ cum materia.

10. Ad primum dist.ma: existentia formalis formæ in materia est causalitas causæ materialis: nego ma: existentia radicalis, siuè causalis: concedo ma.

& distin. min: dependentia formæ á materia non est existentia formalis formæ in materia: concedo minorem: existentia radicalis: nego min: & consequentiam: Ad probationem: mi: dist: similiter ma: formalis existentia formæ in materia est vnio: concedo ma: radicalis existentia: nego ma: & concessa minori, nego consequentiam. Aliud est formam existere formaliter in materia, aliud existere radicaliter, ratio est, quia potest forma existere in materia sine éxigentia existendi In materia, vt constát ex forma, quæ non dependet á materia: quid ergo est formam existere formaliter in materia? est materiam perfici á forma, & ab eadem physicè immutari: quid verò est formam existere radicaliter in materia? Est materiam exigere vnionem cum forma formaliter perficiente materiam. Isti effectus formales sunt procul dubio diuersi, ergo debent procedere á formis diuersis, ergo forma, á qua procedit effectus formalis formæ vnitæ est formaliter diuersa á forma, vnde procedit effectus formalis formæ vnitæ radicaliter; sed vnio facit formam vnitam formaliter, & dependentia formæ á materia facit formam vnitam radicaliter, ergo istæ duæ formæ, nimirum, vnio, & dependentia sunt diuersæ licet inseparabiles, átque connexæ connexione tamen non mutua, quiá repugnat in terminis dependentia sine vnione, non repugnat vnio sine dependentia.

11. Ad secundum: nego antecedens. Ad eius probationem: concedo maiorem, & nego minorem. Ratio cur formalis existentia formæ in materia non sit causalitas causæ passiuæ, est euidens, quia potest coniungi, cum negatione causalitatis, anima enim hominis existit in corpore, tanquam forma in materia, & corpus nullam causalitatem exercet in animam, sed nulla forma potest coniungi cum sui negatiu-

gatione, ergo formalis existentia formæ in materiâ, non est causalitas causæ passiuæ. Cæterum non est dubium, quin causalitas causæ passiuæ coniungatur cum formali existentia formæ in materia, cum eam essentialiter trahat, vt dictum est num. 9. ideo causalitas causæ passiuæ est formaliter exiitentia radicalis formæ in materia, quia ex conceptu causalitatis arguitur conceptus vnionis, sicuti rationale arguitiue, non Formaliter est risibile, quia rationalitas est formaliter exigentia risibilitatis, adeoque arguitiuè est risibilitas: vndè constat solutio illius difficultatis: non intellecta formaliter existentia formæ in materia, non intelligitur causa passiua actu causans, ergo eius causalitas est vnio; distinguo enim antecedens: non intellecta formaliter existentia formæ in materia non intelligitur causa passiua actu causans; nego antecedens: non intellecta arguitiuè: concedo antecedens, & nego consequentiam. Ratio est, quia non intellecta arguitiuè vnione non intelligitur formaliter exigentia vnionis; sed non intellecta formaliter exigentia vnionis, non intelligitur formaliter causalitas causæ passiuæ, ergo non intellecta arguitiuè vnione, non intelligitur causalitas causæ passiuæ: è contrariò vt intelligatur formaliter exigentia vnionis non est necesse intelligere formaliter vnionem, quia vnio non est exigentia vnionis, ergo potest intelligi formaliter causalitas causæ passiuæ, non intellecta formaliter vnione: itá non intellecto risibili arguitiuè; non intelligitur formaliter rationale, licet non intellecto formaliter risibili intelligatur formaliter rationale.

12. Ad tertium: concedo maiorem, quæ est indubitata, dummodo legitima eius significatio retineatur, quia tamen facile est proprium sensum huius vocis *passio* cæteroquin ambiguę confundere cum

im-

improprio, sicuti arguens in præsenti confundit, melius est hoc pacto distinguere: causalitas causę materialis est illa ratio formalis, qua materia patitur recipiendo: nego ma: sustentando: concedo maiorem, & distinguo minorem. Ratio formalis, qua materia patitur recipiendo: est vnio: concedo minorem, sustentando: nego minorem: & consequentiam. Æquiuocatio tota est in illa voce *patitur*, vbi distinguenda est passio, quæ est receptió à passione, quę est sustentatio: receptio impropriè est passio, quia subiectum, quod hoc modo patitur, non debet exercere munus causę materialis, siué passiuæ respectu formæ, á qua perficitur, & immutatur, sustentatio est proprié passio, quia subiectum, quod patitur sustentando, influit passiué in formam. Ratio igitur formalis, qua materia patitur passione receptionis, vtique est vnio; ea tamen ad rem præsentem non facit, quia licet in aliquo sensu sit passio, non potest esse causalitas causæ passiuæ. Ratio veró formalis, qua materia patitur passione sustentationis non est vnio, sed exigentia vnionis, adeoque dependentia formæ à materia. Hinc est, quod passio, qua materia sustentat formam, non immutat formaliter materiam transitiué, licet intransitiué immutet. ipsa enim per suam entitatem immutat, cum per suam entitatem dependeat á materia, eique vniatur tanquam ratio formalis determinans ad sustentandam formam: immutat veró transitiué materiam arguitiué, realiter, siué materialiter, quia nimirum coniungitur cum forma, hoc ést cum vnione formaliter immutante: vnde patet ad probationem minoris.

13. Ad quartum concedo antecedens, & nego consequentiam. Identitas duplicis formæ, quarum vna facit formam ésse in materia, alia pendere

á ma-

à materia, repugnat ex multiplici capite, adeoque datur necessitas eas distinguendi, & multiplicandi: primò quia forma materialis est in materia, sicuti immaterialis: ergo illa forma, quæ facit formam materialem esse in materia, non est diuersa à forma, quæ facit esse in materia formam immaterialem, sed ista realiter distinguitur á forma, quæ facit formam pendere à materia, ergo etiam illa: secundó necesse est ea distingui, quæ habent prædicata opposita, illa enim est in genere substantiæ, ista accidentis, ergo &c. Tertió: dependentia, siuè passio est realiter actio qua agens producit formam pendentem à materia, sed vnio non est actio, aliter mutata actione, vnio mutaretur, quod repugnat, quia tam in primo, quam in secundo instanti est idem compositum. Neque mihi opponas separabilitatem aliunde repugnantem dependentiæ ab vnione, quæ videtur nasci ex distinctione, non enim sequitur in subiecta materia, quia pono dependentiam esse essentialem exigentiam vnionis: indé est in ea hypothesi, in qua esset dependentia sine vnione, foré simul, & non fore exigentiam essentialem vnionis.

14. Ad vltimum: nego antecedens: Ad cuius probationem patet ex iis quæ hucusque dicta sunt, optimé explicari conceptum dependentiæ sine formali conceptu vnionis formalis; quía explicatur dependentia per conceptum formalem vniònis radicalis: dixi sine conceptu formali vnionis formalis, quia existimo non posse haberi conceptum dependentiæ passiuæ, non connotando vnionem formalem: hoc tamén non est conceptum formalem dependentiæ esse conceptum formalem vnionis formalis, sed ex vno conceptu alium argui. Ad illud, quod vrgetur: formam pendere á materia est formam exigere vnionem cum materia, ergo dependen-

dentiá est vnio: Dico ex hoc antecedente inferri oppositam consequentiam: si enim virtus causandi est virtus exigens vnionem, vtiq; causalitas non est vnio sed exigentia vnionis: quomodo verò distinguitur causalitas á virtute causandi, si vtraque exigit vnionem? Dico itá distingui, vt virtus causandi exigat in actu primo, & causalitas exigat in actu secundo; virtus causandi possit esse sine vnione; & causalitas non possit.

15. Ex hoc toto discursu, quo satis disputatum est circa virtutém, & causalitatem causæ materialis, liquidò constat quomodo causa materialis in effectum influat, & cui generi rerum conueniat huiusmodi virtus. Reliquum est, vt aliqua breuissimé attingam dé effectibus ad causam materialem spectantibus. In substantijs adæquaté materialibus pendet á materia túm forma, tùm vnio formæ cum materia, quia vtraque est materialis, cum hoc tamen discrimine, vt forma existat in materia, á qua dependet per vnionem distinctam, secus vnio: In substantijs inadæquaté materialibus pendet tantum á materia vnio, quia ea tantum est materialis, adeoque educitur de potentia materiæ, sicuti quælibet vnio formæ materialis. Præterea est effectus causæ materialis ipsa dependentia formæ á materia, & vnionis formæ cum materia, quia vtraque sustentatur á materia, ita tamen, vt forma sustentetur *vt quod*, dependentia verò vt *quo*, tanquam ratio formalis, quæ determinat materiam ad sustentādam formam: Indé est omne id, quod viribus naturæ producitur, esse effectum alicuius causæ materialis, adeoque materiam in genere causæ materialis influere in omnem substantiam adæquaté, vel inadæquaté materialem, eo qnod in aliquam partem cuiuscumque substantiæ materialis influit: Qua de causa tota substantia

tia

tia est terminus adæquatus, & totalis causæ materialis: terminus verò formalis est forma, vel vnio. Quod est adeo verum, vt S. Thomas ex doctrina Philosophi passim doceat compositum per se fieri, non formam, quia fieri terminatur ad esse illius, quod fit, ergo eodem modo conuenit rei, quæ fit, fieri, ac esse; sed esse conuenit per se composito, non formæ, ergo fieri conuenit per se composito, non formæ, quæ eatenus fit, quatenus fit compositum.

DISPVTATIO NONA.

De causa formali.

MAterialem causam sequitur formalis, cuius virtutem ex virtute causæ materialis plerumque nasci ést indubítatum: Præter quam quod causa materialis potest etiam induere rationem causæ formalis, quatenus intrinsecé causat totum: idcircò necesse est agere de causa formali post materialem.

QVAESTIO I.

Vtrum forma sit causa formalis compositi.

1. ANtequam definiatur, an ratio causæ formalis conueniat formæ in ordine ad compo-

posi-

positum, & itá conueniat formæ esse causam formalem, vt nulla alia res fungi possit munere causæ formalis: inuestigandus est conceptus causæ formalis, qui vtique est conceptus causæ intrinsecæ, eo quod causa formalis non est contradistincta ab effectu formali ratione identitatis inadæquatæ, quam causa intrinseca habet cum suo effectu, vt videre est in singulis partibus habentibus identitatem inadæquatam cum toto, quod componunt. Discrimen igitur inter causam intrinsécam, & extrinsecam in eo positum est, quod extrinseca non constituit effectum, quem causat, intrinseca verò constituit, immò causando constituit, & constituendo causat: ex quo sequitur causam intrinsecam esse constitutiuum effectus, adeoque virtutem influendi à causâ intrinseca indistinctam esse virtutem constituendi aliquod compositum, per communicationem sui, siuè exhibendo seipsam: quod causandi genùs procul dubiò tribuitur singulis partibus; neque tamen id est itá intelligendùm, quasi omne constitutiuũ rei sit causa intrinseca rei, quia ad rationem causæ intrinsecæ requiritur realis distinctio adæquata vnius constitutiui ab alio, & inadæquata à constituto: vndè sequitur gradus metaphysicos, qui constituunt essentiam, non esse causam intrinsecam, quia vnus gradus non distinguitur nisi logicè ab alio gradu: ratio àpriori est, quia causare intrinsecè est formalissimè esse partem, ergo cuicumque repugnat coneptus partis repugnat conceptus causæ intrinsecæ; sed gradibus metaphysicis repugnat ratio partis, repugnat enim inter gradus metaphysicos distinctio obiectiua, quæ inter partes componentes physicè totum requiritur, ergo repugnat gradibus metaphysicis ratio causæ intrinsecæ. Indè est latiùs patere conceptum constitutiui, quàm conceptum causæ intrinsecæ, siuè partis componen-

ponen-

ponentis physicé, quia substantiæ immateriali creatæ, vel increatæ repugnat conceptus causæ intrinsecæ repugnantia fundata in eius immaterialitate, quæ excludit substantialem compositionem ex materia, & forma, non verò repugnat conceptus constitutiui: immò repugnat oppositum, quia nihil est in rerum natura, quod identicè, & intransitiuè non habeat prædicata essentialia, per quæ distinguitur ab omni non ipso, adeoque constituitur formalissimè in esse rei: huiusmodi repugnantia fundatur in illo principio: *repugnat idem simul esse, & non esse*, quod sine dubio principium rueret, si fieri posset, vt Petrus foret homo, & identicè non haberet virtutem sentiendi, & intelligendi, quæ constituit hominem.

2. Cæterum sicuti beneficio distinctionis formalis vnum prædicatum essentiale distinguitur intentionaliter ab alio, ita vnum simul cum alio componit essentiam non physicé, sed logicé, quia modus componendi, qui supponit distinctionem, induit naturam distinctionis, quæ inter partes componentes inuenitur. Ex quo apertè sequitur huiusmodi gradus metaphysicos esse logicé tantum causam intrinsecam, quod ad rem præsentem non spectat, adeoque illum gradum, qui habet rationem generis, esse causam materialem intrinsecam, illum verò qui habet rationem differentiæ, causam formalem: vndè vsus obtinuit, vt genus dicatur materia, & differentia forma. Qua in re fundantur omnes conceptus præcisiui, quos necesse est acutè, & profundè speculantem fabricare sincerissimos, & alienos á quolibet alio conceptu non spectante ad naturam rei, licet ab ipso indistinctos. Hinc est causam formalem amplissimé extendi, quia sicuti nulla est res, quæ identicè non habeat essentiam, ità nulla est res, quæ non habeat causam formalem, cum nulla sit res,

quam

quam non possit intellectus vna cognitione confundere, alia discernere á cæteris rebus adeoque præscindere vnum prædicatum commune, aliud proprium, & peculiare, quod vocatur formale prædicatum rei, eoque non intellecto res non intelligitur: quod non tantum in rebus creatis, sed etiam in Deo simplicissimo ente locum habet, vbi distinguit intellectus prædicata propria Dei ab illis, in quibus conuenit cum cæteris rebus.

3. De causa formali in hoc latissimo sensu vsurpata non habemus ex professo in præsenti sermonem, toti enim sumus in ea causa formali exponenda, quæ sub genere causæ continetur, hoc est sub genere principij influentis esse in aliud, quod sine dubio reperiri non potest, vbi non est distinctio realis: esto eius notitia multum lucis afferat ad cognoscendam illam causam formalem, quæ amplissimé vagatur, eamque vocare possumus causam formalem metaphysicam, vel si libet, etiam præcisiuam: virtus igitur causæ formalis physicæ est virtus faciendi intrinsecé aliquod totum substantiale, vel accidentale, determinando, & informando aliam partem, eamque inueniri necesse est in omnibus rebus, quæ constant ex potentia, & actu; quidquid sit an reperiatur etiam in rebus omnibus, quæ habent quamcumque compositionem physicam, vt contingit in toto integrali, siue homogeneo, quod constat ex partibus similibus, vt lignum bipalmare, vel eterogeneo, quod constat ex partibus dissimilibus, vt domus, statua, et alia huiusmodi. Dubium occurrit an sola forma sit causa formalis; & an ipsius effectus formalis sit compositum.

4. Ratio dubitandi est primo, quia non sola forma est causa intrinseca, ergo non sola forma est causa formalis. Antecedens probatur, quia materia

est

est causa intrinseca compositi. Consequentia probatur, quia causa formalis est intrinseca, nec datur alia causa intrinseca præter formalem.

5. Secundò. Omnis causa influit in effectum; forma non influit in compositum, ergo non est causa formalis compositi. Minor probatur, cùm quia nihil veré influit in id, quod constituit; sed forma constituit compositum, ergo non influit.

6. Tertiò. Causa formalis est causa intrinseca, sed forma non est causa intrinseca totius cōpositi, ergo non est causa formalis cōpositi. Minor probatur, quia forma est intrinseca materiæ, & tamen non est causa intrinseca materiæ, ergo forma non est causa intrinseca compositi, licet sit intrinseca composito.

7. Quarto. Si datur causa intrinseca, datur causa intrinseca adæquata; sed nō datur causa intrinseca adæquata, ergo non datur causa intrinseca, ergo &c. Ma: probatur, quia causa adæquata itá causat, vt præter illã nihil causet: sed præter causam intrinsecã nihil intrinsecé causat, ergo est adæquata causa, ergo &c.

8. Vltimo. Omni causæ intrinsecæ licet non conueniat collectiué causare, conuenit tamen distributiué causare, ergo omnes distributiué sunt causa adæquata. Contra hanc sententiam.

9. Dico primo. Non omnis causa intrinseca est proprié causa formalis.

10. Ratio est, quia non omnis causa intrinseca est forma rei, sed id, quod non est forma rei, non est proprié causa formalis, ergo non omnis causa intrinseca est proprié causa formalis. Maior probatur, quia causa intrinseca est pars distincta inadæquaté à toto, sed nō omnis pars distincta inadæquaté à toto est forma totius, vt patet in materia, quæ est pars compositi: vndé patet conceptum partis, & conceptum causæ intrinsecæ esse conuertibiles. ergo &c.

11. Dico secundo. Sola forma substantialis, & accidentalis est proprié causa formalis.

12. Ratio est, quia causa proprié formalis est causa intrinseca determinans aliam causam similiter intrinsecam ad vnam potius, quam ad aliam speciem compositi: sed sola forma substantialis, & accidentalis est huiusmodi; ergo &c. Minor probatur, tùm in composito substantiali, cuius causa intrinseca est forma substantialis determinans aliam causam, nimirum materiam primam ad vnam potiús, quam ad aliam speciem entis completi: túm etiam in composito accidentali, cuius causa intrinseca est forma accidentalis determinans aliam causam, nimirum materiam secundam, siué substantiam completam ad habendam vnam potiùs, quàm aliam denominationem accidentalem: indé est ad rationem causæ proprie formalis spectare rationem actus, qui cum duplex sit, alius primus, nimirum substantialis, alius secundus nimirum accidentalis, consequens est, vt duplex sit causa formalis, alía substantialis, quæ facit totum substantiale, alia accidentalis, quæ facit totum accidentale: vnde patet discrimen accurate notandum inter formam substantialem, & accidentalem relate ad effectus formales, quos præstant; substantialis enim fácit effectum formalem, nimirum concretum substantiale, quod eam significat, & pro ea supponit; accidentalis verò facit effectum formalem, nimirum concretum accidentale, quod eam significat, & pro ea non supponit. Ratio à priori huius discriminis est, quia causa formalis concreti substantialis semper est perfectior causa materiali intrinseca, quæ est materia prima, ergo non debet sistere in materia primá, sed in toto, cuius est pars: é contrario causa formalis concreti accidentalis est semper imperfectior causa materiali intrin-

seca

seca, quæ est materia secunda, hæc enim est substantia, illa accidens, adeoque entis ens ordinatum ad tribuendam totam suam perfectionem alteri enti à se distincto, ergo non debet sistere in toto accidentali, cuius ipsa est pars; sed in substantia, quam perficit, adeoque concretum accidentale significat, & non supponit pro causa formali.

13 Cauendam hic moneo æquiuocationem puerilem inter id, quod est accidentale toti concreto secundum id, pro quo supponit, & id, quod est accidentale toti concreto secundum omne id, quod significat: repugnat enim formam esse accidentalem concreto secundum omne id, quod significat: quomodo enim potest esse accidentale rei, id, quod est essentiale rei? non repugnat formam esse accidentalem concreto secundum id, pro quo supponit, quia albedo est accidentalis albo secundum id, pro quo album supponit, nimirum parieti. Hac de causa concretum accidentale aliud est intrinsecum, aliud extrinsecum, quia forma est extrinseca, vel intrinseca subiecto, pro quo supponit totum concretum, licet sit intrinseca, immò essentialis concreto secundum omne id, quod significat.

14 Dictum notanter fuit solam formam esse proprié causam formalem, quia nomen causæ formalis solet á plerisque vsurpari ad significandam promiscué quamcumque causam intrinsecam, quæ sine dubio ad solam formam non restringitur, vt constat ex dictis, ea potissímum de causa, quia causa intrinseca non nisi communicándo, & exhibendo se ipsam causat, quod in causam formalem euidentissimè cadit. Id, quia spectat ad quæstionem de voce apud me omninò inutilem, liberum omnibus relinquo nomen causæ formalis saltem impropriè tribuere cuicumque causæ intrinsecæ, & potissimum ma-

teriæ, quæ est causa materialis intrinseca compositi.

15 Dico tertio: effectus formalis causæ formalis est totum compositum.

16 Ratio est, quia materia non potest esse effectus formalis formæ, aliter constitueretur intrinsecè per formam, & ab ea inadæquatè distingueretur, quod repugnat, ergo compositum, quod intrinsecé constituitur per formam, est effectus formalis causæ formalis.

17 Dico vltimo. Repugnat effectus formalis sine causa formali, & causa formalis sine effectu formali.

18 Ratio, cur repugnat effectus formalis sine causa formali, est, quia repugnat constitutum sine constitutiuis; sed effectus formalis comparatur cum causa formali, sicuti constitutum cum suo constitutiuo, ergo &c. Hinc est repugnare album sine albedine, hominem sine Anima, repugnantia, quæ fundatur in hoc principio: *non potest idem simul esse, & non esse*. Ex quo sequitur neque diuinitús fieri posse, vt noua denominatio obiectiua existat quando non existit noua forma, quia denominatio obiectiua est formalissimé effectus formalis: forma veró denominans est causa formalis: sed repugnat effectus formalis sine causa formali: ergo repugnat noua denominatio obiectiua sine noua forma; denominatio inquam obiectiua, ne confundatur cum formali; illa enim antécedit omnem cognitionem, & à cognitione est distincta, ita albedine informante parietem verùm est obiectiué parietem esse album, quia veré paries denominatur albus denominatione obiectiua indistincta ab effectu formali, quem nullo intellectu cogitāte facit albedo. Huiusmodi denominatio est fundamētum denominationis formalis, nimirum il-

illius cognitionis, quam intellectus format, affirmando parietem album.

19 Ratio, cur repugnet causa formalis sine effectu formali, est, quia repugnat formam existere in subiecto capaci, & non præstare effectum formalem: quomodo enim potest albedo informare parietem capacem perfici ab albedine, & istum non reddere album? sed causa formalis est forma existens in subiecto capaci, cum sit forma determinans aliam partem indifferentem ad aliquam speciem entis, vt demonstratum est, ergo &c. Indè est, quod huiusmodi repugnantia fundatur in repugnantia, quam habet quælibet res ad existendum simul, & non existendum, siue, quod idem formalissimè est, ad existentiam constitutiui non existente cōstituto: causa enim formalis licet non sit adæquatum constitutiuum cōpositi, adeoque non sit causa adæquata effectus formalis, id enim repugnat causæ intrinsecæ, quæ est essentialiter inadæquata; nihilominus connotat aliud constitutiuum, adeoque nunquam potest esse causa formalis, quin existat adæquatum constitutiuum compositi: Ratio à priori est, quia causa formalis, etiamsi non sit formaliter capacitas subiecti, eam tamen essentialiter connotat, forma enim non præstat, nec præstare potest effectum suum formalem, nisi existat in subiecto habente capacitatem recipiendi perfectionem formæ; sed capacitas subiecti est formalissimè causa materialis intrinseca, quæ simul cum causa formali facit totum compositum, ergo nunquam potest esse causa formalis non existentibus omnibus constitutiuis compositi.

20 Ad primum patet ex dictis.

21 Ad secundum concedo maiorem, & distinguo minorem: non influit intrinsecè: nego minorem: extrinsecè: concedo minorem, & nego consequentiã,

Causa formalis influit in effectum formalem tradendo seipsam, adeoque componendo, quod spectat ad causam intrinsecam, quæ propterea distinguitur inadæquatè ab effectu, quem inadæquate constituit.

22 Ad tertium: concedo maiorem, & nego minorem. Ad eius probationem distinguo antecedens: forma est intrinseca materiæ intransitiuè: nego antecedens: transitiuè: concedo antecedens, & nego consequentiam. Forma est intrinseca composito intransitiuè, quia constituit compositum; est intrinseca materiæ transitiue, quia est in materia per vnionem physicam.

23 Ad quartum: nego maiorem. Ad eius probationem concedo maiorem, & nego minorem: hæc propositio *præter causam intrinsecam nihil intrinsecè causat*, quæ videtur vera, est apertè falsa, vt ex conceptu causæ intrinsecæ tibi demonstro. Repugnat causam intrinsecam esse vnam tantùm, quia repugnat vnicam esse partem, quæ constituit totum, indè est falsam esse propositionem, quæ ait nihil esse, quod intrinsecé causat præter vnam causam intrinsecé causantem, dicit enim vnam tantum esse partem, quæ constituit totum. Falsum pręterea est omnes causas intrinsecas ita causare, vt præter illas nihil intrinsecé causet, id enim non est verum de omnibus distributiuè, vel collectiuè acceptis: non est verum de omnibus collectiuè, quia suppositum est falsum, adeoque propositio est falsa falsitate suppositi, assumit enim omnes collectiué causare: non distributiuè, quia quælibet ita causat, vt præter illam alia causet, quod non est verum, si omnes distributiué ita causant, vt præter ipsas nihil aliud causet, quia id, quod verè prædicatur de omnibus distributiuè, debet verè prędicari de singulis, ergo si verè prædicatur de omnibus causis intrinsecis distributiuè

uè acceptis, ita cauſare, vt nihil aliud cauſet, debet hoc idem verè prædicari de ſingulis, quod repugnat, quia forma non ita cauſat, vt nihil aliud cauſet.

24 Rationem à priori petere debemus ex doctrina Summuliſtica, quam video à paucis obſeruatam circa ſenſum diſtributiuum, & collectiuum. Non eſt idem propoſitionem eſſe copulatiuam, & eſſe de ſubiecto ſupponente collectiuè, quia datur propoſitio ſimplex, adeoque nullatenus copulatiua, cuius ſubiectum ſupponit collectiue, vt videre eſt in hac propoſitione: *Omnes Apoſtoli ſunt* 12. Subiectū enim ſupponit collectiuè, propoſitio autē non eſt copulatiua neque formaliter, vt eſt certum, neque reductiuè, quia non conſtat ex duplici ſubiecto, ſicuti conſtare debet propoſitio copulatia reductiuè, qualis eſt iſta: *Petrus, & Parlus currunt*, quæ reſoluitur in iſtas *Petrus currit, & Paulus currit*. Propoſitio, cuius ſubiectum ſupponit diſtributiuè, poteſt, immó debet eſſe hypothetica, adeoque copulatiua: ratio eſt, quia huiuſmodi propoſitio habet multiplex ſubiectum, cum tot habeat ſubiecta, quot ſunt ſingularia, quæ continentur in termino vniuerſali diſtributiuè accepto, vt oſtenſiuè demonſtrat hæc propoſitio: *omnes Diſcipuli ſtudent*, quæ eſt copulatiua, & reſoluitur in tot propoſitiones, quot ſunt diſcipuli, qui ſtudent: inde eſt, quod propoſitio, quæ conſtat ex ſubiecto ſupponente diſtributiuè, eſt copulatiua, adeoque non poteſt eſſe vera, niſi reſolui poſſit in plures propoſitiones veras, in quibus totum prædicatur de ſingulis in ſubiecto incluſis: quia verò iſta propoſitio: *hæc cauſa intrinſeca, nimirum materia ita cauſat, vt præter ipſam nihil aliud cauſet*, eſt euidenter falſa, conſequens eſt, vt ſit falſa iſta propoſitio; cuius ſubiectum ſupponit diſtributiuè: *omnes cauſæ intrinſecæ, ita cauſant, vt præter illas nihil*

intrinsecè causet, quod erat demonstrandum.

24 Addo id totum sequi ex conceptu causæ intrinsecæ, cui repugnat ratio causæ adæquatæ non repugnans causæ extrinsecæ, quæ à suo effectu adæquatè distinguitur.

25 Ad vltimum constat ex dictis.

QVAESTIO II.

Vtrum causalitas causæ formalis sit vnio.

1 Videtur non esse primo, quia causalitas causæ formalis distinguitur à causalitate causæ materialis intrinsecæ; sed vnio formæ cum materia non distinguitur ab vnione materiæ cum forma; ergo causalitas causæ formalis non est vnio. Maior probatur, quia causalitas causæ formalis est informatio, & materialis materializatio, sed informatio non est materializatio, ergo &c.

2 Secundo: vel omnis, vel nulla vnio est causalitas causæ formalis; non omnis; ergo nulla. Minor probatur, tum quia accidentia panis vniuntur corpori Christi in Sacramento Eucharistiæ, & tamen nullum præstant effectum formalem; tum quia Verbum diuinum communicatur naturæ humanæ vera, & reali vnione, & tamen non est causa formalis, ergo &c.

3 Tertio: vnio formæ cum materia non minùs determinat formam ad perficiendam materiam, quàm materiam ad perficiendam formam, sed quatenus determinat materiam ad perficiendam formã non est causalitas causæ formalis, ergo neque quatenùs determinat formam ad perficiendam materiam.

4 Respond: causalitatem causæ formalis esse ipsam

sam formalem vnionem formæ cum materia.

5 Probatur: determinatio formalis formæ ad informandam materiam est formalissimè vnio formæ cum materia; sed causalitas causæ formalis est formalis determinatio formæ ad informandam materiam, ergo causalitas causæ formalis est vnio formæ cum materia. Maior patet ex disp. 4. qu: 2 num. 4. mi: prob: causalitas causæ formalis est formalis determinatio causæ formalis ad faciendum effectum formalem, sicuti causalitas causæ extrinsecæ, materialis, vel efficientis est formalis determinatio ad effectum producendum passiuè, vel actiuè; sed formalis determinatio formæ ad informandam materiam est formalis determinatio causæ formalis ad faciendum effectum formalem, quia effectus formalis, quem præstat forma, est compositum, vt ostensum est qu. 1. num. 15 compositum autem nihil aliud formalissimè est præter materiam, & formam se mutuò perficientes, adeoque præter formam informantem materiam, cum fieri non possit, vt forma informet materiam, & materia non recipiat formam, eamque transitiuè non perficiat, ergo &c.

6 Hinc est, quod ad causalitatem causæ formalis, quæ est proprie causa formalis, requiritur vt vnio communicet subiecto formam, quæ est propriè forma: & quia forma, quæ est propriè forma, vel est substantialis, quæ nimirum facit totum substantiale, vel accidentalis, quæ facit totum accidentale; ideò causalitas causæ formalis debet esse vnio, quæ communicat, vel substantiam incompletam alteri substantiæ incompletæ, vel accidens substantiæ completæ, adeoque debet esse vnio alicuius entis, quod non solum perficit, sed etiam perficitur. Huiusmodi vnio non potest esse causalitas causæ formalis, nisi etiam sit causalitas causæ materialis intrinsecæ, quæ

est

est causalitas causæ materialis componentis totum compositum: ratio est euidens, quia vnio formæ cum materia non potest determinare formam ad informandam materiam, nisi determinet materiam ad recipiendam formam, sed non potest determinare materiam ad recipiendam formam, nisi determinet materiam ad constituendum compositum, adeoque ad causandum intrinsecé compositum, ergo non potest esse causalitas causæ formalis, nisi etiã sit causalitas causæ materialis intrinsecæ: ideó vnio, quæ communicat materiam formæ, est causalitas vtriusque causæ intrinsecæ, nimirum formæ, quæ causat formaliter, & materiæ, quæ causat materialiter compositum. Vndè sequitur causam formalem causare communicando se ipsam composito tamquã actum receptum in materia, eamque determinantem ad esse specificum substantiale, vel accidentale; causam verò materialem intrinsecam causare communicando se ipsam composito tanquam subiectum determinabile; cæteras verò causas intrinsecas, quæ causant aliquod totum communicando, & exhibendo se ipsas, reduci ad causam materialem; & formalem, adeó vt illa, quæ causat determinata, exerceat munus causæ materialis; illa verò, quæ causat determinando, exerceat munus causæ formalis.

7 Ex hoc toto discursu euidens est causam formalem non præscindere ab aliqua imperfectione: ratio est, quia non præscindit à conceptu partis; sed conceptus partis est conceptus entis imperfecti, cum pars quatenus talis constituat totum, quod est simpliciter perfectius singulis partibus, ergo causa formalis non præscindit ab imperfectione. Quia verò conceptus causæ non præscindentis ab imperfectione repugnat Deo, ideo non potest Deus esse causa formalis, adeoque supplere non potest defectum

cau-

causæ formalis, si enim suppleret defectum causæ formalis, esset pars alicuius compositi, quod infinitæ eius simplicitati euidenter repugnat. Hæc est ratio, cur Deus non possit naturam creatam assumere in vnitatem naturæ, possit veró in vnitatem personę,, siuè suppositi, adeoque non sit possibilis alia vnio physica Creaturæ cum Deo præter hypostaticã, quia repugnat ens perfectissimum communicari cũ alio ente, & perfici; sed illud ens, quod vnitur alteri enti in vnitatem naturæ perficitur per talem communicationem, vt videre est in materia, & forma, quæ ita vniuntur, adeoque mutuo perficiuntur, ergo repugnat ens perfectissimum ita communicari álteri enti, vt cum eo faciat vnam naturam. Indé est, quod Verbum diuinum non potest ita vniri corpori, vt in genere cáusæ formalis animet corpus, quia si hoc præstare posset, vtique posset transire in tertiã naturam cum corpore, adeoque posset cum ipso facere vnum principium commune operationum, quod procul dubio repugnat. Hic de causa Sanctissimum Christi Corpus ab Anima separatum fuit verum cadauer, etiamsi retinuerit vnionem hypostaticam cum Verbo diuino, quod in triduo mortis contigit, quia nimirum Verbũ non fuit vnitum corpori vnione, qua vnitur Anima corpori, quæ est ipsa formalis vita corporis, sed vnione, qua vnitur suppositum naturæ: é contrario potest Deus assumere naturam creatã in vnitatẽ personæ, quia ex capite istius vnionis non sequitur Deum esse causam formalem, siuè partem alicuius compositi, sed tantum sequitur Deũ retinentem totum suum esse personale, communicare naturæ distinctæ suam perfectionem, quod non solum non repugnat, sed maximè conuenit infinitæ perfectioni, quam decet itá se effundere, vt perficiat, & non perficiatur, vt ostensum fuit disp. 6. qu. 3. num. 10.

8 Ad primum dist. ma: causalitas causæ formalis distinguitur realiter à causalitate causæ materialis intrinsecæ; nego ma: distinguitur formaliter concedo ma: & distincta min· nego consequentiam. Eadem realiter vnio est causalitas, quia materia, & forma causant compositum: quatenus causalitas materiæ, dicitur materializatio, quatenus causalitas formæ, dicitur informatio: ideò materializatio non distinguitur nisi formaliter ab informatione, etiamsi causa materialis intrinseca distinguatur realiter á formali, eo modo, quo materia distinguitur realiter á forma, licet formalis determinatio materiæ ad perficiendam formam distinguatur solùm formaliter à formali determinatione formæ ad perficiendam materiam.

9 Ad secundum: nego ma: Ratio est, quia vnio quæ est causalitas causæ formalis, est vnio duplicis extremi, quæ inuicem comparantur sicuti actus, & potentia; sed non omnis vnio est huiusmodi, vt patet in hypostatica, quæ non communicat Verbum humanitati tanquam actum potentiæ, quia licet natura humana possit perfici, & actu perficiatur à Verbo, non proindè Verbum est forma: præterea idem contingit in vnione, qua corpus Christi vnitur accidentibus Eucharisticis, ea enim non est causalitas causæ formalis, quia corpus Christi non potest perfici ab accidentibus panis, eo quod non existit sub speciebus panis existentia propria rerum materialium.

10 Ad tertium concedo ma: & mi: & nego consequentiam. Disparitas est, quia causalitas causæ formalis est ratio formalis, quæ determinat vnam partem ad actuandam, & informandam aliam; sed vnio materiæ cum forma quatenús talis non determinat vnam partem ad informandam aliam, quia

ma-

materia non informat, ſed informatur, ergo quatenús talis non eſt cauſalitas cauſæ formalis, ſed tanmen cauſę materialis intrinſecę.

DISPVTATIO DECIMA

De Cauſa efficiente.

Celeberrima omnium cauſarum eſt efficiens, tùm quia nihil eſt magis notum cauſa efficiente, túm quia per analogiam ad hanc cauſam cæteræ cauſæ explicantur.

QVAESTIO I.

Vtrum virtus cauſæ efficientis ſit continentia perfectionis.

1 EXiſtentia cauſæ efficientis in dubium vocari non poteſt, quia plurima de nouo fieri experimur; quæ vtique fieri non poſſunt niſi ab aliquo fiant; huiuſmodi cauſam, quam ab efficiendo, vocant efficientem, & actiuam, definit Philoſophus in 6. Metaph. cap. 2. & in 6. Phyſic. cap. 3. *eſſe id, vndè primum principium mutationis, aut quietis*: Hæc definitio, quæ eſt ſubobſcura, & vt inquit Suar. diſp. 17. ſect. 1. indiget interpretatione, vt ad verum ſenſum

sum reducatur, euidentius declaratur per istam, quam ex S. Thoma tradit Ruuius in 2. Physic quæst. 1. *est primum principium per se, à quo procedit actio, vel motus, atque effectus.* Dicitur *primum principium per se* tum ad excludendas causas per accidens, quæ nullatenus habent rationem principij influentis, tum ad ostendendam dignitatem, & excellentiam huius causæ supra cæteras causas physicé causantes: Dicitur *à quo procedit actio*, vt excludatur causa materialis, ex qua procedit effectus, & finalis, cuius gratia producitur effectus.

2 Diuiditur causa efficiens ab eodem Aristotele ibidem in physicam, quæ habet realem influxum in effectum, & vocatur necessaria, si positis omnibus requisitis ad agendum, non potest non agere; libera si eisdem positis potest non agere: & in moralem, quæ non influit physicè in effectum, sed in ordine ad mores & humanam extimationem perindè se habet, ac si influeret; quia effectus, qui sequitur, eidem imputatur ad meritum, vel culpam non minus, quam si physicé produceretur: huius causæ rationē induit, qui consulit, præcipit, vel non impedit culpam, quam potest, & tenetur impedire.

3 Causa physica, quæ est proprié causa efficiens alia principalis, alia instrumentalis; illa per propriā virtutem influit, ista ágit in virtute alterius causæ: causa principalis iterum diuiditur in prímam, & secundam, in vniuocam, & æquiuocam. Causa prima est illa à qua omnes dependent, ipsa verò à nulla dependet: huiusmodi est Deus causa nimirum incausata: causa secunda est illa, quæ ab alia causa dependet: huiusmodi alia est particularis, vt homo, qui generat hominem, alia vniuersalis, vt corpora cœlestia, & præsertim sol, qui influit in omnes effectus rerum sublunarium, causa æquiuoca producit effectum

ctum diuerſæ ſpeciei, ita Deus eſt cauſa æquiuoca cuiuſcumque creaturæ, & ſol eſt cauſa æquiuoca auri, quod producit in viſceribus terræ: cauſa vniuoca producit effectum eiuſdem ſpeciei, vt homo, qui generat hominem. Ex quo ſequitur, diſcrimen inter cauſam vniuocam, & æquiuocam in eo poſitum eſſe, quod æquiuoca ſemper eſt perfectior ſuo effectu, ſecús vniuoca, adeoque ſol continet eminentur totam perfectionem auri; homo veró continet formaliter perfectionem alterius hominis, quia ſol non eſt eiuſdem perfectionis eſſentialis cum auro, homo veró, qui generat, habet eamdem perfectionem eſſentialem, quam habet homo, qui generatur.

4 Circa virtutem, quæ requiritur ad cauſam efficientem, occurrit difficultas non leuis momenti; an nimirùm ea ſit continentia perfectionis: vndé videtur originem traxiſſe illud, quod de cauſa efficiente eſt frequentiſſimè apud Philoſophos ex doctrina Sancti Thomæ decantatum: *vnumquodque in tantum agit, in quantum eſt in actu*. Nomine autem continentiæ perfectionis ſignificatur continentia non ſolum formalís, ſed etiam eminentialis, cuius tritum exemplum eſt illa continentia, qua tota rerum creatarum perfectio in Deo continetur.

5 Ratio dubitandi eſt primo, quia continenti perfectionis eſt continenti effectus in cauſa, ſed non datur continentia effectus in cauſa, ergo non datur continentia perfectionis, ergo virtus cauſæ efficientis non eſt continentia perfectionis. Mi:prob:quia effectum contineri in cauſa eſt formaliſſimé effectum eſſe in cauſa, ſicuti aquam contineri in fonte, & pecuniam in arca eſt aquam hauriendam, eſſe in fonte, & pecuniam erogandam, eſſe in arca, ſed effectus non eſt in cauſa, quia repugnat eſſe rem antequam ſit, ergo &c.

6 Se-

6 Secundo, continentia perfectionis si non est continentia effectus in causa, sicuti continentia aquæ in fonte, vel est formalis, vel eminētialis: non formalis, quia causa æquiuoca est causa efficiens, & tamen non præcontinet formaliter effectum; non eminentialis, quia exponere virtutem causæ efficientis per continentiam eminentialem est formalissimè exponere virtutem causæ efficientis per ipsam virtutem causæ efficientis; continentia enim eminētialis est virtus producendi effectū specie diuersum, quod est nugari potiús, quàm philosophari, ergo huiusmodi continentia non est virtus causæ efficientis.

7 Tertio: sol, & cætera corpora cœlestia habent virtutem influendi in corpora sublunaria; sed huiusmodi virtus non est continentia eminentialis, ergo virtus causæ efficientis non est continentia eminentialis. Minor probatur, quia dantur plurima corpora sublunaria, quæ sunt perfectiora corporibus cœlestibus, vt patet in rebus viuentibus, quæ habent perfectionem vitæ; sed perfectio vitæ est pura perfectio vtporè melior ipsa, quam non ipsa, ergo &c.

8 Quarto. Datur causa adæquata in genere causæ secundæ, quæ non præcontinet totam perfectionem specificam effectus; ergo idem, quod prius. Antecedens probatur, quia plurima nascuntur animalia, quorum adæquata causa secunda non habet perfectionem vitæ, vt patet in illo genere animalium, quæ non formantur ex semine, tempore enim æstiuo pluuia in puluerem cadente non semel generantur ranæ, ergo &c.

9 Quinto: nulla causa secunda continet adæquatè totam perfectionem effectus, quem producit, sed datur causa secunda, quæ est causa efficiens adæquata, ergo causa effectus adæquata non præcontinet formaliter, vel eminenter effectum. Ma: probatur.

batur. Nulla cauſa ſecunda habet hanc perfectionem, quam habet effectus, nimirum diſtinctionem ab imperfectione cauſæ, ergo &c.

10 Vltimo. Anima rationalis continet formaliter perfectionem alterius animæ, ſicuti ignis continet formaliter perfectionem alterius ignis: ſol præcontinet formaliter perfectionem alterius ſolis poſſibilis intra eandem ſpeciem: præterea Angelus continet eminenter perfectionem hominis; ſed Anima, Sol, & Angelus non habent virtutem producendi aliam Animam, alium ſolem, & hominem, ergo virtus cauſæ efficientis non eſt continentia formalis, vel eminentialis illius perfectionis, quæ eſt in effectu. Contra hanc ſententiam.

11 Dico primo. Ad virtutem cauſæ efficientis non eſt neceſſe, vt illa perfectio indiuidualis, quæ eſt indiſtincta ab effectu, ſit identicè in cauſa.

12 Hæc concluſio eſt euidens, eamque demonſtrat hoc argumentum. Repugnat perfectionem indiſtinctam ab effectu eſſe identicè in cauſa, ergo exiſtentia huiuſmodi perfectionis in cauſa non conſtituit virtutem cauſæ efficientis. Antecedens probatur primo, quia effectus diſtinguitur realiter à ſua cauſa, adeoque eſt veré de illa negabilis; ſed ſi perfectio indiſtincta ab effectu eſſet identicè in cauſa, effectus non diſtingueretur à cauſa, ergo &c. ſecundo cauſa efficiens vel eſt prima cauſa, vel ſecunda: ſed repugnat cauſam primam habere identicé perfectionem indiſtinctam ab effectu, quia huiuſmodi perfectio non eſt perfectio pura, ſed imperfecta, nimirum mixta cum imperfectione: præterea repugnat cauſam ſecundam habere perfectionem indiſtinctam ab effectu, alioquin nullam haberet perfectionem effectus, quam non haberet cauſa ſecunda, quod repugnat conceptui entis creati, ergo &c.

13 Hinc sequitur, nullũ effe effectũ, qui habeat positiuè aliquam perfectionem simpliciter simplicẽ, siuè perfectionem puram. Ratio est, quia perfectio simpliciter simplex est melior ipsa, quam non ipsa; sed nulla res, quæ non sufficit sibi ad existendum, habet perfectionem, quæ sit positiuè melior ipsa, quam non ipsa, ergo nulla res, quæ non sufficit sibi ad existendum, habet perfectionem simpliciter simplicem, siue puram positiué, ergo nullus effectus, qui est formalissimè ens sibi non sufficiens ad existendum, habet huiusmodi perfectionem. Minor probatur. Nulla perfectio realiter indistincta ab imperfectione est positiue melior ipsa, quam non ipsa, vt ex terminis patet, sed omnis perfectio, quam habet res sibi non sufficiens ad existendum, est realiter indistincta ab imperfectione, ergo &c. Quia veró nulla est perfectio licet imperfecta, quæ per cognitionem præcisiuam nõ possit secerni ab imperfectione, perfectio autem præcisa ab omni imperfectione est perfectio pura præcisiue, ideo nullus est effectus, in quo non reperiatur aliqua perfectio simpliciter simplex, & pura præcisiué; cum autem manifestum sit in Deo nullam esse perfectionem imperfectam; sed omnem perfectionem diuinam esse positiué puram perfectionem; consequens est, vt perfectio creata non nisi eminenter existat in Deo, qui nimirum debet eminentiori modo in se continere quidquid perfectionis in rebus omnibus continetur. Vnde nascitur id esse accuraté obseruandum, cum à creatis ad Deum ascendimus, vt illa prædicata, quæ nullam formaliter imperfectionem inuoluunt, transferamus formaliter in Deum, eminenter verò, quæ ab imperfectione non præscindunt.

14. Dico secundo. Continentia formalis, vel eminentialis effectus in causa, est similitudo, quam ha-

habet effectus cum ſua Cauſa, vel in ſpecie, vel in aliqua perfectione diuerſa á perfectione tranſcendentali entis.

15. Patet explicatis terminis. Ignis continetur formaliter in alio igne: homo genitus in homine generante; quia duo ignes, & duo homines ſunt eiuſdem ſpeciei, adeoque habent ſimilem eſſentiam, quæ ſimilitudo, vt dictum eſt tomo 1. diſp. 7. qu. 3. num. 7. facit eandem eſſentiam de duobus hominibus formaliter prædicabilem: cognitio continetur eminenter in cognoſcente, ſiué in intellectu, quia licet cognitio, & cognoſcens non ſint eiuſdem ſpeciei, nihilominús cognitio, & cognoſcens conueniunt in aliqua perfectione diuerſa á perfectione entis, nimirùm in perfectione vitæ, quæ poteſt abſtrahi á cognitione, & cognoſcente, & de vtroque prædicari ſaltem analogicé.

16 Dico tertio. Huiuſmodi continentia formalis, vel eminentialis eſt neceſſaria ad conſtituendam virtutem cauſæ efficientis.

17. Probatur; Virtus cauſæ efficientis eſt virtus dandi eſſe effectui ex abundantia perfectionis; ſed huiuſmodi virtus neceſſarió includit continentiam formalem, vel eminentialem effectus in cauſa, ergo, &c. Ma. patet, quia cauſa efficiens eſt cauſa actiua. Min. probatur primó, quia nemo poteſt dare id, quod in ſe non habet: ſecundó quia omne agens producit effectum ſimilem ſibi: tertió quia effectus accipit á cauſa totam perfectionem, quam habet, cum ſibi non ſufficiat ad exiſtendum, adeóque repræſentat perfectionem exiſtentem in cauſa. Hinc eſt, quod effectus, qui procedit à cauſa in ſimilitudinem naturæ, continetur in cauſa formaliter; quo genere continentiæ cauſa vniuoca præcontinet effectum, quem producit: effectus veró, qui non

procedit á causa in similitudinem naturæ, continetur eminenter; quo genere continentiæ causa æquiuoca præcontinet effectum.

18. Dico quarto. Continentia eminentialis, quæ tanta est, vt nullus gradus perfectionis puræ sit abstrahibilis ab vno ente, qui non reperiatur formaliter in alio ente, est ratio sufficiens, cur vnum ens ab alio ente possit adæquaté produci in genere causæ efficientis.

19. Prob. Huiusmodi continentia est formalissimé perfectio infinita in genere entis: sed perfectio infinita in genere entis est perfectio sufficiens ad constituendam virtutem actiuam cuiuscumque entis, ergo, &c. Min. est euidens, quia perfectio infinita in genere entis est perfectio diuina, quæ est omnis perfectio: omnis autem perfectio est formalissimé omnipotentia, siué virtus omnia faciendi: nám virtus operandi sequitur perfectionem existendi, adeóque necesse est, vt illud ens habeat virtutem dandi esse rebus omnibus, quod habet omne esse, & omnem perfectionem. Ma: probatur primò. Illa perfectio est infinita in genere entis, quæ non potest euadere perfectior intensiuè, hoc est æstimabilior per coniunctionem cum alio ente: sed illa perfectio, quæ itá continet aliam perfectionem, vt nullus gradus perfectionis puræ possit abstrahi, qui nō reperiatur formaliter in illa, non euadit intensiuè perfectior per coniunctionem cum alia perfectione, ergo, &c. secundó illud ens, á quo aliud ens non differt perfectione, sed tantum defectu perfectionis, habet perfectionem infinitam in genere entis, sed prædicta continentia alicuius effectus in causa est talis, vt effectus non differat perfectione á causa, sed tantum defectu perfectionis, quia si differt perfectione, habet aliquem gradum perfectionis puræ

non prædicabilem de cauſa, quod repugnat hypotheſi, ergo, &c.

20. Hæc continentia perfectionis in ſolo Deo inuenitur, qui eſt tantæ perfectionis, vt non euadat magis perfectus, nec magis æſtimabilis per conſortium Creaturæ, adeóque nulla res creata differat á Deo ex capite perfectionis, ſed ſolum ex capite imperfectionis, quia nimirum nullus gradus perfectionis puræ abſtrahi poteſt á rebus creatis, qui non poſſit verè prædicari de Deo, quod nulli alteri enti á Deo diſtincto conuenire poteſt, & ratio á priori eſt, quia omnis effectus diſtinguitur realiter á ſua cauſa, ergo á quolibet effectu poteſt abſtrahi hoc prædicatum nimirúm *diſtingui á cauſa* quod non poteſt de cauſa prædicari; ſed diſtingui á cauſa prima eſt prædicatum, quod formaliter nullam inuoluit perfectionem: diſtingui veró á cauſa ſecunda inuoluit formalíter aliquam perfectionem puram præciſiuè, quia non habere identitatem cum omni perfectione, ſiuè cum perfectione infinita, non eſt perfectio: non habere identitatem cum aliqua imperfectione eſt perfectio formaliter prædicabilis de Deo: ergo &c.

21. Ex hoc diſcurſu promouendo, & magis illuſtrando in lib. de Ortu, & interitu, vbi neceſſitatem concurſus cauſæ primæ ad omnes effectus cauſæ ſecundæ demonſtrabimus, apertè conſtat nullam cauſam ſecundam eſſe adęquatam ſufficientiam effectus, ſolam eſſe cauſam primam, quæ ſicuti habet infinitum eſſe, itá éminentiſſimè continet virtutem, & perfectionem rerum omnium.

22 Dico vlt. Quælibet continentia formalis, ſiuè eminẽtialis, quę eſt minor prædicta, non ſufficit ad conſtituendam virtutem cauſæ efficientis.

23 Probatur oſtenſiuè. Non omnis continentia

perfecte, vt nullum gradum perfectionis puræ habeat effectus, quem non habet causa: huiusmodi est sola causa prima, in qua demonstratum est contineri eminenter quidquid perfectionis est in rebus creatis. Causa adæquata in suo genere, siuè in genere causæ scundæ non est adæquata simpliciter, ideò nō debet habere totam perfectionem effectus, sed satis est si habeat totam perfectionem essentialem, licet non præcontineat pefectionem indiuidualem effectus, quæ in eo præcisè consistit, quod effectus destinguatur ab imperfectione suæ causæ.

25. Ad vltimum; continentia formalis, & eminentialis quam debet habere causa secunda, vt habeat virtutem actiuam effectus, non est quæcumque indeterminate continentia, sed est in aliquo certo, & determinato gradu, qui nobis à priori non innotescit, sed eum arguimus a posteriori, quando effectus à causa procedit.

QVAESTIO II.

Vtrum causalitas causæ efficientis sit actio distincta ab effectu.

1. VIdetúr non esse primo, quia causalitas causæ efficientis est dependentia actiua effectus à causa; sed huiusmodi dependentia non distinguitur ab effectu; ergo &c. Minor probatur, túm quia existente causa, & effectu existit dependéntia effectus à causa, túm quia effectus per seipsum immediate procedit á causa, ergo &c. Confirmatur, quia effectus per seipsum formaliter dependet, cum per seipsum habeat esse ab alio, quod est formalissime esse productum, & dependens, ergo &c.

2. Se-

2. Secundo. Vel omnis, vel nulla actio distinguitur ab effectu; non omnis, ergo nulla. Minor probatur, quia actio creatiuá, qua creatur Angelus, non distinguitur ab Agelo, & actio, qua intellectus producit cognitionem, non distinguitur á cognitione. Maior probatur. Ideo aliqua actio distinguitur ab effectu, quia effectus accipit esse á causa, á qua dependet; sed nullus est effectus, qui non accipiat esse á causa, ergo &c.

3 Tertio: effectus non est indifferens, vt procedat á causa, quæ habet in actu primo totam virtutem operandi, ergo actio est formalissime ipse effectus: Antecedens probatur, tum quia fieri non potest, vt ignis habeat totam virtutem comburendi lignum, eique sit proximus, & tamen illud non incendat; tùm quia causa in actu primo transit ad actum secundum præcise per existentiam effectus, ergo tota ratio, cur effectus procedat á causa, est ipsa existentia effectus.

4. Quarto. Repugnat non solum naturaliter, sed etiam essentialiter, vt Deus velit effectum procedere ab vna causa, & tamen effectus non procedat, ergo decretum Dei volentis effectum procedere ab vna causa tollit indifferentiam effectus, ergo non requiritur actio distincta. Confirmatur: quia decretum Dei debet esse in priori ad existentiam effectus; sed decretum Dei tollit indifferentiam; ergo in priori ad actionem est ablata indifferentia.

5. Quinto. Non minus pendet á causa effectus, quam actio; sed actio non pendet per actionem distinctam, ergo neque effectus. Maior probatur, túm quia si est indifferens effectus, est etiam indifferens actio; túm quia indifferentia, quam habet effectus, vt sit potiùs, quam non sit, tollitur formaliter per existentiam effectus, ergo indifferentia, quam habet

6 Secundo, continentia perfectionis si non est continentia effectus in causa, sicuti continentia aquæ in fonte, vel est formalis, vel eminentialis: non formalis, quia causa æquiuoca est causa efficiens, & tamen non præcontinet formaliter effectum; non eminentialis, quia exponere virtutem causæ efficientis per continentiam eminentialem est formalissimè exponere virtutem causæ efficientis per ipsam virtutem causæ efficientis; continentia enim eminentialis est virtus producendi effectũ specie diuersum, quod est nugari potiús, quàm philosophari, ergo huiusmodi continentia non est virtus causæ efficientis.

7 Tertio: sol, & cætera corpora cœlestia habent virtutem influendi in corpora sublunaria; sed huiusmodi virtus non est continentia eminentialis, ergo virtus causæ efficientis non est continentia eminentialis. Minor probatur, quia dantur plurima corpora sublunaria, quæ sunt perfectiora corporibus cœlestibus, vt patet in rebus viuentibus, quæ habent perfectionem vitæ; sed perfectio vitæ est pura perfectio vtpore melior ipsa, quam non ipsa, ergo &c.

8 Quarto. Datur causa adæquata in genere causæ secundæ, quæ non præcontinet totam perfectionem specificam effectus; ergo idem, quod prius. Antecedens probatur, quia plurima nascuntur animalia, quorum adæquata causa secunda non habet perfectionem vitæ, vt patet in illo genere animalium, quæ non formantur ex semine, tempore enim æstiuo pluuia in puluerem cadente non semel generantur ranæ, ergo &c.

9 Quinto: nulla causa secunda continet adæquatè totam perfectionem effectus, quem producit, sed datur causa secunda, quæ est causa efficiens adæquata, ergo causa effectus adæquata non præcontinet formaliter, vel eminenter effectum. Ma: probatur.

batur. Nulla cauſa ſecunda habet hanc perfectionem, quam habet effectus, nimirum diſtinctionem ab imperfectione cauſæ, ergo &c.

10 Vltimo. Anima rationalis continet formaliter perfectionem alterius animæ, ſicuti ignis continet formaliter perfectionem alterius ignis: ſol præcontinet formaliter perfectionem alterius ſolis poſſibilis intra eandem ſpeciem: prӕterea Angelus continet eminenter perfectionem hominis; ſed Anima, Sol, & Angelus non habent virtutem producendi aliam Animam, alium ſolem, & hominem, ergo virtus cauſæ efficientis non eſt continentia formalis, vel eminentialis illius perfectionis, quæ eſt in effectu. Contra hanc ſententiam.

11 Dico primo. Ad virtutem cauſæ efficientis non eſt neceſſe, vt illa perfectio indiuidualis, quæ eſt indiſtincta ab effectu, ſit identicè in cauſa.

12 Hæc concluſio eſt euidens, eamque demonſtrat hoc argumentum. Repugnat perfectionem indiſtinctam ab effectu eſſe identicè in cauſa, ergo exiſtentia huiuſmodi perfectionis in cauſa non conſtituit virtutem cauſæ efficientis. Antecedens probatur primo, quia effectus diſtinguitur realiter à ſua cauſa, adeoque eſt veré de illa negabilis; ſed ſi perfectio indiſtincta ab effectu eſſet identicè in cauſa, effectus non diſtingueretur à cauſa, ergo &c. ſecundo cáuſa efficiens vel eſt prima cauſa, vel ſecunda: ſed repugnat cauſam primam habere identicé perfectionem indiſtinctam ab effectu, quia huiuſmodi perfectio non eſt perfectio pura, ſed imperfecta, nimirum mixta cum imperfectione: prӕtereà repugnat cauſam ſecundam habere perfectionem indiſtinctam ab éffectu, alioquin nullam haberet perfectionem effectus, quam non haberet cauſa ſecunda, quod repugnat conceptui entis creati, ergo &c.

13 Hinc sequitur, nullũ effectũ, qui habeat positiuè aliquam perfectionem simpliciter simplicẽ, siuè perfectionem puram. Ratio est, quia perfectio simpliciter simplex est melior ipsa, quam non ipsa; sed nulla res, quæ non sufficit sibi ad existendum, habet perfectionem, quæ sit positiuè melior ipsa, quam non ipsa, ergo nulla res, quæ non sufficit sibi ad existendum, habet perfectionem simpliciter simplicem, siue puram positiuè, ergo nullus effectus, qui est formalissimè ens sibi non sufficiens ad existendum, habet huiusmodi perfectionem. Minor probatur. Nulla perfectio realiter indistincta ab imperfectione est positiue melior ipsa, quam non ipsa, vt ex terminis patet, sed omnis perfectio, quam habet res sibi non sufficiens ad existendum, est realiter indistincta ab imperfectione, ergo &c. Quia verò nulla est perfectio licet imperfecta, quæ per cognitionem præcisiuam nõ possit secerni ab imperfectione, perfectio autem præcisa ab omni imperfectione est perfectio pura præcisiue, ideo nullus est effectus, in quo non reperiatur aliqua perfectio simpliciter simplex, & pura præcisiué; cum autem manifestum sit in Deo nullam esse perfectionem imperfectam; sed omnem perfectionem diuinam esse positiué puram perfectionem; consequens est, vt perfectio creata non nisi eminenter existat in Deo, qui nimirum debet eminentiori modo in se continere quidquid perfectionis in rebus omnibus continetur. Vnde nascitur id esse accuraté obseruandum, cum à creatis ad Deum ascendimus, vt illa prædicata, quæ nullam formaliter imperfectionem inuoluunt, transferamus formaliter in Deum, eminenter verò, quæ ab imperfectione non præscindunt.

14 Dico secundo. Continentia formalis, vel eminentialis effectus in causa, est similitudo, quam ha-

habet effectus cum ſua Cauſa, vel in ſpecie, vel in aliqua perfectione diuerſa á perfectione tranſcendentali entis.

15. Patet explicatis terminis. Ignis continetur formaliter in alio igne: homo genitus in homine generante; quia duo ignes, & duo homines ſunt eiuſdem ſpeciei, adeoque habent ſimilem eſſentiam, quæ ſimilitudo, vt dictum eſt tomo 1. diſp. 7. qu. 3. num. 7. facit eandem eſſentiam de duobus hominibus formaliter prædicabilem: cognitio continetur eminenter in cognoſcente, ſiué in intellectu, quia licet cognitio, & cognoſcens non ſint eiuſdem ſpeciei, nihilominús cognitio, & cognoſcens conueniunt in aliqua perfectione diuerſa á perfectione entis, nimirùm in perfectione vitæ, quæ poteſt abſtrahi á cognitione, & cognoſcente, & de vtroque prædicari ſaltem analogicé.

16 Dico tertio. Huiuſmodi continentia formalis, vel eminentialis eſt neceſſaria ad conſtituendam virtutem cauſæ efficientis.

17. Probatur; Virtus cauſæ efficientis eſt virtus dandi eſſe effectui ex abundantia perfectionis; ſed huiuſmodi virtus neceſſarió includit continentiam formalem, vel eminentialem effectus in cauſa, ergo, &c. Ma. patet, quia cauſa efficiens eſt cauſa actiua. Min. probatur primó, quia nemo poteſt dare id, quod in ſe non habet: ſecundó quia omne agens producit effectum ſimilem ſibi: tertió quia effectus accipit á cauſa totam perfectionem, quam habet, cum ſibi non ſufficiat ad exiſtendum, adeóque repræſentat perfectionem exiſtentem in cauſa. Hinc eſt, quod effectus, qui procedit à cauſa in ſimilitudinem naturæ, continetur in cauſa formaliter; quo genere continentiæ cauſa vniuoca præcontinet effectum, quem producit: effectus veró, qui non

procedit á causa in similitudinem naturæ, continetur eminenter; quo genere continentiæ causa æquiuoca præcontinet effectum.

18. Dico quarto. Continentia eminentialis, quæ tanta est, vt nullus gradus perfectionis puræ sit abstrahibilis ab vno ente, qui non reperiatur formaliter in alio ente, est ratio sufficiens, cur vnum ens ab alio ente possit adæquaté produci in genere causæ efficientis.

19. Prob. Huiusmodi continentia est formalissimé perfectio infinita in genere entis: sed perfectio infinita in genere entis est perfectio sufficiens ad constituendam virtutem actiuam cuiuscumque entis, ergo, &c. Min. est euidens, quia perfectio infinita in genere entis est perfectio diuina, quæ est omnis perfectio: omnis autem perfectio est formalissimé omnipotentia, siué virtus omnia faciendi: nám virtus operandi sequitur perfectionem existendi, adeóque necesse est, vt illud ens habeat virtutem dandi esse rebus omnibus, quod habet omne esse, & omnem perfectionem. Ma: probatur primò. Illa perfectio est infinita in genere entis, quæ non potest euadere perfectior intensiuè, hoc est æstimabilior per coniunctionem cum alio ente: sed illa perfectio, quæ itá continet aliam perfectionem, vt nullus gradus perfectionis puræ possit abstrahi, qui nō reperiatur formaliter in illa, non euadit intensiuè perfectior per coniunctionem cum alia perfectione, ergo, &c. secundó illud ens, á quo aliud ens non differt perfectione, sed tantum defectu perfectionis, habet perfectionem infinitam in genere entis, sed prædicta continentia alicuius effectus in causa est talis, vt effectus non differat perfectione á causa, sed tantum defectu perfectionis, quia si differt perfectione, habet aliquem gradum perfectionis puræ

non

non prædicabilem de cauſa, quod repugnat hypotheſi, ergo, &c.

20. Hæc continentia perfectionis in ſolo Deo inuenitur, qui eſt tantæ perfectionis, vt non euadat magis perfectus, nec magis æſtimabilis per conſortium Creaturæ, adeóque nulla res creata differat á Deo ex capite perfectionis, ſed ſolum ex capite imperfectionis, quia nimirum nullus gradus perfectionis puræ abſtrahi poteſt á rebus creatis, qui non poſſit verè prædicari de Deo, quod nulli alteri enti á Deo diſtincto conuenire poteſt, & ratio á priori eſt, quia omnis effectus diſtinguitur realiter á ſua cauſa, ergo á quolibet effectu poteſt abſtrahi hoc prædicatum nimirúm *diſtingui á cauſa* quod non poteſt de cauſa prædicari; ſed diſtingui á cauſa prima eſt prædicatum, quod formaliter nullam inuoluit perfectionem: diſtingui veró á cauſa ſecunda inuoluit formalíter aliquam perfectionem puram præciſiuè, quia non habere identitatem cum omni perfectione, ſiuè cum perfectione infinita, non eſt perfectio: non habere identitatem cum aliqua imperfectione eſt perfectio formaliter prædicabilis de Deo: ergo &c.

21. Ex hoc diſcurſu promouendo, & magis illuſtrando in lib. de Ortu, & interitu, vbi neceſſitatem concurſus cauſæ primæ ad omnes effectus cauſæ ſecundæ demonſtrabimus, aperté conſtat nullam cauſam ſecundam eſſe adęquatam ſufficientiam effectus, ſolam eſſe cauſam primam, quæ ſicuti habet infinitum eſſe, itá éminentiſſimè continet virtutem, & perfectionem rerum omnium.

22 Dico vlt. Quælibet continentia formalis, ſiuè eminẽtialis, quę eſt minor prædicta, non ſufficit ad conſtituendam virtutem cauſæ efficientis.

23 Probatur oſtenſiué. Non omnis continentia

formalis, siué eminentialis est virtus actiua illius, quod in se formaliter, vel eminenter continet, quia Anima continet formaliter aliam Animam; & tamē non habet virtutem actiuam alterius Animæ: Angelus continet eminēter hominē, homo continet eminenter leonem, & tamen homo non potest causare efficienter leonem, neque Angelus hominem, ergo quælibet indeterminate continentia formalis, & eminentialis non sufficit ad constituendam virtutem causæ efficientis. Quód si vlterius quæras illum peculiarem, & determinatum gradum continentiæ, qui sufficit, dico & in genue fateor mihi esse ignotum, cum illud prædicatum, ratione cuius dicitur effectus contineri actiué in sua causa, nobis á posteriori pateat, non á priori.

24. Ad primum ex dictis patet, continentia enim effectus in causa non est existentia physica effectus, sed tantum logica in sua causa, quatenus causa habens physicé æqualem, vel maiorem perfectionem, quam habet effectus, potest illi communicare existentiam physicam.

25. Ad secundum: etiamsi idem realiter sit continere formaliter, vel eminentialiter in certo, & determinato gradu continentiæ effectum, & habere virtutem illum producendi, non est idem formaliter, quod satis est, vt explicatio non sit nugatoria: Ratio autem, cur non sit idem formaliter, est, quia continentia eminentialis est talis præcontinentia effectus in causa, vt effectus præter prædicatum distinctionis ab imperfectione causæ nullum habeat prædicatum inuoluens in suo formali conceptu perfectionem præcisam ab imperfectione, quod non reluceat in causa: hic vtique conceptus est longé clarior conceptu virtutis actiuæ, vt patet: indé est longé perfectiorem esse continentiam eminentia-

tialem, qua continetur effectus in causa prima, quám in ſecunda.

16 Ad tertium: diſt. ma: habent virtutem adæquatam: nego ma: inadæquatam: concedo ma: & min. & diſt. eodē modo conſequens. Corpora Cœleſtia ſunt cauſæ vniuerſales effectuū ſublunariū, quia ſomnes influunt, non ſunt cauſæ adæquatæ, quia indigent conſortio cauſæ particularis ad operandum. Indé eſt, quod varios effectus producunt iuxta varietatem cauſarum particularium, notanter enim dixit Philoſophus á ſole, & homine generari hominem; quia ſol non eſt cauſa adæquata hominis, licet tanquam cauſa vniuerſalis requiratur ad generationem hominis.

27. Ad quartum: dico cauſam huiuſmodi animalium, quæ non formantur ex ſemine, vel eſſe plures cauſas inadæquatas, quæ ſingillatim acceptæ non habent perfectionem vitæ, quam habet effectus productus, & collectiué acceptæ eam habent, præſertim quia vita ab hoc animalium genere participata eſt valdè imperfecta. Quod ſi aliquis effectus producitur, cuius adæquata cauſa ſecunda tàm inſtrumentalis, quám principalis, non habet formaliter, vel eminenter perfectionem ſpecificam, & eſſentialem effectus, dicendum eſt à cauſa prima maiorem exhiberi influxum ſupplentem defectum cauſæ ſecundæ, ſicuti ſupplere debet, quando dantur diſpoſitiones exigentes produci effectum, & non datur cauſa adæquata.

28. Ad Quintum: conc. ma: & diſt: min. datur cauſa ſeconda adæquata in ſuo genere: concedo min: in omni genere: nego minorem, & conſequentiam. Cauſa adæquata in omni genere eſt illa cauſa, quæ poteſt ſe ſola totum effectum producere, eo quod totam continent perfectionem effectus ata

perfectè, vt nullum gradum perfectionis puræ habeat effectus, quem non habet causa: huiusmodi est sola causa prima, in qua demonstratum est contineri eminenter quidquid perfectionis est in rebus creatis. Causa adæquata in suo genere, siué in genere causæ secundæ non est adæquata simpliciter, ideò nō debet habere totam perfectionem effectus, sed satis est si habeat totam perfectionem essentialem, licet non præcontineat pefectionem indiuidualem effectus, quæ in eo præcisè consistit, quod effectus destinguatur ab imperfectione suæ causæ.

25. Ad vltimum; continentia formalis, & eminentialis quam debet habere causa secunda, vt habeat virtutem actiuam effectus, non est quæcumque indeterminate continentia, sed est in aliquo certo, & determinato gradu, qui nobis à priori non innotescit, sed eum arguimus a posteriori, quando effectus à causa procedit.

QVAESTIO II.

Vtrum causalitas causæ efficientis sit actio distincta ab effectu.

1. Videtúr non esse primo, quia causalitas causæ efficientis est dependentia actiua effectus à causa; sed huiusmodi dependentia non distinguitur ab effectu; ergo &c. Minor probatur, túm quia existente causa, & effectu existit dependéntia effectus à causa, túm quia effectus per seipsum immediate procedit á causa, ergo &c. Confirmatur, quia effectus per seipsum formaliter dependet, cum per seipsum habeat esse ab alio, quod est formalissime esse productum, & dependens, ergo &c.

2. Se-

2. Secundo. Vel omnis, vel nulla actio distinguitur ab effectu; non omnis, ergo nulla. Minor probatur, quia actio creatiuá, qua creatur Angelus, non distinguitur ab Agelo, & actio, qua intellectus producit cognitionem, non distinguitur á cognitione. Maior probatur. Ideo aliqua actio distinguitur ab effectu, quia effectus accipit esse á causa, á qua dependet; sed nullus est effectus, qui non accipiat esse á causa, ergo &c.

3 Tertio: effectus non est indifferens, vt procedat á causa, quæ habet in actu primo totam virtutem operandi, ergo actio est formalissime ipse effectus: Antecedens probatur, tum quia fieri non potest, vt ignis habeat totam virtutem comburendi lignum, eique sit proximus, & tamen illud non incendat; túm quia causa in actu primo transit ad actum secundum præcise per existentiam effectus, ergo tota ratio, cur effectus procedat á causa, est ipsa existentia effectus.

4. Quarto. Repugnat non solum naturaliter, sed etiam essentialiter, vt Deus velit effectum procedere ab vna causa, & tamen effectus non procedat, ergo decretum Dei volentis effectum procedere ab vna causa tollit indifferentiam effectus, ergo non requiritur actio distincta. Confirmatur: quia decretum Dei debet esse in priori ad existentiam effectus; sed decretum Dei tollit indifferentiam; ergo in priori ad actionem est ablata indifferentia.

5. Quinto. Non minus pendet á causa effectus, quam actio; sed actio non pendet per actionem distinctam, ergo neque effectus. Maior probatur, túm quia si est indifferens effectus, est etiam indifferens actio; túm quia indifferentia, quam habet effectus, vt sit potiùs, quam non sit, tollitur formaliter per existentiam effectus, ergo indifferentia, quam habet

bet effectus, vt sit ab hac causa, tollitur per existentiam effectus accipientis esse ab hac causa.

6. Vltimo. Huiusmodi actio distincta debet esse modus; sed non datur modus distinctus á causa, & effectu, ergo &c. Minor probatur, quia repugnat Deum plus posse cum causa secunda, quam sine causa secunda, sed sine causa secunda non potest producere actionem, quam producit cum causa secunda, ergo non datur actio distincta.

7. Respondetur causalitatem causæ efficientis esse actionem, qua effectus accipit existentiam à causa.

8. Probatur. Causalitas causæ efficientis est illa ratio formalis, quæ determinat effectum, vt accipiat esse à causa: sed huiusmodi est actio, qua agens operatur, ergo causalitas causæ efficientis est actio. Quia verò nulla causa secunda producit effectum independenter á subiecto, ideó omnis causalitas causæ secundæ efficientis est realiter indistincta à causalitate causæ materialis. Ratio est euidens, quia causalitas causæ efficientis, quæ producit effectúm dependenter á subiecto, est realiter indistincta á causalitate causæ materialis: sed omnis causalitas causæ secundæ efficientis est causalitas causæ, quæ producit effectum dependenter á subiecto, ergo &c. Minor probatur. Huiusmodi causalitas est indistincta à dependentia effectus a materia, cum illa eadem ratio formalis, quæ determinat effectum pendentem á materia, vt accipiat actiué existentiam ab agente, determinet etiam, vt accipiat passiué à materia, sed dependentia effectus à materia est causalitas causæ materialis, ergo &c. Indé est, quod actio, quæ est causalitas causæ efficientis, non distinguitur realiter á passione, quæ est causalitas causæ materialis; sed solum formaliter

9. Hu-

9. Huiusmodi actionem, seu dependentiam effectus á causa esse entitatem modalem distinctam á causa, & effectu, qui non pendet essentialiter ab illa causa, á qua procedit, demonstratur eodem argumento, quo contra Nominales demonstrauimus vnionem á materia, & formam distinctam. Implicat causa formalis sine effectu formali, sed potest existere effectus, & causa, quin effectus procedat á causa; ergo effectum procedere á causa non est formalissimé existere effectum, & existere causam; ergo dependentia effectus a causa, quæ formalissimé est actio in genere causæ formalis denominans effectum pendentem á causa, distinguitur ab existentia causæ, & effectus. Minor probatur, tùm quia existente igne *A*; qui producit ignem *B*, existit in secundò instanti idem ignis *B*, & tamen non pendet ab igne *A*, quia pendet á solo Deo, á quo conseruatur; tùm quia potest etiam in primo instanti existere vterque ignis, quin vnus pendeat ab alio, cum á solo Deo produci possit, effectus enim, qui accipit esse á causa secunda, potest accipere esse á sola causa prima, vt est indubitatum; ergo &c. Sermo fuit de effectibus, qui non pendent essentialiter, quia effectus, qui essentialiter pendent, non debent produci per actionem distinctam: huiusmodi sunt omnes substantiæ immateriales, & res illæ, quæ non possunt produci nisi per creationem; huiusmodi sunt actus vitales, qui procedunt essentialiter á principio viuente, vt dicemus in lib. de Anima.

10. Ex qua doctrina satis constat in hac controuersia, quam agitamus, sermonem esse de illis effectibus, qui possunt á Deo solo, vel á Deo simul, & causa secunda produci: huiusmodi esse plurimos inter omnes Philosophos conuenit, quia homo, qui ab homine gignitur, & lux, qua sol aerem illumi-

nat

nat possunt á Deo solo produci; non propterea in eundem scopulum offendimus, quem conamur euadere cum ponimus actionem distinctam, quia si nulla esset actio distincta, nihil Deus posset se solo producere ex ijs rebus, quas producit cum causa secunda, ob essentialem dependentiam effectus á causa secunda; quod si actio est distincta, hoc non sequitur, quia solam actionem, quæ est minimæ perfectionis, Deus non potest se solo producere, id enim repugnat in terminis, cæteros verò effectus potest solus Deus producere.

11. Ad primum: concedo maiorem: & nego minorem. Dependentia effectus á causa potest non existere existente causa, & effectu, vt nuper ostensum est, ergo distinguitur ab vtraque existentia, adeoque effectus debet procedere media actione, quæ non obstat, quo minus procedat immediatè, vt quod à sua causa. Ad confirmationem dico effectum formalem existendi prouenire ab existentia; effectum verò formalem dependendi prouenire ab actione distincta ab existentia effectus. Cæterum quæcumque res contingens per suam existentiam habet quidem esse ab aliqua causa, sed non ab illa determinatè: indé est requiri actionem distinctam, vt ab illa potiús, quam ab alia producatur.

12. Ad secundum: nego maiorem: ad eius probationem distinguo maiorem, ly quia appellante causam adæquatam: nego maiorem: inadæquatam concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Causa adæquata actionis distinctæ non est sola dependentia, vt arguens contendit, sed indifferentia effectus, quæ non militat pro quolibet effectu, vt ostensum est num. 10.

13. Ad tertium: nego antecedens. Necessitas actionis distinctæ non debet refundi in solam indifferen-

ferentiam connaturalem, quam certè non habet ignis admotus ligno ad illius incendium; sed inessentialem, quam prædictus ignis habet, cum Deus operando præter naturæ leges possit impedire incendium ligni, vt in re simili contigisse docet fides, Sacra nobis Historia reuelante Hebræis Pueris ignẽ Babylonicum nihil nocuisse: indè est posse coniungi cum naturali determinatione, quam habet ad operandum causa in actu primo expedita, aliam indifferentiam, quam voco essentialem, eaque cum determinari non possit per solam existentiam effectus, qui potest existere, quin producatur á causa habente in actu primo virtutem operandi, vt contingeret in ea hypothesi, in qua vellet Deus formam ignis se solo educere ex ligno, non obstante præsentia alterius ignis, necesse est vt determinetur per actionem distinctam.

14. Ad quartum: concedo antecedens, & distinguo consequens: ergo decrétum Dei, tollit efficienter indifferentiam causæ: concedo consequentiam, tollit formaliter: nego consequentiam. Leuissimum semper argumentum reputáui, quod in re præsenti Nominales ex diuino decreto desumunt; quia quando Deus decernit se nolle naturæ leges abrogare, vultne solam existentiam effectus, & causæ; an aliquid distinctum? non solam existentiam causæ; & effectus, quia potest vtramque velle, & velle operari præter naturæ leges, ergo aliquid distinctum, ergo actionem. Vides igitur quomodo decretum Dei non solum non destruat, sed potius adstruat actionem distinctam, licet enim tollat efficienter indifferentiam, eam non tollit formaliter, id enim præstare debet actio, quam necesse est esse obiectum decreti, quo Deus efficacissimé vult effectum emanantem á causa, sicuti decretum, quo Deus vult pa-

rie-

rietem esse album tollit efficienter, non formaliter indifferentiam parietis, quam in genere causæ formalis tollit albedo, eamque necesse est Deum velle, dum vult parietem album.

15 Ad quintum: nego maiorem: disparitas inter actionem & effectum est euidens, quia illa est ratio formalis, cur effectus procedat à causa, sed ratio formalis, cur effectus procedit, non est indifferens vt procedat, vel non procedat, ergo actio non indiget actione distincta, qua indiget effectus: indifferentia igitur quam habet effectus vt sit, vel non sit ab ista causa tollitur quidem per existentiam effectus accipientis esse a causa; sed existentia effectus accipientis esse á causa non est sola existentia effectus, includit enim existentiam actionis, quæ facit in genere causæ formalis effectum pendere ab ista causa, ergo, &c.

16. Ad vltimum: concedo maiorem, & nego minorem. Neque enim est inconueniens si Deus, qui potest se solo facere omne id, quod potest causa secunda facere, non possit sine consortio causæ secundæ producere actionem, cuius ea natura est, vt essentialiter pendeat ab illa re, cuius est modus, sufficit enim si possit se solo effectum facere, qui est finis intrinsecus, ad quem actio ordinatur. Cæterum continentia perfectionis non sufficit, vt Deus possit se solo producere actionem, propter dependentiam essentialem actionis á causa secunda; sicuti Deus non potest se solo producere meam cognitionem, licet totam eius perfectionem contineat.

QVÆ-

QVAESTIO II.

Vtrum subiectum actionis sit agens, vel passum.

1. VIdetur esse agens: primo, quia illud, quod ab aliqua forma denominatur, est subiectum formæ denominantis, sed causa denominatur agens ab actione, ergo est subiectum actionis. Confirmatur, quia actio non potest denominare passum agens, ergo non recipitur in passo, aliter eidem tribueret effectum formalem agendi, ergo &c.

2 Secundo. Agens denominatur intrinsecè, & physicè agens, ergo agens est subiectum actionis. Antecedens probatur. Non minus ab actione denominatur agens, quam à passione passum, sed passum denominatur à passione intrinsecè, & physicé passum, ergo etiam agens denominatur ab actione intrinsecè, & physicé agens.

3. Tertiò. Agere est perfectio agentis, ergo agere est intrinsecum agenti, sed agere est formalissimé actio, ergo actio est intrinseca agenti. Antecedens probatur, quia vnumquodque agit in quantum est in actu, sed esse in actu est perfectio, cum esse in potentia, quod illi opponitur, sit imperfectio, ergo &c.

4. Quarto. Agenti melius est non solum argutiuè, sed etiam formaliter agere quam non agere, ergo argere formaliter est perfectio agentis. Antecedens probatur, túm quia præcisa virtute agendi bonum est non solum passo, sed etiam agenti agere; túm quia est secundum inclinationem agentis, ergo est bonum agentis, repugnat enim inclinatio, quæ non

non est ad bonum; cum omnis inclinatio sit appetitus boni.

5. Quinto. Non solum est bonum intelligenti habere virtutem intelligendi, sed etiam intelligere, ergo agenti est bonum formaliter non solum habere virtutem agendi, sed etiam agere, ergo actio est perfectio agentis. Antecedens probatur, quia intelligens per hoc præcisè, quod actu intelligat, magis accedit ad perfectionem vitæ intelligentis. Consequentia probatur, intelligere formalissimè est agere, cum intelligere sit formaliter viuere in actu secundo, & viuere in actu secundo sit agere; sed intelligere est perfectio intelligentis, ergo agere est perfectio agentis.

6. Sexto. Agens creatum agendo non agit ex mera abundantia, sicuti agens increatum; sed agens increatum; quod non agit ex mera abundantia, quatenus agit, perficitur, ergo agens creatum quatenus agit, perficitur: ergo agere est perfectio agentis saltem limitati. Maior probatur, quia hoc est discrimen inter agens creatum, & increatum, quod illud agendo perficitur, adeoque operatur, vt indigens.

7. Septimo. Repugnat effectum esse perfectiorem sua causa: sed effectus esset perfectior sua causa: si actio reciperetur in effectu, ergo subiectum actionis non est effectus, sed causa. Minor probatur. Quando causa vniuoca producit effectum, nimirum ignis alium ignem, ignis productus habet totam perfectionem essentialem, & specificam, quam habet ignis producens, vt est manifestum, non enim loquor de perfectione indiuiduali, quæ formaliter non communicatur ab igne producente. Præterea ignis productus habet in se actionem, quæ cum sit ens, debet esse aliqua perfectio, ergo maiorem habet

bet perfectionem effectus, quam causa.

8. Vltimò. Repugnat mutua prioritas, sed mutua prioritas datur, si subiectum actionis est passum, ergo subiectum actionis non est passum. Minor probatur, quia actio est prior natura effectu, & simul est sterior, quia effectus est causa materialis actionis, cuius est subiectum, ergo &c. Confirmatur, quia plurimæ actiones recipiuntur in agente, sicuti est actio, qua intellectus producit cognitionem, ignis calorem, & essentia suas proprietates, ergo &c.

9. Respondetur. Subiectum actionis est passum, & non agens. Ratio est, quia illud est subiectum actionis, quod intrinsecè mutatur per actionem, sed per actionem mutatur intrinsecé passum, non veró agens, ergo subiectum actionis est passum non agens. Minor probatur, quia illud mutatur, quod patitur, sed passum patitur, non agens, alioquin agens, quando agit, pateretur agendo per illam eandem actionem per quam agit, quod repugnat, ergo passum mutatur physicè, & intrinsecè, non verò agens.

10. Præterea: actio est formalissimé determinatio formalis effectus ad procedendum á generante: hic enim sermo est de actione generatiua: formalis autem determinatio effectus ad procedendum à generante in genere causæ actiuæ est realiter formalis determinatio effectus ad procedendum á subiecto, siuè materia in genere causæ materialis, vt demonstratum est qu. 2. num. 8. huiusmodi determinatio, quæ in genere causæ formalis determinat effectum vt procedat a materia, debet sine dubio esse in materia tanquam in subiecto, quia non solũ est causa, cur effectus procedat á materia, sed etiam ipsa procedit à materia vtpoté materialis. Indé est, quod determinatio actiua effectus, vt procedat ab agẽte, debet esse non in agente, sed in passo, nimirum in illo subiecto,

ex quo agens naturale formam generandā educit.

11. Addo eodem modo philosophandum nobis esse de actione distincta ab effectu, ac de actione indistincta in ordine ad definiendum, an ex conceptu formali actionis inferatur eius subiectum esse agens potius, quam passum. Certum est, quod in ea hypothesi, in qua actio foret indistincta ab effectu, agens ageret sine mutatione intrinseca per solam mutatione factam in materia, quæ patitur migrando de vna forma in aliam: ideò stante distinctione actionis ab effectu, non est cur actio ponenda sit in agente, cum potiùs debeat in passo collocari, quod nimirum mutatur intrinsecè ab illa forma, ad quam vnicé ordinatur actio distincta.

12. Confirmatur, quia agere quatenus agere, quod est agere in genere causæ efficientis, præscindit ab omni imperfectione, cum Deo conueniat, qui est prima omnium causa, ergo in suo formali conceptu non inuoluit mutationem intrinsecam agenti, quia hoc mutationis genus non præscindit ab imperfectione, ergo ex suo formali conceptu non inuoluit actionem receptam in agente, quia actio recepta in agente non præscindit á mutatione intrinseca, ergo actio non debet esse in agente ex conceptu abstractissimo actionis: sed nullum aliud caput potest esse, ex quo arguitur debere esse in agente, ergo ex nullo capite debet esse in agente. Oppositum militat de passo, quod ex suo formali conceptu inuoluit mutationem, adeoque receptionem alicuius formæ, per quam intrinsecé mutetur. Qua super re monendum censeo duplicem inueniri actionē, vnam transeuntem, quæ ordinatur ad perficiendum, & mutandum subiectum ab agente distinctum: aliam immanentem quæ ordinatur ad perficiendum, & immutandum ipsum agens: in actione immanente

non

non distinguitur realiter agens, & passum, in transeunte distinguitur: exemplum immanentis est actio, qua essentia producit proprietates suas, vt ignis calorem, sol lucem, intellectus cognitionem: exemplum actionis transeuntis est actio, qua ignis educit ex ligno formam sibi similem: distinctio huius geminæ actionis habenda est ante oculos, vt omnia argumenta partis oppositæ diluantur.

13. Ad 1. vel nego, vel dist. ma. illud: quod denominatur physicè, & intrinsecè ab aliqua forma est subiectũ: cōc: ma: quod denominatur logicé, & extrinsecè: nego ma: & dist: mi: causa denominatur agens physicè, & intrinsecè: nego mi: logicé, & extrinsecé: conc: mi: & nego conseq: denominatio agentis non est intrinseca, ideò non debet prouenire ab actione intrinseca agenti, satis enim est si recipiatur intrinsecè in passo; & terminetur extrinsecé ad agens, sicuti determinatio cogniti est intrinseca cognoscenti, & extrinseca cognito, neque proindé sequitur passum, in quo recipitur actio, denominari agens, quia huius denominationis non est capax, sicuti visio, quæ recipitur in oculo, denominat oculum videntem, non visum, licet denominet obiectum visum: Vnde patet ad confirmationem.

14. Ad secundum: nego antecédens. Ad eius probationem: nego maiorem. Disparitas inter passum, & agens est euidens, quia passum quatenus tale mutatur intrinsecè, agens quatenus agens non mutatur intrinsecé, ideò Deo conuenit agere, non conuenit pati, quia est immutabilis.

15. Ad tertium: distinguo antecedens: agere est perfectio agentis formaliter: nego antecedens: arguitiué; concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad probationem antecedentis: concedo ma: & min: & nego consequentiam. Verum est

causam efficientem agere in quantum est in actu, non proinde sequitur esse formaliter perfectionem agentis ipsum agere, immó sequitur oppositum, vt ostensiué demonstro: quia si agens perficeretur formaliter agendo, Deus esset perfectior operando extra se, quam non operando ex ra se, quod repugnat infinitæ perfectioni, quam intra se Deus semper habuit. Ex quo infero illud S. Thomæ principium, quod á scholasticis omnibus fuit approbatum: *Agens agit in quantum est in actu* non esse accipiendum iu eo sensu, ad quem detorquere conantur in rem suam nostri aduersarij, qusi ipsum agere sit aliqua actualitas ageutis eiusdem perfectiua, id enim est euidenter falsum, vt ostensiuè demonstrant, quæ nuper diximus. In quo igitur sensu est verum? In eo videlicet, quod significat agens agere in quantum habet virtutem agendi: quæ virtus est actualis continentia perfectionis communicandæ effectui, quod est indubitatum, ex qu. 1. num. 9. Hac de causa actio non perficit formaliter, sed arguitiue causam; quia nimirum est argumentum infallibile perfectionis, quæ continetur in causá non habente vires dandi id, quod in se non habet. Circa intelligentiam vberiorem huiusmodi distinctionis ea sunt recolenda, quæ docuimus in tomo 1. disp. 11. qu. 2. num. 23. agendo de veritate extrinseca actui veró vbi hoc idem argumentum solet vrgeri.

16. Ad quartum: nego antecedens. Ad eius probationem dicendum agere præcisa virtute agendi, quæ antecedit ipsum agere, esse in bonum non illius, quod agit, sed illius quod recipit, siue patitur, sicuti erogare stipem pauperi est in bonum pauperis; sermo est de bono & perfectione intrinseca, quæ sola est simpliciter perfectio, non de extrinseca, quæ non est perfectio nisi secundum, quid, & cum

ter-

termino distrahente, non enim dubito an ea redundet in agens ab actione; sed ad rem præsentem non facit. Cæterũ non nego esse iuxta inclinationẽ agentis agere, & omnem inclinationem esse ad bonum, sed non est cur recognosci non debeat duplex inclinatio, alia ad dandum, alia ad recipiendum: illa oritur ex abundantia boni, ista ex idigentia; illa igitur est in ordine ab bonum non suum, sed alienum, ista ad bonum suum. Inclinatio agentis ad agendum, vtique est inclinatio ad dandum, non ad recipiendum, ideò respicit bonum non suum, quia perfectè possidet bonum suum quantum possidere potest, sed bonum effectus, cui largiri vult perfectionem, quem habet in se: id patet euidentissimè in causa prima, relatè ad quam discurrendum est de cæteris causis secundis. Deus habet inclinationem ad agendum: quæro an habeat inclinationem lucratiuam, an communicatiuam boni? vtique communicatiuam. quid enim agendo lucrari potest ille, qui omnia habet? quod si ità est: infero, ergo Deus habet inclinationem ad agendum in bonum non suum, sed nostrum.

17. Ad quintum: conc: antecedens: & nego consequentiam. Intelligere est formaliter agere simul & pati: Philosophus enim ait: *intelligere est quoddam pati*: & ratio a priori est, quia intelligere est viuere; sed viuere est agere simul, & pati, quia est recipere in se formam á se productam: nemo enim viuit, nisi recipiat in se actum vitæ, quam producit, vt est indubitatum, ergo &c. Indè est actionem, qua intellectus intelligit, & viuens viuit, esse immanentem: & quia omnis actio immanens est ab agente, quod simul est passum, inclinat enim ad producendum terminum in agente receptum, ideó actio intelligendi est ab intelligente, quod induit natu-

ram agentis, & passi, adeoque non est mirum, quod intellectio perficiat substantiam intelligentem.

18. Ad sextum: conc: ma: & distinguo minorém, agens, quod non agit ex abundantia: quatenus agit, perficitur formaliter: nego minorem: arguitiuè: transeat: min: & nego consequentiam. Discrimen inter agens creatum, & increatũ est multiplex: primó agens increatum est adæquata sufficientia effectus: secundo: increatum itá agit, vt aggregatum ex causa, & effectu non sit perfectius sola causa, secus contingit in agente creato; tertiò agens inereatum non agit, vt se perficiãt, neque secundùm speciem, neque secundum indiuiduum, agens autem creatum itá agit, vt licet non se perficiat formaliter secundum indiuiduum, perficiat se formaliter secundum speciem, quatenus multiplicat speciem, eamque videtur æternare, producendo effectum sibi similem in essentia: Quartò agens increatum itá agit, vt nullam possit consequenti tempore vtilitatem decerpere á suo effectu; quod non contingit in agente creato, ignis enim dùm producit alium ignem, habet cum illo maiores vires ad remouendum contrarium: indé est primó, agens creatum non agere ex mera abundantia, sicuti agens increatum; secundó actionem perficére arguitiuè agens creatum, quatenus plurima sunt commoda, quæ á suo effectu potest accipere.

19. Ad septimum; concedo maiorem; & nego minorem. Ad eius probationem dico non esse maiorem perfectionem in effectu, quam in causa, etiamsi actio, qua causa operatur, perficiat effectum, non causam, quia causa in se recipit illam actionem, per quam dependet ab alia causa, á qua habet esse.

20. Ad vltimum; concedo maiorem, & nego minorem. Actio est posterior natura effectu materia-

rialiter, non formaliter, quia in effectu est materia, & forma: materia non fit per actionem generatiuam, sed forma est quæ fit: subiectum igitur talis actionis non est forma, sed materia, ideò nulla est vmbra mutuæ prioritatis, adeóque notanter dictum fuit subiectum actionis esse passum, quia passum propriè est materia, quæ patitur, non forma, quæ producitur. Ad confirmationem patet ex dictis.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum idem effectus possit produci per duplicem actionem totalem.

1. VIdetur posse: primo, quia voluntas potest à duplici motiuo adæquato moueri, vt patet in ea voluntate, qua vult aliquis ire ad Basilicam Apostolorum, Religionis, & sanitatis gratia, ergo etiam duplex causa totalis potest efficienter eundem effectum producere. Consequentia probatur á pari, non enim potest afferri ratio, cur duplex finis possit, &duplex causa efficiens non possit eundem effectum producere.

2. Secundo. Admoueantur stuppæ duo ignes habentes singuli virtutem adæquatam ad incendium stuppæ, deindé ita arguitur: Vterque ignis incendit stuppam, vt suadet experientia, ergo vterque est causa, cur incendatur stuppa: sed vnusquisque est causa adæquata, ergo ignis, qui producitur in stuppa ad præsentiam duplicis ignís, pendet à duplici causa adæquatá.

3. Tertio. Vterque ignis est causa totalis in actu primo, ergo etiam in actu secundo, ergo idem, quod prius. Consequentia probatur, túm quia vterque

ignis est causa necessaria, sed causa necessaria agit quantum potest, ergo agit adæquaté, tùm quia effectus non pendet partialiter ab vno igne, & patiaiitèr ab alio, est enim indiuisibilis, ergo procedit adæquatè ab vtraque causa.

4. Quarto. Idem effectus licet non possit naturaliter procedere à duplici causa totali, & adæquata in actu secundo, potest supernaturaliter, ergo, &c. Antecedens probatur, túm quia id non repugnat, tùm quia huiusmodi consequentia non est legitima: *non potest naturaliter pendere, ergo neque supernaturaliter*, alioquin nihil posset fieri supernaturaliter, quod non potest naturaliter.

5. Quinto. Idem corpus potest supernaturáliter esse in duplici loco adæquato, cum possit habere vbicationem Romanam, & Napolitanam: Rursus duæ formæ substantiales possunt eandem materiam informare supernaturaliter, ergo etiam idem effectus potest supernaturaliter procedere á duplici causa in actu secundo. Consequentia probatur, quia non magis repugnat vnum, quám aliud.

6. Sexto. Ideò non potest, quia alterutra actio esset inutilis, sed hoc est falsum, ergo potest. Minor probátur, quia inutile est id, quod ad nullum finem conducit, sed alterutra ex duabus actionibus adæquatis conduceret ad plurimos fines, etiamsi non conduceret ad existentiam effectus, qui supponitur habere existentiam per aliam actionem: sunt enim plurimi fines nobis ignoti, quos Deus potest habere faciendo, vt ad eundem effectum adhibeatur duplex actio adæquata: cur enim non potest id velle Deus ad ostendendam suam omnipotentiam? ergo, &c. Confirmatur, quia repugnantia alicuius rei debet argui non ex defectu finis, sed ex oppositione terminorum, quæ vtique in re præsenti nulla est.

7. Septi-

7. Septimo: vtilius est effectui existere per plures, quàm per vnicam actionem adæquatam, ergo ex capite inutilitatis non repugnat duplex actio adæquata. Antecedens probatur: effectus, si existit per plures actiones, habet existentiam magis indefectibilem; sed vtilius est habere existentiam magis, quàm minus indefectibilem, ergo, &c. Min. probat, quia in ea hypothesi, in qua Deus decerneret nolle effectum existere per actionem B, effectus deberet deficere, si existeret per solam actionem B, quòd si existat etiam per actionem A, non debet deficere, vt est manifestum, ergo, &c.

8. Vltimo. Duo Sacerdotes possunt conficere idem Sacramentum Eucharistiæ, vt probabile est de facto conficere, quando nimirum Episcopus vna cum Sacerdote nuper consecrato Missam celebrat, & conficit corpus Christi: Præterea eadem peccata, quæ fuerunt remissa in Sacramento Pœnitentiæ, possunt etiam subjici iterum clauibus, adeòque iterum remitti; neque enim contra integritatem Sacramenti peccat si quis eadem peccata sæpiús confiteatur, ergo non apparet cur idem effectus, qui ab vna causa adæquata accipit esse, non possit accipere ab alia.

9. Respondetur non posse neque naturaliter, neque supernaturaliter eundem numero effectum produci per duplicem actionem totalem, & ad æquatam, siué pendere adæquatè in actu secundo duplici causa. Hanc sententiã docet S. Thom. in prima parte qu. 52. art. 3. Scotus in secundo dist. 20. quæst. 2. Vasquez in tertiam partem disp. 29. contra Ochauum, Gabrielem, Suarium, Valentiam, & Arriagam,

10. Ad cuius euidentiam sciendum est causam extrinsecam, aliam esse adæquatam, siuè totalem, aliam inadæquatam, siué partialem: illa est adæqua-

ta, ista inadæquata sufficientia effectus, illa non indiget, ista verò indiget alia causa distincta ad operandum: hinc obiectum, & intellectus sunt causa inadæquata cognitionis, quia neque obiectum, neque intellectus est adæquata sufficientia cognitionis, intellectus enim obiecto indiget, & obiectum intellectu ad formandam cognitionem, quæ est imago viua, & intentionalis obiecti. Idem fermé contingit in duobus Equis trahentibus currum: neuter enim est causa adæquata, cur moueátur currus, sed vterque est causa adæquata talis motus. Causa adæquata alia est actu primo, alia in actu secũdo: in causa adæquata in actu primo est virtus influendi adæquatè in effectum: causa adæquata in actu secundo est adæquatus influxus in effectum; quia verò actualis influxus est actio, quæ producit vt quo effectum, ideó causa adæquata in actu secundo est actio adæquata, hoc est talis actio, vt non indigeat alia actione ad agendum: vt ignis, qui admotus ligno illud incendit, est causa adæquata in actu secundo talis incendij, eò quòd actio, per quam agit huiusmodi ignis, non indiget alia actione ad agendum. Fieri potest, vt aliqua causa sit adæquata in actu primo, non sit adæquata in actu secundo, quia fieri potest, vt causa, quæ habet adæquatam virtutem influendi in effectum, non influat quantúm potest, adeòque non exerceat totam virtutem, quam habet, attemperando suas vires, & concursum, vt est certo certiús in causa prima, quæ operatur cum secunda, ea enim habet adæquatam virtutem operandi, vt est indubitatum; sed non exerit omnes suas vires, attemperat enim concursum, vt nimirum causæ secundæ operantis consortium patiatur: cuius rei signum euidentissimum est, quod maiori influxu Deus influit in effectum, quando præter leges naturæ operando produ-

producit effectum, nulla causa secunda existente. His obseruatis.

11. Probatur primo nostra sententia. Repugnat, vt effectus accipiat, & simul non accipiat esse per aliquam actionem; sed ex possibilitate duplicis actionis adæquatæ id sequitur, ergo repugnat duplex actio adæquata eiusdem effectus. Minor probatur, quia effectum accipere esse, quod iam habet, est accipere simul, & non accipere; quomodo enim possum accipere ab amico eundem librum, quem possideo? Certè nihil est magis notum, quàm illud non accipi, quod habetur, præscindendo á tali acceptione: sed effectus, qui accipit esse á duplici actione adæquata, accipit á singulis esse, quod iam habet, quia accipit ab actione A illud idem esse, quod habet ab actione B, & accipit ab actione B illud idem, quod habet ab actione A, ergo huiusmodi effectus accipit simul, & non accipit esse ab vtraque actione, quod repugnat.

12. Ratio á priori huius repugnantiæ fundatur in conceptu formali actionis, qui est essentialis determinatio effectus ad accipiendum esse á causa; actio enim, cum sit entitas modalis, eam naturam habet, vt sit medium ordinatum essentialiter ad largiendam effectui existentiam: ideó repugnat esse medium ad largiendam existentiam effectui dependenter ab aliqua causa, quando repugnat, vt effectui communicetur existere; sed repugnat, vt effectui, qui existit per actionem A, communicetur existere per actionem B, quia huiusmodo actio nihil habet quod communicet, cum totum id, quod communicare potest, sit communicatum per aliam actionem, ergo repugnat ex formali conceptu actionis duplex actio adæquata eiusdem effectus.

13. Probatur secundo ad hominem. Repugnat

gnat vt idem effectus naturaliter producatur per duplicem actionem adæquatam, vt fatentur Aduersarij, ergo etiam supernaturaliter. Probo Consequentiam. Ideó repugnat naturaliter, quia repugnat authorem naturæ frustra, & imprudenter operari, hoc est adhibere ad aliquem finem consequendum medium prorsùs inutile, quod procul dubio contingeret, si natura ordinaret vnam actionem ad existentiam effectus per aliam actionem existentis, sicuti si frustrá initur bellum ad arcem expugnandam iam expugnatam; sed non minús repugnat Deum in ordine supernaturali frustrá operari, quia author talis ordinis est sapientissimus intellectus, in quem cadere non potest vmbra insipientiæ, & temeritatis, ergo in ordine supernaturali repugnat duplicem actionem totalem adhiberi ad eundem effectum.

14. Probatur vltimo: Repugnat mutua prioritas, ergo etiam duplex actio adæquata. Consequentia probatur, quia ab opposito Consequentis, vt demonstro, arguitur oppositum Antecedentis. Fingamus enim calorem produci adæquatè ab igne A, & igne B; non repugnat, vt calor qui producitur ab igne A, producat in eodem instanti ignem A; si enim repugnat, ideò præcisé repugnat, quia non potest intelligi calor existens, quando non intelligitur existens adæquata sufficientia sui ad existendum, quæ vtique non intelligitur, si non intelligitur ignis A existens á quo producitur, sed etiamsi non intelligatur existens ignis A, potest intelligi existens calor, quia intelligitur existens ignis B, qui est adæquata sufficientia caloris ad existendum, ergo non repugnat, vt effectus producat suam causam si produci potest á duplici causa adæquata.

15. Ad primum. Conc. antec. & negó Conseq. Disparitas est, quia ambulatio est medium ordina-

tum ad plures fines, nimirùm ad vires reficiendas, & lucrandam Indulgentiam: secùs contingit in actione, quæ non potest esse medium vtile ad existentiam effectus per aliam actionem existentis, quia actum non agitur.

16. Ad secundum. Concedo primum enthymema, & nego Antecedens subsúptum, vel potiùs illud dist. vnusquisque ignis est causa adæquata in actu primo: Conc. Antec. in actu secundo nego Antec. & dist. eodem modo Conseq. Duæ causæ adæquatæ, quæ adhibentur ad effectum præstandum, non operantur quantum possunt; quia singulæ minús agunt, quàm si vnica tantúm ageret.

17. Ad tertium. Conc. antec. & nego Conseq. Ex duabus causis totalibus in actu primo nulla sequitur repugnantia, quæ sequitur ex duabus actionibus adæquatis: ideó est dispar ratio. Ad primam Consequentiæ probationem dist: ma: Causa necessaria agit quantum potest, si nihil obstat: conc: ma: si aliquid obstat: nego ma: & concessa minori: nego Conseq. Id, quod obstat, quo minùs in ea hypothesi causa agat quantum potest, est repugnantia eiusdem effectus ad accipiendum esse per duplicem adæquatam actionem, vt ostēsum est n. 12. Ad secundam probationem dist: Antec. Non dependet partialiter partialitate effectus conc. antec. partialitate causæ: nego antec. & conseq. Influxus inadæquatus non est itá intelligendus, quasi detur duplex pars in effectu, quarum vna procedat, alia non procedat ab eadem causa, id enim repugnat, quia effectus indiuisibilis ab vtraque immediaté totum suum esse accipit. Influxus igitur inadæquatus est talis, vt indigeat consortio alterius causæ in actu secundo operantis ad existentiam communicandam effectui: indè est effectum productum á singulis causis totum

proce-

procedere, sed non totaliter, quia ità procedit ab vna, vt etiam procedat ab alia. Patet hoc clarissimè in causis inadæquatis non solùm in actu secundo, sed etiam in actu primo. Intellectus Beati, qui informatus lumine gloriæ videt Deum, est causa inadæquata visionis in actu primo, quia non habet virtutem adæquatam videndi Deum præciso lumine gloriæ: huiusmodi intellectus influit in totam visionem, non influit totaliter, quia visio pendet partialiter, & inadæquatè tùm ab intellectu, tùm à lumine gloriæ partialitate, & inadæquatione causæ, non effectus. Addo similia argumenta nihil probare, quia nimis probant, cum probent effectum naturaliter produci à duplici actione adæquata, quod meritò negant Aduersarij.

18. Ad quartum: nego Antec; Ad eius probationem dist; Antec; non est bona materialiter huiusmodi Consequentia: nego Antec. formaliter: conc. Antec. & nego Consequentiam. Non arguitur consequentia formali non posse eundem effectum produci supernaturaliter à duplici causa totali, quia non potest naturaliter, sed arguitur consequentia materiali, licet enim non valeat consequentia in genere ab ordine naturæ ad ordinem gratiæ, valet in subiecta materia, cum naturalis repugnantia fundetur in metaphysica impossibilitate, qua repugnat, vt noua existat actio, quando non existit nouus terminus productus, & adhibeatur actio ad communicandam existentiam effectui aliundè existenti, si enim repugnat naturæ frustrà, & insipienter operari, multò magis repugnabit authori naturæ, vt enim ait disertè in rem nostram S. Augustinus in 9 de Genesi cap. 17. non potentiæ temeritate, sed sapientiæ virtute Omnipotens est Deus.

19. Ad quintum transeat Antec. & nego Conseq.

seq. Disparitas inter duplicem vbicationem, duplicem formam, & duplicem actionem adæquatam est euidens, quia duplex forma præstat effectus formales diuersos, duplex actio non præstat in suo genere diuersum effectum, cum illud idem, quod agit vna, agat alia.

20. Ad sextum: Conc: mai: & nego min: Ratio est, quia deficiente fine, ad quem essentialiter ordinatur res, deficit etiam res, sed communicare existentiam est finis, ad quem essentialiter ordinatur actio, ergo hoc deficiente deficit actio; sed deficit, quando effectus iam existit, ergo, &c. Indè est repugnantiam duplicis actionis fundari in ipsa natura actionis.

21. Ad septimum. Duplex causa totalis in actu secundo non conducit ad existentiam effectus magis indefectibilem, sufficit enim duplex causa totális in actu primo, quæ influit in actum secundum per vnam actionem adæquatam. Ratio est, quia existentibus duabus causis in actu primo adæquatis, & Deo volente effectum existere per vnam actionem, poterit effectus existere per aliam causam: cæterùm duplex actio non est vtilis, quia præstatur ab vna quidquid præstatur ab alia.

22. Ad vltimum. Sacerdos vel est causa tantum moralis vnionis Christi cum speciebus Eucharisticis, vt plurimi Theologi arbitrantur, quia ipse Christus, qui est supremus, & æternus Sacerdos, producit physicé, & adæquaté hanc vnionem, vel si est causa physica attemperat concursum, quando cum alio Sacerdote consecrat. Instantia dé peccatis semel, atque iterum remissis in Sacramento Pœnitentiæ non est ad rem, quia huiusmodi continuata remissio est vtilis ad vberiorem gratiam consequendam, & ad certiorem spem peccati remissi.

D I-

DISPVTATIO VNDECIMA.

De Causa Finali.

HVic tractatui de Causis, finem imponit causa finalis, potissima quidem, sed ignota, cum eius virtus ità lateat, vt eam vetustissimi Philosophi prorsùs ignorauerint, eaque propter in plurimos errores inciderint, vt narrat Aristoteles in secundo Physic. cap. 8. & in primo Metaph. cap. 3.

QVAESTIO I.

Quid sit, an sit, & quotuplex sit causa finalis.

1. AD huius quæstionis euidentiam sciendum primò bonum, in quod fertur appetitus rationalis, esse id, quod omnia appetunt, quemadmodum enim calor, & verum est ratio formalis, sub qua facultas videndi, & intelligendi suos exercent actus, ità ratio formalis, sub qua voluntas appetit, est bonum, quod formalissimé consistit in conuenientia, quam habet res concupita cum appetente. Huiusmodi bonum partiri solent Philosophi ex doctrina, quam tradit Aristoteles in septimo Moral. in bonum vtile, honestum, & iucundum bonum vtile non alia de causa est appetendum, nisi

quia

quia conducit ad consecutionem alterius boni: ità pecunia, & medicina est bonum vtile, illa enim est medium ordinatum ad voluptates, & honores comparandos, ista conducit ad valetudinem recuperandam. Bonum iucundum, & honestum est tale, vt propter se sit expetendum, est enim in bono iucundo, & honesto vis alliciens, & rapiens voluntatem ad sui amorem secluso quocumque alio bono. Hoc duplex bonum reciprocatur cum fine, qui non significat terminum, quo res aliqua conficitur, sicuti vitæ humanæ finis appellatur illud momentum, quo homo extinguitur, sed idem sonat, ac bonum, quod habet vim mouendi appetitum intelligentem ad amorem sui propter illam perfectionem, quam naturæ appetenti largitur. In hanc rem loquitur egregiè August. in lib. 19. de Ciu. Dei cap. 1. vbi hæc habet; *Finem boni nunc dicimus, non quo consumatur res vt non sit, sed quo perficiatur, vt plenè sit*: ea dè causa victoria est finis Imperatoris, sanitas Infirmi, æterna fœlicitas hominis. Indé est, quod ratio boni non includit rationem finis, ratio veró finis includit rationem boni, quia latiús patet bonum, quám finis, datur enim aliquod bonum, quod non potest esse finis, sicuti bonum vtile: nullus datur finis, qui non habeat bonitatem veram, vel apparentem. Huiusmodi finis alio nomine vocatur causa finalis, quæ ab Aristotele definitur esse, *cuius gratia catera fiunt*: In quibus verbis exprimitur illa virtus motiua, quam habet finis ad mouendam voluntatem in amorem sui, & mediorum propter se, cum hoc discrimen sit inter medium, & finem, quod iste propter se, illud propter finem amatur, medium enim quatenus talè non nisi propter finem est amabile; ideò notanter ait S. Thomas quæst. 22. de veritate art. 2. *sicuti influere causæ efficientis est*

agere, ità influere causæ finalis est appeti.

2. Sciendum secundò, non repugnare causæ finali amari propter aliud, licet repugnet non amari propter se. Ratio est, quià non repugnat, vt aliquod bonum ametur gratia sui, & simul ametur propter aliud, ergo non repugnat, vt id, quod appetitur propter aliud, appetatur appetentia finis: è contrariò repugnat appetentia finis appeti, quod propter se non appetitur, cum pertineat ad naturam finis appeti gratia sui, ergo bonum, quod propter se non appetitur, non exercet munus causæ finalis: ex quo fit posse aliquod bonum esse finem amabilem propter se, & simul medium amabile propter aliud, ad quod nimirùm assequendum est vtile; ità experimur appeti cibum, quia iucundum, & quia vtilem ad vires restaurandas: hinc originem traxit celebris diuisio finis in vltimum, siuè mediatum, & non vltimum, siuè immediatum, hic enim est finis, qui est simul medium, ille verò est finis, qui est tantum finis: quód si finis talis sit, vt ordinari non debeat ad alium finem, vocatur vltimus positiuè: si potest vel debet ordinari, licet non ordinetur, vocatur vltimus negatiuè: finis positiuè vltimus est solus Deus, qui est summum, & vltimum bonum, de quo agunt Theologi cum S. Thoma in prima secundæ, & nos aliqua delibabimus in nostra Metaphysica, dum existentiam Dei sub conceptu vltimi finis demonstrabimus. Huiusmodi finis alius est formalis, alius obiectiuus: formalis est possessio boni intrinseca possidenti: obiectiuus est bonum quod possidetur extrinsecum possidenti, ità Deus qui est noster finis vltimus, est finis obiectiuus, & Beatitudo obiectiua: Visio clara Dei est finis formalis, & Beatitudo formalis; in quo fine formali tria debent attendi, nimirum subiectum, cui bonum amatur, bonum, quod

ama-

amatur, & coniunctio boni amati cum subiecto, cui amatur bonũ: subiectum, cui amatur bonum, est finis *cui*: bonũ, quod amatur est finis *qui*, coniunctio boni est finis *quo*: ita cum amatur sanitas amico, finis *cui* est amicus: finis *qui* sanitas finis *quo* vnio sanitatis.

3. Sciendum tertio mirabilem esse ordinem, quo finis procedit in causando, bonum enim, quod apprehenditur, excitat voluntatem ad sui amorem, & accendit desiderium consequendi bonum amatum, quod tunc extinguitur, quando possidetur bonum concupitum, id enim natura sapientissimè constituit, vt appetitus boni circulari motu ageretur, eo enim reuertitur, vndè est profectus, quod rebus omnibus conuenit, quæ mouentur in orbem. Appositissimum ad hunc modum explicandum est tritum illud, & vulgare exemplum de sanitate, quam appetit, qui morbo laborat; proposita per cognitionem sanitate, continuò insurgit quædam simplex còmplacentia, quæ semper oritur ex bono voluntati repræsentato: ea parit efficacem amorem recuperandæ valetudinis, qui amor est desiderium, & vocatur intentio efficax finis, adeoque est virtualis amor mediorum conducentium ad finem assequendum, quia nemo vult efficaciter finem, qui eodem actu non velit media necessaria: intentionem sequitur electio, per quam præcedente consilio voluntas eligit medium, quod sibi magis placet pro consecutione finis, deindé media electa executioni mandantur: consulitur Medicus, scinditur vena, hauritur medicamentum, quod conceptum venis excludit à corpore nocentes humores; hinc vires redintegratæ, febris extincta, & pristina valetudo restituta; vndè nascitur fruitio, quæ est veluti fructus ex boni præsentia collectus. In hac tota effectuum serie, qui a causa finali emanant, duplex ordo inuenitur,

vnus intentionis, alius executionis; ad illum spectat electio; ad istum executio mediorum, quæ ad finem comparandum conducunt: ordine præpostero procedunt, nam illud, quod est priús, dúm media eliguntur, est posterius dum rediguntur in praxim. Hinc originem habuit illud vulgare dictum: *primum in intentione est vltimum in executione*.

4. Hæc sunt indubitata: duplex occurrit dubium, an nimirum causa finalis sit citra metaphoram vera, & realis causa, & an sola electio, & executio mediorum sit effectus causæ finalis. Primum dubium mouet Arriaga, qui disp. 8. sect. 2. in ea videtur esse sententia, quod finis non sit vera, & realis causa; qua in re mihi vehementer displicet, quia á communi opinione recedit, quod huic Authori est valdè familiare: secundum mouet Gabriel Vasquez, qui in doctissimis commentarijs in primã, secundæ S. Thomæ exaratis disp. 3. cap. 2. docet finem non exercere suam virtutem, nisi in electionem & executionem mediorum.

5. Ratio dubitandi est: primò quia finis mouet quando non est, sed nulla causa agit quando non est, ergo finis non agit, ergo non est causa. Minor patet inductione facta in cæteris causis

6. Secundó: finis eatenus causat, quatenus mouet ad operandum, sed mouet metaphoricé, ergo causat metaphoricè: maior, & minor patent ex dicendis de virtute causæ finalis. Consequentia probatur, quia si metaphoricè mouet, media causantur á fine metaphorice.

7. Tertiò: finis est effectus mediorum, ergo non est causa. Consequentia probatur, tùm quia idem non potest producere seipsum, túm quia ratio principij repugnat fini, sed ratio causæ est ratio principij, ergo ratio causæ repugnat fini.

8. Quar-

8. Quartó: finis vel nihil, vel sola media causat, sed non sola media causat, ergo nihil causat. Ma: prob: si aliquid causat, illud solum causat, quod gratia sui fit, sed sola media fiunt gratia finis, túm quia sola media ex amore finis eliguntur; túm quia amor, siue intentio finis non fit ex amore finis, aliter in infinitum proceditur, ergo non fit gratia finis.

9. Quinto: assecuto fine cessat actio finis, ergo in sola media exercet finis suam virtutem. Antecedens probatur primò. Adepto fine cessat actio agentis, vt inquit Aristoteles in primo de generat. text. 55. sed actiò agentis est indistincta ab actione finis, ergo &c. Secundó id, quod sequitur consequutionem finis est quies in fine; sed quies est cessatio ab omni actu, ergo adepto fine cessat omnis actiò.

10. Vltimó: finis non agit in quantum mouet appetitum ad sui amorem, ergo in quantum mouet ad amorem mediorum. ergo solus amor mediorum est effectus causæ finalis. Antecedens probatur, alioquin Bruta agerent propter finem, quia habent appetitum sentientem, qui mouetur á bono sensibili non secus ac intelligens ab intelligibili. Contra hanc sententiam.

11. Dico primo. Causa finalis est vera, realis, & physica causa: ità Aristoteles in secundo Physic. & alibi, Plato in Phædone secutus Socratem S. Thomas, quem sequuntur Theologi omnes, & Philosophi cum Suario disp. 23. sect. 1.

12. Ratio á priori est, quia id, cuius gratia aliquid fit, est vera, & realis causa illius, quod fit: sed finis est id, cuius gratia aliquid fit, ergo finis est vera, & realis causa illius, quod fit propter finem, ergo finalis causa est realis, & vera causa. Maior probatur, quia id, quod fit, non minus dependet in genere suo ab eo, cuius gratia fit, quam ab eo, á

quo fit: ideò si finis desinat mouere causam efficientem ad agendum, effectus non fit, sicuti non fit, si desinat virtus agentis: indé est, quod sicuti id, à quo fit, est vera, & realis causa, itá id, propter quod fit, est vera, & realis causa.

13. Ratio à posteriori, quæ confirmat rationem á priori, peti debet ab experientia, quam habemus de nostris actibus, quibus aliquod bonum concupiscimus, & media eligimus proportionata ad consequendum bonum, quod intendimus: experimur enim nos verè, & realiter allici citra omnem impropriam, & metaphoricam locutionem á bono, quod cognoscimus: huiusmodi illicium vtique est reale, & physicum, adeoque finis, qui allicit appetitum intelligentem, est causa realis, & physica, á qua effectus dependet, non minùs, quám alia quælibet causa, licet modus causandi sit valdè diuersus diuersitate inferius explananda.

14. Dico secundó. Non sola electio, & executio mediorum est effectus causæ finalis. Hanc sententiam, quam contra Vasquez docet expresse Suar. loco citato, & Ruuius tract. 5. qu. 6. existimo esse iuxta mentem S. Thomæ docentis in prima secundæ quæstione primá, art. primo finem esse obiectum voluntatis.

15. Probatur. Quidquid fit gratia finis, est effectus causæ finalis; sed non sola electio, & executio mediorum fit gratia finis, ergo &c. Minor probatur, quia tam intentio finis, quæ antecedit, quam quies in fine, quæ sequitur electionem, & executionem mediorum, fit gratia finis: ratio autem á priori, quæ vtrumque mihi persuadet, est multiplex: primó fieri gratia finis est appeti bonum propter se, siue gratia sui, sed intentio finis, & quies in fine est appetentia boni propter se, ergo vtraque fit gratia

finis: secundò bonum cognitum mouet appetitum non minus ad desiderium sui, quando est absens; & ad fruitionem quando est præsens, quam moueat ad amorem mediorum, ergo est causa finalis intentionis, & fruitionis. Tertiò omnis actus voluntatis causatur á fine, quia nullus est actus voluntatis, qui non moueatur á bono, sed intentio, & fruitio est actus voluntatis, ergo causatur á fine: quartó bonum cognitum quando amatur, causat amorem sui, non efficienter, quia aliquando non est præsens physicé, neque in genere causæ formalis, vel materialis, vt patet, ergo finaliter alliciendo voluntatem.

16. Hinc est, quod voluntas dupliciter exercetur circa finem, imperfectè, nimirum per desiderium, quò mouetur ad quærendum bonum, quod non habet, & perfectè per actum fruitionis, & gaudij, qui quiescit in bono, quod habet, adeoque finis causat in genere suo omnes actus elicitos, & imperatos á voluntate circa possessionem boni concupiti.

17. Ad primum: distinguo maiorem: finis mouet quando non est physicè: concedo maiorem, quando non est logicè, & intentionaliter: nego maiorem, & concessa minori, nego consequentiam. Discrimen inter causam finalem, & cæteras causas in eo ponendum videtur, quod cæteræ causæ per physicam sui existentiam causant: finis veró per existentiam intentionalem, quia finis causat media, vt physice sit, non quia physicè est, cum nemo adhibeat media ad consequendum finem, quem habet: cæteræ causæ eatenus causant, quatenus phisice existunt, cum virtus causandi, quæ in illis reperitur, sit indistincta ab existentiá actuali physica. Ratio autem á priori, cur veræ & reali causæ non repugnet

sola intentionalis existentia, peti debet ex natura causæ finalis, quam docuimus esse id, cuius gratia aliquid fit, id autem, cuius gratia aliquid fit non debet physice existere, satis enim est si intentionaliter existat, sicuti enim intellectus potest attingere rem, quæ extra causam non existit, ita voluntas potest appetere bonum, quod physice non existit, immo hoc contingere necesse est in omni actu desiderij, qui est motus voluntatis in bonum absens: at debet procul dubio existere intentionaliter bonum, vt moueat voluntatem, quia quæcumque facultas appetens ita sequitur facultatem cognoscentem, vt illa sine illa operari non possit.

18. Ad secundum; concedo maiorem, & minorem, & nego consequentiam. Argumentum enim est aperte sophisticum, vt conuincit hoc omninó simile: *Pratum floribus vestitum eatenus floret, quatenus ridet. sed metaphoricè ridet, ergo metaphoricè floret* Ratio a priori est, quia omnis locutio impropria, & metaphorica fundari debet in locutione propria, inde est voluntatem impropriе, & metaphorice moueri á fine, propter quem agit, metaphora desumpta ex motu, quo vnum corpus ab alio mouetur, trahitur, & impellitur, vt enim acute ait Augustinus, anima, dùm amat, mouetur non passibus corporis, sed affectibus: huiusmodi metaphorica motio fundatur in aliquo prædicato proprio, ratione cuius voluntas vere, & realiter agit propter finem: hoc prædicatum, quod vnusquisque experitor, exponimus per illud illicium, quo vere, & citra metaphoram allicitur voluntas á bono repræsentato.

19. Ad tertium: concedo antecedens: & nego consequentiam. Finis habet duplicem existentiam, aliam intentionalem, secundum quam causat, aliam phy-

physicam, secundum quam causatur, neque repugnat, vt finis existens intentionaliter antecedat seipsum existentem physice, sicuti non repugnat, vt vltimum in executione sit primum in intentione, adeoque finis existens in intentione induat naturam principij. Hinc patet ad probationem consequentiæ.

20. Ad quartum: nego maiorem. Ad eius probationem: concedo maiorem, & nego minorem. Æquiuocatio, quam committit Gabriel Vasquez, qui hoc nobis opponit, posita est in illis vocibus *cuius gratia*, quæ non sonant idem ac *cuius amore*, vt falsò contendit præfatus Author; sed *propter cuius bonitatem*, ideo intentio finis, licet non oriatur ex amore præcedente, causatur á fine, quiá est gratia finis, hoc est propter bonitatem finis allicientis voluntatem ad sui amorem. Hanc autem esse germanam intelligentiam definitionis Aristotelicæ constat ex eo, quod finis est obiectum voluntatis, obiectum autem voluntatis est bonum gratia sui, nimirum per se amabile, & id quod fit propter bonitatem alicuius, fit gratia ipsius.

21. Ad quintum: nego antecedens. Ad primam eius probationem distinguo maiorem. Adepto fine cessat actio agentis tendentis in finem: concedo maiorem: quiescentis in fine: nego maiorem, & concessa minori distinguo consequens; cessat actio finis, quę est motus in finem; concedo consequentiam: quæ est quies in fine; nego consequentiam. Non est dubium, quin adepto fine cesset actio, qua mouetur voluntas ad finem adipiscendum, sicuti lapis non mouetur ad centrum, quando est in centro. De ista actióne locutus est Philosophus, quando ait actionem finis cessare obtento fine; id tamén non obstat, quo minus alia detur actio, per quam voluntas quiescat in fine, & bono præsenti:

ti: huiusmodi est actus gaudij, per quem voluntas fruitur bono possesso, & quiescit fruendo; non quidem suspendens omnem actum, sed eliciens actum iucundissimum amoris, sicuti quiescit Beatus Deum intuitiue cognitum amando. Vnde patet ad secundam probationem.

22. Ad vltimum: nego antecedens: Ad eius probationem dico Bruta non agere formaliter propter finem, quia licet moueantur à bono sensibili, non attingunt ipsam rationem vniuersalem boni; quam attingere non potest appetitus sentiens, qui est appetitus boni particularis, adeoque materialis; ratio autem cur requiratur attingentia bòni vniuersalis ad operandum formaliter propter finem, est, quia formalis amor finis est virtualis amor mediorum, ergo ille amor, à quo procedere non potest formalis electio mediorum, non est virtualis amor mediorum, adeoq; non est formalis amor finis, sed ab appetentia, qua bruta appetunt bonum sensibile, non potest procedere formalis electio mediorum, ergo huiusmodi appetentia non est formalis amor finis: inde est requiri ad operandum propter finem ita amari bonum propter se vt attingatur ipsa ratio vniuersalis boni, quod cadere non potest nisi in appetitum intelligentem.

QVAESTIO II.

De virtute causæ finalis, eiusque causalitate.

1 PRæmissis quæ ad naturam finis inuestigandam spectabant, necessitas incumbit speculandæ virtutis, quam habet finis, qui est vera, & realis causa. Pro huius rei intelligentia, sciendum primò, bonum, quod includit finis, non habere vim mo-

mouendi voluntatem, nisi cognoscatur, quia voluntas non potest ferri in incognitum iuxta illud, quod vulgò circumfertur *nil uolitum quin pracognitum*, appetitus enim cum sit facultas cæca, debet, vt itá dicam, manu duci, & illuminari ab intellectu, qui est facultas vidéns, & cognoscens.

2. Sciendum secundo: bonum posse obire munus causæ finalis, etiamsi non existat neque possit existere physicè; non posse, nisi cognoscatur vt possibile, adeoque habens potentiam existendi physice. Ratio, cur bonum possit finalizare, etiamsi non possit existere physice, ratio inquam á priori est, quia bonum, vt possit finalizare, debet posse mouere voluntatem ad amorem sui, sed etiamsi non possit existere physice, potest mouere voluntatem ad amorem sui; sicuti enim possunt adhiberi media, quæ censentur opportuna, licet vere non sint opportuna ad assequendum finem, itá potest intendi finis, qui obtineri posse censeatur, licet veré obtineri non possit, ergo &c. Præterea nonne inter agentia libera, quæ propter finem agunt, alia temere, & imprudenter operantur? Quid hoc euidentius? Ipsa enim experientia demonstrat plurimos esse homines, qui sine iudicio, & temere operantur: illud autem interest inter eum, qui prudenter agit, & eum, qui agit imprudenter, quod iste, vel finem appetit, ad quem peruenire non potest, vel, quod eodem reuoluitur, non eligit media opportuna ad assequendum finem quem cæteroquin assequi potest: secus verò operatur, qui prudenter agit. Addò plurimos esse, qui post multa adhibita media, multumque temporis insumptum ad aliquem finem comparandum, tandem agnoscunt, licet seró, oleum, operamque, vt dici solet, perditam; quot enim, qui recuperandæ sanitatis spe illecti diu fuerunt in potestate medentium

tium, pristinam non recuperarunt valetudinem? quot ad assequendam dignitatem, cuius amore tenebantur, media inepta ordinantes fine suo sunt fraudati? quot rudi ingenio ad parandam scientiam accessere? Ratio verò, cur necesse sit ad finalizandum, vt bonum cognoscatur possibile, est in promptu: bonum enim, quod cognoscitur repugnare, non habet vim mouendi efficaciter voluntatem ad sui amorem, cum nemo desperans de fine operetur, vt Philosophus inquit, & experientia demonstrat, desperat autem de fine, qui cognoscit fieri non posse, vt finis obtineatur. Præterà bonum, quod cognoscitur impossibile, non est bonum, quia bonum, & conueniens reciprocantur, non est autem conueniens, ex quo sequitur omne inconueniens, sicuti est impossibile, quod, si existat, nullum est inconueniens, quod non sequatur, ideó bonum illud, quod cognoscitur impossibile, non proponitur voluntati sub ratione boni: quod autem non proponitur sub ratione boni, non habet vim mouendæ voluntatis, adeoque non potest exercere virtutem causæ finalis, ergo bonum debet cognosci possibile, vt possit finalizare, quod erat ostendendum.

3. In controuersiam cadit, an virtus causæ finalis, quæ procul dubio est virtus motiua voluntatis, posita sit in ipsa bonitate, quæ habet esse intentionale in mente, an vero in cognitione, per quam ingenere causæ formalis habet esse intentionale. Qua super re tres sunt sententiæ. Prima, quæ tribuitur Thomistis, docet cognitionem, vel appræhensionem boni esse illam rationem formalem, per quam bonum mouet, adeoque huiusmodi cognitionem habere virtutem causæ finalis. Itá sentit Auicenna in 8. suæ Metaph. c. 5. Capreolus in 2. dist. 15. q. 1. Soncinnus in 4. Met. q. 3. Medina prima secundæ q. 1. art. 1.

4. Se-

4. Secunda sententia, quam defendunt aliqui ex modernis, distinguit duplicem finem, alium, qui habet existentiam saltem possibilem in suis caussis, alium, qui non habet actualem, neque possibilem existentiam in causa, vt contingit quando quis ex amore finis impossibilis, quem existimat possibilem, mouetur ad ponenda media ordinata ad eius assecutionem, nimirum quando credens chimæram esse venandam, eius venatum appetit, & retia molitur ad eam venandam: dùm voluntas mouetur á fine possibili, ratio formalis finalizandi (vt inquit hæc sententia) est bonitas apprehensa; quando veró mouetur á fine, qui est impossibilis, sed apprehenditur tanquam possibilis, tunc apprehensio, vel cognitio finis est ratio formalis mouendi voluntatem, adeoque est causalitas finis.

5. Tertia sententia docet bonitatem finis apprensam veram, & realem, quando finis est possibilis, vel apparentem, quando est impossibilis, esse rationem formalem mouendi voluntatem, adeoque cognitionem, in qua finis habet esse obiectiuum, esse tantum conditionem, quæ applicat virtutem finis. Itá S. Thomas in primo contra Gentes cap. 75. & alibi: Scotus in secundó dist. 25. quæst. 2. Gabriel in primo qu. 5. art. primo Ferrar: in primo contra Gentes cap. 44. Sotus, Tolet. Conimb. Suarius loco cit. sect. 8. & Ruuius.

6. Argumenta, quibus Authores primæ, & secundæ sententiæ conantur nobis suadere cognitionem finis esse virtutem causæ finalis, sunt huiusmodi.

7. Primó: bonum eatenus causat in genere caussæ finalis, quatenus mouet voluntatem, sed mouet vt cognitum, ergo causat vt cognitum, ergo cognitio est virtus causándi. Consequentia probatur, tùm quia huiusmodi consequentia est optima: *album*

album vt album disgregat visum, ergo virtus disgregandi est albedo; ergo &c. túm quia si cognitio esset tantúm conditio foret sicuti approximatio respectu causæ efficientis, consequens autem est fálsum, quia causa non applicata saltem diuinitus operari potest, bonum autem incognitum neque diuinitus mouere potest, ergo &c.

8. 2. Cognitio finis est existentia finis, sed existentia finis est virtus causãdi finaliter, ergo cognitio est virtus finis. Minor probatur, quia existentia causæ efficientis est eius virtus, ergo existentia causæ finalis erit eius virtus. Confirmatur, quia si cognitio realiter existens non est virtus finis, explicari non potest hæc virtus mouendi, præsertim cum finis non existat physicé quando mouet.

9. 3. Tunc saltem rátio formalis mouendi est cognitio, quando finis, qui mouet, est impossibilis; sed aliquando finis, qui mouet, est impossibilis, ergo aliquando ratio formalis mouendi est cognitio, ergo &c. Maior probatur: quando mouet finis impossibilis, mouet bonum non verum, sed apparens, vt apparens: sed bonum apparens, vt apparens appellat cognitionem, quia appellat apparentiam: apparentia autem est ipsa cognitio, ergo mouet cognitio.

10. 4. Impossibile est illud, quod habet tantùm esse in intellectu, sed id quod habet esse tantúm in intellectu; vel non habet vim mouendi voluntatem, vel si habet, non nisi per cognitionẽ habet, ergo cognitio est ratio formalis mouendi. Minor probatur, quia si habet vim mouendi; habet per illud esse, quod habet obiectiuè in intellectu; sed hoc esse habet per cognitionem; ergo per cognitionem habet vim mouendi. Confirmatur; quia si cognitio non est virtus finis impossibilis, non est cur iste moueat,

me-

media enim, quæ causat, non sunt media, quia non conducunt ad finem assequendum.

11. Quinto. Quando voluntas agit gratia finis, cognitio finis causat amorem finis, ergo est eius virtus. Consequentia probatur, tum quia ipsa cognitio est amabilis gratia sui; sed bonum amabile gratia sui habet virtutem finis, ergo &c. tum quia potest aliquis moueri á bonitate cognitionis, vt illis contingit, qui desiderio sciendi mouentur ad studendum.

12. Vltimo. Causalitas causæ excludit indifferentiam effectus ad pendendũ á causa; sed actio, quæ prodncit effectum, non excludit indifferentiam effectus ad pendendum á fine, á quo pendet, ergo actio, quæ producit effectum, non est causalitas causæ finalis. Minor probatur: ponamus enim imaginem á Pictore delineatam esse causam pecuniæ, cuius gratia est facta: huiusmodi actio, per quam imago producitur, potuit fieri propter finem diuersum, nimirum propter honorem, vel aliud bonum ergo &c. Contra hanc sententiam.

13 Dicendum primo: solam bonitatem apprehensam veram, vel apparentem esse virtutem causæ finalis.

14. Ratio á priori est, quia virtus finis est virtus mouens voluntatem ad amorem sui, & mediorum propter se: sed sola bonitas vera, vel apparens apprehensa est virtus mouens voluntatem ad amorem sui, & mediorum propter se, ergo &c. Maior constat ex ipsa natura causæ finalis. Minor probatur, quia virtus mouens voluntatem ad amorem sui, & mediorum propter se est formalissimè res illa, quam desiderando quærit voluntas, quando eam non habet, vt apertè constat; quod enim est bonum propter se expetendum, adeoque habens virtutem mo-

uendæ voluntatis, nisi bonum, cuius præsentia fruimur, absentia tristamur, & simul desiderio accendimur possidendi, quod non possidemus? Non est autem dubium, quin res, quam vnicè quærimus per desiderium, & possidemus per gaudium, dùm nos allicit finis, sit sola bonitas vera, vel apparens: cur enim adhibemus media, quæ intellectus proponit opportuna, & conducentia ad habendum id, quod concupiscimus, nisi quia cupiditate ardemus possidendi reipsa bonum apprehensum, siuè id, quod arbitramur nobis conuenire? Cur ab amore mediorum cessamus, nisi quia fruimur bono, ad quod media fuerunt ordinata? Indè est soli bonitati inesse virtutem mouendi, adeoque finalizandi, cum ratio finis sit formalissimé ratio boni expetẽdi propter se, quod locum habet non solum, quando finis, propter quem operamur, est possibilis, sed etiam quando est impossibilis: diuersitas enim, quæ inter finem possibilem, & impossibilem intercedit, est penitus materialis relaté ad rationem formalem finis, quiá satis est, vt voluntati repræsentetur conueniens, & appetibile bonum, quod induit naturam finis, æquè autem repræsentatur conueniens bonum, quod est impossibile, & creditur possibile, ac bonum veré possibile: id solum interest inter amorem finis verè possibilis & amorem finis apparenter possibilis, quod ille potest mouere ad media opportuna, & vtilia, iste non potest, quæ enim media possunt esse opportuna ad finem repugnantem? nimirum ad chimæram venandam.

15. Ratio á posteriori est, quia infirmus, qui mouetur amore sanitatis adipiscendæ ad medicinam sumendam, rogatus quid habere desideret, quando medicinam sumit, respondet sanitatem, non veró cognitionem sanitatis; ergo id, á quo infirmus

mus experitur se moueri, dum propter finem operatur, non est cognitio sanitatis, sed sanitas, quam sibi conuenientem apprehendit, ergo bonitas apprehensa est virtus causæ finalis. Idem animaduerti potest in homine Principatum, cæterosque honores ambiente, & in auaro diuitias appetente.

16. Hinc est, quod cognitio, quæ requiritur, vt voluntas agat propter finem, non est virtus mouens, sed conditio essentialiter requisita, vt moueat bonitas, quæ cognitione attingitur, cum cognitio, quæ bonum proponit, non sit id, cuius gratia cætera fiunt, quod vtique foret, si esset virtus causæ finalis. Notandum tamen hic moneo cognitionem finis, quæ non est virtus finis, non eodem modo se habere ad effectum finis, sicuti approximatio ad causam efficientem. Ratio est, quia propinquitas agentis admouet solum causam effectricem passo, sed ipsa in nullo genere causæ influit in effectum productum: secus contingit in cognitione, quæ proponendo bonum voluntati, admouet intentionali propinquitate finem, & vlterius agit illud ipsum, quod agit finis, licet in diuerso genere causæ, quia cognitio agit efficienter amorem finis, bonitas verò agit finaliter, hæc nimirum mouendo, illa producendo, eo modo, quo ignis producit ignem, cæteræque causæ efficientes effectum operantur. Rationem huius efficientiæ trademus in lib. de An. vbi ostendemus cognitionem influere efficienter ad actus voluntatss. Constat igitur, quomodo trahi possint ad verum sensum illi Philosophi, qui docent cognitionem esse virtutem finis, si nimirum ità exponantur, vt asserant totam vim mouendi voluntatem esse in bonitate, vim verò causandi efficienter esse in cognitione.

17. Dicendum secundò. Causalitatem finis es-

se actionem, per quam finis intenditur, media eliguntur, & exercentur, quæ producunt ipsum finem existentem physicé.

18. Probatur, quia causalitas finis est ratio formalis, qua finis mouet, & allicit ad amorem sui, & mouendo producit quidquid propter finem fit; sed huiusmodi ratio formalis est actio, per quam voluntas intendit finem, eligit, & imperat media, ergo &c. Minor probatur, quia huiusmodi actio est ratio formalis, per quam bonum allicit voluntatem, eamque metaphoricé mouet, ergo est ratio formalis, per quam finis influit, sicuti est ratio formalis, per quam voluntas, & cognitio influunt efficienter, adeoque quatenus est á voluntate est causalitas causæ efficientis, quatenus vero est gratia bonitatis cognitæ, est causalitas causæ finalis.

19. Ad primum: concedo maiorem, & distinguo minorem, ly *vt* reduplicante rationem formalem: nego minorem: reduplicante conditionem: concedo minorem, & eodem modo distinguo consequens. Particula, quæ reduplicat, aliquando reduplicat rationem formalem, vt in hac propositioné: *album, vt album disgregat visum*, aliquando reduplicat conditionem, vt in hac propositione *agens agit vt propinquum*, quia propinquitas non est virtus, sed conditio agendi: eundem plané sensum habet ista propositio: *bonum vt cognitum mouet*, quia ostensum est cognitionem non esse virtutem causæ finalis, sed conditionem essentialiter requisitam ad mouendum; ex quo fit huiusmodi consequentiam; *album vt album disgregat visum*, ergo *ratio formalis disgregandi est albedo* valere ratione materiæ, non ratione formæ. Vnde patet ad probationem consequentiæ.

20. Ad secundúm; distinguo maiorém, cognitio

tio est ex istentia logica finis: concedo maiorem: physica: nego maiorem, & distinguo minorem, existentia logica finis est virtus finis: nego minorem: existentia physica: iterum distinguo: actualis: nego minorem: possibilis: concedo minorem, & nego consequentiam. Non vrget exemplum causæ efficientis, quia eius virtus est longé diuersa à virtute finis, illa enim agit, quia physicè existit, adeoque per existentiam à se indistinctam, iste nón agit, quia physicé existit, adeoque non agit per existentiam indistinctam, sed vt physice existat, adeoque intentionalis existentia, quæ requiritur, vt agat, non est virtus, sed conditio. Hinc optime explicatur, quomodo finis sit causa, etiamsi cognitio non moueat, quia finis existens in cognitione ita habet vim mouendi, vt obiectum cognitionis, nimirum bonitas moueat, cognitio veró, quæ dat esse intentionale fini, non moueat ad amandum, sed influat efficienter in amorem productum: id enim habet peculiare causa finalis, quod mouere potest etiamsi physice non existat, posito quod intentionaliter existat, itá vt intentionalis existentia applicet virtutem fini, & simul agat efficienter.

21. Ad tertium: nego maiorem, quia finis mouet secundúm existentiam possibilem veram, vel apparentem, qualis est ea, quam habet finis impossibilis apprehensus, vt possibilis. Bonum igitur impossibile habet bonitatem, per quam mouet, apparentem, non veram: non proinde sequitur cognitionem esse illam rationem formalem, quæ mouet, dúm mouet bonum apparens, vt apparens; opus est enim distinguere duplicem apparentiam boni, vnam formalem; aliam obiectiuam: apparentia formalis est ipsa repræsentatio boni, quod apparet, eaque sine dubio est cognitio, sed ista

non mouet quando mouet bonum apparens; est enim conditio, cur moueat: apparentia obiectiua est ipsum bonum obiectiuum, nimirum obiectum cognitionis, quod est bonum impossibile existimatum possibile: huiusmodi apparentia procul dubio mouet, quia voluntas, cui proponitur possibilis venatio chimæræ, æque mouetur â bonitate, quæ apparet in venanda chimæra, ac â bonitate, quæ est in ceruo venando. Vnde patet æquiuocatio argumenti, quæ in illis vocibus consistit: *bonum apparens vt apparens*.

22. Ad quartum: concedo maiorem, & nego minorem: Ad eius probationem: distinguo mai: habet vim mouendi per esse obiectiuum in intellectu secundùm id, pro quo supponit: concedo maiorem; secundùm id, quod tantum significat: nego maiorem: & concessa minori: nego consequentiam. Esse obiectiuum est esse cognitum; hoc esse secundum, id pro quo supponit, non est cognitio, sed obiectum cognitionis: hoc licet sit impossibile, mouèt, quia cognoscitur vt possibile, mouet inquam in genere causæ finalis, quia est id, propter quod eliguntur media, non mouet in genere causæ obiectiuæ, quia id, quod non est, non potest mouere in genere causæ obiectiuæ, quæ agit, non vt sit, sed quia est, licet possit mouere in genere finis, qui agit, vt sit, non quia est. Ad confirmationem dico finem impossibilem non esse causam omnium effectuum, quorum est causa finis possibilis, quia iste est causa existentiæ physicæ sui, ille non potest esse causa: inde est media, quorum est causa finis impossibilis, existimari quidem, sed non esse vera media, neque tamen id repugnat fini mouenti, quia non est de ratione finis mouere ad media, quæ sunt vera media, aliter prudenter ageret quicumque ageret

ret, quod experientiæ repugnat.

23. Ad quintum: distinguo antecedens; cognitio finis causat efficienter amorem finis: concedo antecedens: causat finaliter: nego antecedens, & consequentiam. Bonum, quod finaliter mouet ad operandum, est bonum per cognitionem cognitum, vt ex dictis constat, qui enim mouetur ad sumendam medicinam non mouetur á bonitate, quam habet cognitio sanitatis; sed à bonitate, quam habet sanitas cognita. Inde est, quod illa bonitas, quam vtique habet identice cognitio sanitatis, non est sufficiens ad mouendam voluntatem eo actu, quo sanitatem intendit, quia huiusmodi bonitas non est obiectiue, sed identice in cognitione. Cæterum dubium non est, quin ipsa cognitio, quæ est gratia sui expetibilis, possit mouere voluntatem ad amandam se, & media propter se, dummodo tamen proponatur voluntati per aliam cognitionem, adeoque sit bonum habens esse non identice, sed obiectiue in cognitione, quod solum bonum potest mouere voluntatem ad eligenda media, quæ sunt opportuna ad consecutionem finis, vt euidentissime demonstrat exemplum illius, qui à bonitate scientiæ, quæ est bonitas cognitionis, mouetur ad paranda media, quæ ad scientiam conducunt.

24 Ad vltimum: concedo maiorem, & nego minorem. Actio, quæ producit effectum in genere causæ finalis, non est quæcumque promiscue actio, sed illa tantúm, quam imperat voluntas intendens finem: huiusmodi non est indifferens, quia supponit ipsum formale exercitium voluntatis vnum potiùs, quam alium finem intendentis.

QVAESTIO III.

Vtrum omne agens agat propter finem?

1. Videtur non agere. Primò, quia non omne agens agit per intellectum, sed solum agens per intellectum agit propter finem, ergo non omne ágens agit propter finem. Maior est certa, quia homo generat hominem non quatenus intelligens est: planta licet non intelligat, producit plantam, & ignis ignem. Minor etiam patet, quia agere propter finem est moueri á bono cognito: solum agens intellectuale mouetur à bono cognito, ergo &c.

2. Secundò. Agere propter finem est intendere bonum, non omne agens intendit bonum operando, ergo non omne agens propter finem operatur. Minor probatur, quia agens liberum dùm peccando deflectit á legibus æternis, intendit malum, non bonum, recedit enim à bono intelligibili, & honesto, quod est bonum diuinum, ergo &c.

3. Tertiò. Quicumque peccat, non operatur propter vltimum finem, ergo propter nullum finem operatur, ergo &c Antecedens patet, quia operatur contra vltimum finem; peccatum enim, vt inquit Augustinus, est dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam. Consequentia probatur. Quando finis vltimus non mouet, nullus finis mouet, sicuti omnis motus corporum sublunarium desineret, si motus primi mobilis desineret, & intellectus non potest scire aliquam veritatem, nisi eam exercité resoluat in prima principia, itá enim se habet vltimus finis in operabilibus, sicuti prima principia in speculabilibus.

4. Quar-

4. Quarto. Plurima sunt in rerum natura, quæ fortuitò, & casu eueniunt, vt videre est in homine sine consilio, & indeliberatè operante, in Rustico, qui dum terram exercet aratro, thesaurum inuenit: in Turca saltante dum Cœlum coruscat; sed effectus fortuiti non fiunt propter finem, ergo non omne id, quod fit, propter finem fit. Minor probatur, quia id, quod fit præter intentionem agentis, non fit propter finem, cum operari propter finem fit operari ex intentione; sed effectus contingunt præter intentionem, ergo, &c.

5. Vltimo, Deus non operatur propter finem, ergo non omne agens agit propter finem. Antecedens probatur, tùm quia operari propter finem est moueri à fine, sed Deus non mouetur à fine, quia est primum mouens immobile, ergo, &c. tùm quia operari propter finem est velle media propter finem, sed Deus non vult media propter finem, alioquin vellet media voluntate producta, quod repugnat causæ essentialiter improductæ, ergo, &c.

6. Resp. necesse est, vt docet S.Thomas in prima secundæ quæst.1. art.2. & in 3. contrà gentes cap.3. quem sequuntur omnes Theologi, & Philosophi, omnem actionem esse propter finem, adeóque omne agens agere propter finem. Rationem á priori tradit ibidem Doctor Angelicus ex conceptu causæ in hunc modum. Necesse est, vt in causis subordinatis omnis causa desinat agere, quando illa desinit, quæ primò requiritur ad agendum, sed causa finalis primo requiritur ad agendum, ergo necesse est, vt omnis causa desinat agere, si causa finalis non agit; ergo necesse est, vt omne agens agat propter finem. Minor probatur hoc discursu. Causa formalis non præstat effectum formalem, adeòque non agit in genere suo, nisi forma, quæ est causa formalis (sermo

est in præsenti de forma materiali nobis notissima) educatur de potentia materiæ, adeóque nisi materia exerceat virtutem suam: euidens autem est materiam non posse in suo genere esse causam formæ, nisi existat causa efficiens, á qua educatur actiué forma de potentia materiæ, tùm quia causalitas causæ materialis non distinguitur realiter à causalitate efficientis, vt demonstratum est disp. 10. qu. 2. num 7. tùm quia non potest materia in suo genere producere, nisi forma de ipsius potentia educatur, quæ vtique educi non potest, nisi ab aliquo educatur continente formaliter, vel eminenter eius perfectionem, quod est formalissimé produci efficienter: Indé est, quod causæ, quæ physicé causant, itá sunt inuicém connexæ & subordinatæ, vt sine actione causæ efficientis agere non possint. Causa veró efficiens non potest agere, nisi ab aliquo fine moueatur, quod ex multiplici capite nobis persuadet naturæ lumen. Primó ex inclinatione, quam habet agens ad producendum effectum similem sibi, vel in omnibus prædicatis essentialibus, si agens est vniuocum, vel in aliquo, si est æquiuocum. Secundó, quia omne agens intendit aliquod bonum operando, nemo enim intendens ad malum, operatur: & ratio à priori est, quód virtus agendi existens in causis secundis est quædam imitatio illius infinitæ virtutis, quam habet prima causa, siué author naturæ, fundata in abundantia infinitæ perfectionis mouentis Deum ad nostram indigentiam subleuandam. Tertió nullum est agens, quod non habeat aliquem certum, & sibi præscriptum terminum, quò tendat: id enim si diuersimodé contingeret, non esset cur agens hoc potiús, quám illud ageret, adeóque simpliciter non ageret, cum nihil possit agere, si aliquid certum non agit, sicuti nihil potest esse, quod

quod determinatè non sit, cum repugnet rem existere, & determinatè non existere, hoc est potiùs esse, quàm non esse. Quod si omne agens habet certum, & definitum terminum, necesse est, vt detur in quolibet agente determinatio ad aliquid certum, quod habet rationem finis, fundata vel in appetitu rationali, vel in naturali inclinatione; quæ est appetitus naturalis, omnibus rebus á natura inditus. Cum igitur causa efficiens agere non possit, nisi finis eam moueat, consequens est, vt si finis non exerceat virtutem suam, nulla causa operetur, adeóque vt omne agens operetur propter finem. Ex quo discursu infert cum Aristotele S. Thomas causam finalem esse præcipuam, & primam causam, adeóque Deum esse demonstrandum priùs sub conceptu boni summi, hoc est sub conceptu finis vltimi mouentis hominem ad operandum, quám sub conceptu primæ causæ efficientis.

7. Huius rei veritatem á priori hucusque demonstratam, manibus, vt ita dicam, tractandam efficit iucundissima huius mundi contemplatio, vbi nihil est; quod temeré sit factum, nihil quod casu agat, omnia sunt librata magis rationum momentis, & media ponuntur efficacissima ad finem naturæ assequendum. An forté casu accidit, vt corpora Cœlestia in orbem semper moueantur, suoque motu hanc adeó ordinatam ætatum, ac temporum vicissitudinem efficiant, & perpetuæ mutationi, qua alia occidunt, alia nascuntur, inseruiant? An temeré fit, vt ex semine in terram iacto nascantur fruges, adolescant plantæ, quibus singula prouidit Instrumenta natura ad procreandos, maturandosque fructus? An temeré operantur bruta animantia, dum victum sibi quæritant, dum suos procreant fœtus? Non licet singula persequi, quæ cæteroquin liberet. Legatur

tur in hanc rem Tullius in 2. de Nat. Deor. qui non minus Philosophum, quàm Oratorem agit in hac mirabili naturæ arte speculanda, quod si experientia demonstrat nihil temerè, nihil cásu in Mundò fieri, sequitur apertè omne id quod fit, propter aliquem finem fieri, quia omnes causæ creatæ, dum ordinatè operantur, efficacissimè nobis persuadent omnia sapienter fieri.

8. Hic discursus, qui est euidentissimus non minús demonstrat totam naturam propter finem operari, quám esse necessarium intellectum sapientissimum, qui omnes causas ad finem vnicuique proportionatum ordinet, ac dirigat, ex qua directione fit, vt media adhibeant animalia, cæteræque causæ, quibus nullus inest cogitandi sensus, longé magis proportionata ad finem consequendum, quam ea, quæ solent adhibere homines licet prudentissimi, dum aliquid liberè operantur: quod est ineluctabile argumentum ad probandum rationem, & sapientiam quæ dirigit ad finem ea, quæ nullum habent rationem, esse longè maiorem illa, qua homo ratione præditus se ad finem dirigit, quia illa est infinita, adeóque infallibilis. Neque propterea sequitur perfectius operari Bruta, quám homines, quia non operantur in eodem genere, homines enim operantur per intellectum, & voluntatem, adeóque exercendo libertatem dominium exercent in suos actus, quód propterea á se habent, imitantur, quantum possunt Diuinam perfectionem, quæ est causa, cur Deus habeat á se quidquid habet: homo igitur, licet aliquando deficiat in eligendis medijs opportunis ad finem, quod nascitur ex defectu sapientiæ dirigentis, operatur tamen perfectiùs, quám quodlibet agens naturale carens intellectu, quia huiusmodi non dirigit se; sed opus habet aliquo intellectu á

se di-

se distincto, á quo dirigatur; homo veró dirigit se ad finem, cum ratione sit præditus, quia cognoscendo rationem formalem finis, cognoscit conuenientiam,& proportionem mediorum cum fine,quam cognoscere non potest,quicumque caret intellectu. Indè est, quòd sola agentia intellectualia, vt rectè docet S. Thomas, agunt formaliter propter finem; quia mouent se ad finem, & operantur ex intentione finis, cætera agunt propter finem intentum ab authore naturæ. Appositissimum est ad explicandum hunc modum, quo huiusmodi causæ agunt propter finem, exemplum valdè familiare S.Thomæ de sagitta, quæ dirigitur ad terminum sibi præfixum á sagittario: indè est, quòd sicuti visa sagitta, quæ rectà tendit ad scopum,intelligimus mentem, & manum sagittarij ictum meditantis, ità videndo causas secundas semper ordinatè operari, debemus ascendere ad notitiam supremi intellectus omnia ad suos fines ordinantis. Hinc est quòd opus naturæ est opus intelligentiæ, vt ex Aristotele docet Auerroes in 12. Metr. omnia enim, quæ natura, vel arte fiunt, ratione aliqua fiunt, vt ait idem Philosophus in quarto de generatione animalium, & Hippocr. quem imitatur Galens in lib. 1. de vsu partium, vocat ingeniosé agentia naturalia docta simul, & indocta, quia in se sunt indocta, & in directione primæ causæ docta, sicuti homo indisertus, qui per Interpretem loquitur, nimirùm per disertissimum Oratorem, dicitur eloquens simul, & ineloquens.

9. Ad primum constat ex dictis: in forma: concedo mai: & dist: min: solum agens intellectuale agit formaliter propter finem: conc: min: formaliter vel materialiter: nego mi: & consequentiam id enim, quod non agit per intellectum, agit propter finem non á se intentum, sed ab authore naturæ, ideò agit

mate-

esse? Nemo diceret: Nolo: Exempli gratia pone aliquem furem, quæro ab illo, quare furtum facis? vt habeam, inquit, quod non habebam: quare vis habere, quod non habebas? Quia miserum est non habeere: si ergo miserum est non habere, beatum putat habere, sed in eo imprudens est, quia de malo vult beatus fieri, bonum est enim beatum esse: vndè ergo ille peruersus? quia bonum quærit, & malum facit: hucusque ingeniosissimé Augustinus.

11. Ad tertium patet ex dictis, quia fœlicitatem, siué vltimum finem, omnes amant, boni videlicet, & mali, illi tamen bené amant gaudentes de veritate, quia amant fœlicitatem vbi est amanda: illi malé amant gaudentes de errore, quia fœlicitatem amittunt, dúm eam quærunt.

12. Ad quartum: Effectus fortuiti, & casuales, sunt á Deo intenti, adeóque illud etiam, quod casu contingit, propter finem fit. Addo nihil esse, vt acuté docet Philosopus in secundo Physicorum, quod magis demonstret naturam operari propter finem, quám ipsa monstra, quæ in natura contingunt, & vocari solent peccata naturæ deficientis in aliquo opere á fine præscripto: sicuti nihil magis prædicat artem operantem ex intentione finis, quám defectus, qui aliquando in artefactis contingit.

13. Ad vltimum: nego antec. Deus amat se, & omnia propter se amore improducto, quia quidquid est in Deo, Deus est, nimirum ens inproductum. Indé est, quod ille actus, quo Deus vult se, & omnia propter se, nullam habet causam sui, adeóque nequé causam finalem, propter quam fit: sicuti ergó dicitur huiusmodi amor esse ens á se, non, quia sit ens productum á se, id enim repugnat enti improducto, sed quia nullam habet causam effectricem sui, ita dicitur amor sui, & cæterorum propter se, quia non

sistit

sistit in bonitate distincta à se, quod nobis cognoscentibus Deum per speciem rerum creatarum præbet fundamentum cognoscendi Deum amantem se propter se, perindé ac si produceret amorem sui dependentem in genere finis á sua bonitate. Hinc patet ad primam Antecedentis probationem. Ad secundam similiter dico Deum, qui vult mediá propter finem, nimirum merita propter gloriam, non velle mediá voluntate producta á voluntate finis, vt recté monet S. Thomas, sed velle media, & finem vno, & eodem actu improducto, beatitudinem nimirum vt præmium meriti.

QVAESTIO VLTIMA.

De Idea, fortuna, & fato.

1. IDeam, siué causam Idealem, quam sibi proponit imitandam Artifex, dum operatur iuxta legem Artis, definit ex Aug. 12 de Ciu. Dei cap. 15. S. Thom. quæst 3. de veritate art. 1. esse formam, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis sibi finem. Ex qua definitione constat Ideam, & exemplar reciprocari, & ad rationem Ideæ requiri, vt effectus producatur ad imitationem eius formæ quam habet agens, cum agit ex intentione finis; indé est, quód operari ex Idea non potest conuenire nisi agentibus per intellectum, quia licet omne agens producat effectum, qui est imago facta ad imitationem principij, á quo procedit, non omne agens operatur per intellectum, adeóque non omne agens operatur formaliter propter finem, quod necesse est euenire, quando aliquid fieri contingit dependenter á causa Ideali.

2 Hu-

2. Huiusmodi Idea alia est Idea interna alia externa, vt docet Sen. in Epistola 66. Idea externa est illud exemplar, quod sibi extra mentem format Artifex, vt aliquam rem ad eius similitudinem producat: huiusmodi est imago, quam sibi proponit Pictor imitandam, & Domus expressa in charta, quam ante oculos habet Artifex, dum fabricatur Domum. Idea interna est illud exemplar, quod sibi format in mente, qui aliquem effectum vult producere, vt statuarius, qui priús animo concipit statuam; quam eius formam imprimat marmori. De Idea externa non erit hic sermo, túm quia non requiritur ad operandum, cum sufficiat interna, oritur enim ex imperfectione Artificis, vt indigeat externo exemplari ad formandū artefactum; túm quia Idea externa nūquam operatur sine Idea interna eatenús enim producitur effectus ad imitationem externi exemplaris, quatenús in mente Artificis viuit Idea, ad cuius imitationem operatur.

3. Existere Ideam influentem in genere causæ exemplaris ad effectum producendum est indubitatum, idque constat à priori ex conceptu Ideæ, quæ est forma, quam agens imitatur aliquem finem sibi constituens: euidens autem est, vt demonstrat discursus de natura propter finē operante in qu. 3. omnem effectum, qui causam imitatur, vndè procedit, fieri propter aliquem finem; idcircò euidens est in aliquo intellectu esse formam rerum omnium producendarum, ad cuius imitationem producitur, quidquid ab Agente determinante sibi finem, efficitur. Eandem veritatem persuadet nobis à posteriori experientia, quam habemus de rebus, quæ fiunt ab Arte; neque enim potest Pictor telam coloribus imbuere, statuarius marmor incidere ad Cæsaris formam imprimendam, nisi statuæ, & picturæ conficiendæ

Ideam

Ideam habeat in mente: Præterea Orator non est aptus ad orationem formandam, Vates ad modulandum carmen, nisi alter orationis, alter poematis Ideam animo insculptam teneat. Addo in omnibus Artibus id contingere, vt illi Artifices reliquos antecellant, qui nobiliores Ideas rerum agendarum mente formauerint, cum artis perfectiorem assequi sit artefactum condere ad imitationem præstantissimæ Ideæ: hinc perfectiorem operandi Ideam solet habere qui perfectiùs operatur iuxta leges artis, vt cõstat ex Tullio qui in arte dicendi exercitatissimus eam nobis Oratoris Ideam proposuit in sua Rhetorica, quam plurimi quidem fuerunt persequuti, nemo fortasse, vt idem fatetur vno excepto Demosthene, fuit assecutus.

4. Quod si opera artis, quæ longè differunt ab operibus naturæ, fiunt ad imitationem alicuius Ideæ, quis ambiget an opera naturæ, in quibus relucet maxima consensio, & harmonia partium, sint producta ad imitationem alicuius Ideæ? Huic discursui consonat fides, quæ docet omnia fuisse á Deo condita, rerum omnium imagines, & simulacra in suo fœcundo intellectu gerente. Homo siquidem est conditus ad imaginem, & similitudinem Dei, vt Sacræ Paginæ referunt; cætera veró, quæ vitam non habent intelligentem, habent quidem in seipsis impressam sui Conditoris similitudinem, non verò imaginem, vt demonstrant omnes Theologi cum S. Thoma, adeòque omnia creata Dei pulchritudinem enarrant; vndé fit esse facta ad imitationem diuinæ naturæ, quæ est pulcherrimum illud exemplar, quod iuxta nostrum intelligendi modum sapientissimus Artifex, nimirùm Cœli, Terræque molitor debuit obseruare, vt suam bonitatem tot, tantisque modis effunderet.

5. Quia

5. Quia veró Verbum Diuinum, quod procedit á Patre seipsum perfectissimé intelligente, est sapientia Patris, eiusque filius, ideò Verbum dicitur exemplar totius Mundi, adeóque omnia dicuntur facta per Verbum, sicuti domus dicitur fieri ab Artifice per Ideam domus, quam habet in mente: vndè sequitur, quód sicuti domus antequam existat in se, debet priùs existere in conceptu Artificis, in quo habet vitam intentionalem, itá totus hic Mundus antequam existeret in se, viuebat in nobilibus illis Ideis, quas anté omnia sæcula Deus intra se fabricatus fuerat, nimirum in conceptu Diuino, qui est Verbum Dei, iuxta illud Ioannis primo, *omnia, quæ facta sunt in ipso vita erant*. Ad huiusmodi Ideas in mente Diuina impressas voluit alludere Plato, dum rerum omnium materialium formas immateriales constituit, & Boetius dum loquens de Deo hæc cicinit: *Pulchrum Pulcherrimus ipse Mundum mente gerens, similique ab Imagine formans*. De ijsdem locutus est Augustinus, qui tract.1. in Ioan: ista habet: *Facta est terra, sed ipsa terra, quæ facta est, non est vita: est autem in ipsa sapientia ratio quædam, qua terra facta est, hæc vita est: terram vides, est in arte terra; Cælum vides, est in arte Cælum, Solem, & Lunam vides; sunt & ista in arte, sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.*

6 Hinc est, quòd virtus causæ exemplaris, quæ ad efficientem reducitur, & per nostrum intelligendi modum dirigit Deum ad operandum, est ipsa essentia Diuina, quæ cum sit pelagus infinitum omnium perfectionum, repræsentat intelligenter res omnes faciendas. Ratio est, quia oportet, vt ideatum fiat ad imitationem Ideæ, sed res omnes creatæ fiunt ad imitationem Diuinæ naturæ intentiona-

liter repræsentantis res omnes, ergo Diuina natura est Idea rerum omnium dirigens Deum ad operandum, quoties operatur ad extra. Relatè ad hanc virtutem causæ exemplaris dirigentis sapientissimum naturæ opificem ad Mundum fabricandum, explicari debet illa virtus, qua Idea est causa cuiuscumque artefacti, ea enim consistit in conceptu formali, siué cognitione quæ rem faciendam repræsentans, inhæret menti artificis: ità architectus, qui domum molitur, est causa domus per formam, siuè Ideam domus, quam in mente habet, sicuti enim agens naturale operatur per formam naturalem, quæ habet similitudinem cum effectu producto, ita agens artificiale operatur per formā intentionalem, quæ habet similitudinem cum artefacto. Illud verò interest inter artificem creatum, & increatum, quod vtroque operante per Ideam, increatus operatur per Ideam, siuè cognitionem rei faciendæ existentem identicé in mente artificis, adeòque per suam essentiam, Creatus verò operatur per Ideam existentem physicé, & transitiuè in mente artificis. Vndé redditur ratio, cur causa exemplaris ad efficientem reducatur, quia sicuti forma naturalis, quæ est in agente naturali, agit efficienter, dum format effectum ipsam imitantem; ità forma intentionalis, quæ est in agente artificiali, agit efficienter, dum producit ad imitationem sui artefactum, adeóque omnis causa idealis est efficiens, sed non omnis efficiens idealis.

7. Neque huic discursui, quem præsertim instituimus de Idea Diuini artificis, opponi potest multitudo idearum dirigentium Deum ad operandum, quæ componi non potest cum essentia Diuina essentialiter immultiplicabili, quia vt optimé docet S. Thomas in 1. parte quæst. 15. art. 2. Ideæ in mente Diuina

exi-

existentes multiplicantur solùm formaliter secundum multitudinem rerum, quæ ad earum imitationem producuntur. Indè est, tot esse Ideas formaliter diuersas, quot sunt res creatæ naturam Diuinam diuersimodè imitantes, adeóque Ideam hominis esse diuersam formaliter ab Idea Leonis, quia natura Diuina quatenús imitabilis ab homine, est Idea hominis, quatenús imitabilis á Leone, est Idea Leonis, Deus enim, qui format hominem, quatenús cognoscit suam naturam ab homine imitabilem, dicitur operari per Ideam hominis: ex quo tandèm fit, vt vera sint ea, quæ á SS.PP. præsertim Dionysio, & Augustino de istis Ideis circumferuntur, quas appellant formas, & rationes incommutabiles, æternas, substantiales, & vitales intra Diuinum intellectum existentes.

8. Causam idealem, siué exemplarem sequitur causa per accidens, quæ diuiditur in fortunam, & casum; effectus enim casualis, & fortuitus est effectus, qui rarò contingit præter intentionem operantis, ideò in genere moris actus, qui casu contingit, non solet imputari ad præmium, vel ad pœnam, neque enim culpandus est, vt parricida, qui feram venaturus occidit Patrem suũ quem credebat feram, cum participium per accidens commiserit. Discrimen fortunæ á casu refundit Aristoteles in secundo Physic. cap. 6. in diuersitatem subiecti, vbi reperiuntur, ea enim solùm fortunæ subiecta dicuntur, quibus conuenit operari liberè, quia prospera fortuna, á qua nominatur homo fortunatus, vel est fœlicitas, vel fœlicitati proxima, quæ vtique contingerè non potest nisi operantibus liberè, & ex electione, ideó si contingat, vt lapis descendens percutiat hominem, hæc percussio dicitur effectus fortuitus á fortuna procedens, si percutiat canem, dicitur effectus

casualis procedens à casu, non alia de causa, nisi quia aliquid improsperum succedit homini, qui vtpotè liber est capax fœlicitatis, quod cani non contingit, quem nemo est, qui rectè dixerit fœlicem: indé est omnem effectum fortuitum esse casualem, non omnem casualem fortuitum, quia magis laté patet casus, quam fortuna.

9. Dubium esse non potest, quin fortuna, & casus existant, plurimi enim in rerum natura contingunt effectus fortuiti, & casuales, quia singulis diebus multa eueniunt, quæ sunt præter finem, & intentionem causæ á qua procedunt. Nonnè monstra nasci experimur, quæ scilicet sunt partus á generantium virtute degeneres? præterea forté contingit, vt aliquis terram fodiens thesaurum inueniat, & dicatur fortunatus, alius in hostem incidat, á quo iugulatur, dum ad amicum salutandum pergit, & dicatur infortunatus: qui omnes effectus præter finem, & intentionem accidunt, necesse autem est, vt hæc omnia reducantur ad aliquam causam intendentem, & ordinantem, respectu cuius nihil accidat casuale, & nihil fortuitum: hæc causá est Deus, qui procul dubio cognoscit ratione infinitæ suæ sapientiæ omnia, quæ ex varia, & multiplici causarum secundarum concursione per se, vel per accidens proueniunt, eaque vult efficaciter voluntate intendente, vel permittente, ratione infinitæ bonitatis, quæ omnia ad suos fines per occultas vias conducit. Ad explicandum quomodó non sit fortuitum, & casuale Deo, quod est fortuitum causæ secundæ, est accõmodatum exemplum occursus duplicis serui, qui est vtrique fortuitus, eo quòd neuter intendit alteri occurrere, sed est præcognitus, & intentus á Domino, qui hac de causa seruos dimisit, vt vnus alteri occurreret.

10. Quid tandem sit fortuna, varij ex antiquis

Philo-

Philosophis varia dixere: aliquos refert Augustinus in 4. Ciui. Dei cap 18. qui crediderunt eam esse quandam occultam causam, temerè, & sine prudentia, cæcoque modo operantem, quam Deam esse somniarunt. In hanc sententiam visus est incidere Iuuenalis, ait enim in Satyra decima:

Nullum numen abest si sit prudentia; sed nos
Te facimus fortuna Deam, Cæloque locamus.

Alij censebant effectus fortuitos, & casuales non subiacere Diuinæ Prouidentiæ, ea de causa ád hoc opinandum adducti, quod viderent ea bona, quæ vocamus bona fortunæ, scilicet opes, honores, & nobilitatem donari frequenter immerentibus, negari merentibus.

11. Castigatiús locutus est Aristoteles, qui ait fortunam esse causam liberam, & per accidens fortuitorum effectuum, qui nullam habent causam secundam per se, á prima tamen per se, hoc est ex præuisione, & intentione procedunt medijs causis liberis per accidens occurrentibus, quæ doctrina valdè consonat veritati nostræ fidei docentis bona fortunæ á Deo exspectanda, nihilque prosperi, vel aduersi contingere, quod Deo volente, vel permittente non contingat, cum ipsa etiam peccata Deo permittente contingant, qui meliús censet de malis bona facere, quám mala nulla permittere, vt inquit Augustinus. Cæterum non obstat, quod fortuna prospera impios sequatur: improspera, & aduersa pios, & sanctos persequatur, id enim referri debet ad ordinem Diuinæ Prouidentiæ omnia itá disponentis, vt homines sancti æternæ fœlicitati destinati exerceantur rebus aduersis, & prosperis non extollantur.

12. Restat agendum de fato, cuius nomine non intelligitur fatalis quædam necessitas operandi,

quam impié nimirum, & sacrilegé in Deum omnia operantem inuexere nonnulli Philosophi, quos plurimi secuti sunt Poetæ, á quibus illud emanuit: *sic erat in fatis*, & alibi: *te tua fata trahunt*, adeò vt omnia, quæ hominibus, cæterisque rebus eueniunt quodam fato agerentur: huiusmodi error est impius, neque fidei tantum, sed etiam rationi repugnat; quomodo enim Deus perfectissimus est, si liber non est? quomodo veró liber est si fato cogente operatur? præterea hoc fatum si Deum cogit ad operandum, erit aliquid superius ipso Deo, adeòque perfectiús, quod aperté repugnat naturæ perfectissimi entis. Fatum igitur apud Catholicos nihil aliud significat, quám Diuinam omnium rerum præscientiam & infinitam Legislatoris summi Prouidentiam omnia iuxta suæ voluntatis consilium sapientissimé administrantis.

13. In hoc sensu locutus est Boetius in 4. de consol. quem sequitur S.Thomas cum omnibus Theologis, vbi ait: *fatum ab immobilibus Prouidentiæ proficiscens exordiis actus, fortunasque hominum indissolubili causarum connexione adstringit*. Neque tamen hinc sequitur humanam lædi libertatem; quia Deus voluntate sua omnia disponens non imponit necessitatem agentibus liberis: Quomodo veró hæc duo possint conciliari, nimirúm efficacia Diuinæ voluntatis omnia disponentis, & libertas humanæ voluntatis liberé se flectentis ad vnam potiús, quám ad aliam partem non est huius instituti ostendere.

DISPVTATIO DVODECIMA.

De motu, & loco corporis naturalis.

INter cæteras corporis naturalis proprietates, potiſſima eſt motus, quia corpus naturale eſt ens mobile, adeóquè mutabile. Dè motu in génere agit Philoſophus in 3. Phyſic. de eodem in ſpecie agit in 5. quia in libro 4. agit de locó, qui eſt términus, ad quem mouetur corpus. Hanc geminam córporis naturalis proprietatem, nimirum motum, & locum, hic tractandam cum Ariſtotele ſuſcepimus.

QVAESTIO I.

Quid, & quotuplex ſit motus, & an moueatur ab alio omne id, quod mouetur.

1. NOmine motus abſtractiſſimè accepti intelligitur mutatio, quæ in ſuo formali conceptu inuoluit ſtatum rei aliter ſe habentis, ac ante, vt alibi dictum eſt, cum repugnet, vt aliqua res intelligatur moueri, quæ non intelligitut mutari: ideò illud ens, cui repugnat mutatio, repugnat vt moueatur: quia veró mutatio non repugnat niſi enti, quod habet omnem perfectionem, ideó motus non repu-

gnat nisi enti perfectissimo. In hoc sensu possim dicitur Deus esse ens immobile, quia est essentialiter immutabilis: cætera veró á Deo distincta possunt aliquo motu moueri, quia possunt mutari. Hinc est, quod substantia non solum materialis moueri potest, sed etiam immaterialis, adeóque motus alius est sensibilis, alius intelligibilis: de hoc agere non spectat ad Physicum; illum existere, est omnibus manifestum quidquid contra dicat Zeno.

2. Motus sensibilis ab Aristotele, quem sequitur vniuersa Schola Peripatetica, *definitur*: *actus entis in potentia prout in potentia*. Ad huius definitionis intelligentiam sciendum est quatuor reperiri in omni motu, nimirum subiectum, quod mouetur, terminum á quo mouetur, terminum ad quem mouetur, & actionem, qua mouetur. Hæc omnia non ita reperiuntur in mòtu, vt omnia constituant intrinsece motum, aliqua enim sunt, quibus constituitur intrinsecé motus, alia quæ connotat: actio, per quam mobile mouetur, constituit intrinsecè motum, immó est formalissimè ipse motus, quia est illa ratio formalis, siué illa forma, quæ facit, vt mobile moueatur: mobile verò, quod mouetur, & duplex terminus, vnus á quo & alius ad quem mouetur, non constituùnt intrinsecé motum, spectant enim ad connotata extrinseca motus. Ratio á priori est quia motus adæquatè distinguitur á mobili, termino á quo, & termino ad quem, cum possit in rerum natura existere subiectum, quod mouetur, terminus á quo mouetur, & terminus ad quem mouetur, quin mobile moueatur, vt ipsa experientia demonstrat in motu locali, cum in præsenti existat spatium Romanum, & Florentinum, quin Petrus Romam incolens Florentiam petat. Manifestum est autem omne id, á quo aliquid adæquatè distinguitur, esse eidem

extrin-

extrinsecum, cum illud solum sit intrinsecum rei, adeòque intrinsecè constituat rem, quod eandem componit: idcircò motus, siuè illa forma, per quam mobile recedit ab vno termino, & ad alium accedit, habet quidem ordinem, tùm ad mobile, tùm ad vtrumque terminum, sed nullatenùs constituitur intrinsecè per mobile, & vtrumque terminum.

3 Ex hac doctrina perspicuè constat veritas definitionis, quam tradidit Aristoteles de motu. Nomine *actus*, qui locum generis tenet, significatur id, quod actuat, & informat mobile: dupliciter autem contingere potest, vt aliquid actuet, & informet nimirùm perfectè, & imperfectè: actuat perfectè forma substantialis, quæ constituit ens completum, & substantiale: actuat imperfectè forma accidentalis, quæ constituit ens incompletum, & imperfectum. Præterea huiusmodi actus imperfectus alius est accidētaliter, alius essentialiter imperfectus. Actus accidentaliter imperfectus dicitur forma accidentalis in gradu remisso, vt calor remissus, qui non pertingit ad perfectionē caloris intensi: actus essentialiter imperfectus, est ille, qui nimirū includit imperfectionem, sine qua non potest esse, neque intelligi: huiusmodi est motus, qui ex suo formali conceptu id vnicè habet, vt subiectum referat ad terminum, sine quo existere non potest. Inde est, quod actus, qui abstrahit á perfecto, & imperfecto, contrahitur ad significandum actum essentialiter imperfectum á verbis consequentibus, nimirùm *entis in potentia prout in potentia*, quæ verba significant subiectum, quod actuatur huiusmodi actu, esse actuabile per alium actum, qui est terminus motus: Exemplis rem totam demonstro: Calefactio, qua incalescit manus admota igni, est motus, quia est actus receptus in manu, quæ est subiectum calefactibile,

adeò-

adeoque susceptiuum caloris, nimirùm illius termini, ad quém tendit actio calefàcendi: præterea illuminatio, qua illuminatur aer, est motus, quia est actus receptus in acere, qui est subiectum illuminabile, adeoque ést subiectum susceptiuum lucis.

4. Hinc est motum alium esse instantaneum, alium successiuum, quia mutatio, quæ reciprocatur cum motu, alia est tota simul, alia successiue contingit, vt videre est in mutatione substantiali, quæ tota simul contingit, eo quod forma substantialis carens partibus adeoque consistens in indiuisibili, tota instantaneé producitur, & in mutatione accidentali, quæ successiue contingit, eo quod forma accidentalis diuisibilis in plurimas partes successiue producitur. Ad motum instantaneum spectant omnes generationes, & mutationes substantiales, quæ ordinantur ad producendam formam substantialem. Ad motum successiuum spéctat motus alterationis, per quem subiectum mouetur ad suscipiendam qualitatem capacem oppositionis, & contrarietatis: huiusmodi sunt calor, frigus, & cæteræ qualitates elementares quæ reperiuntur in omnibus mixtis, in quibus propterea dicuntur elementa contineri virtualiter, quatenus qualitates elementares refractæ comitantur formas cuiuscumque mixti. De motu tam generationis, quam alterationis nihil in præsenti, quia de his sermo erit in libris de Ortu, & interitu in tomo 3.

5. Vna, & notissima species motus est motus localis, quo mobile deserit vnum locum, & alium acquirit: huiusmodi motus est essentialiter successiuus, quia repugnat, vt id, quod localiter mouetur, transeat ab vno ad alium locum, quin occupet spatium inter medium: est igitur necesse, vt mobile,

quod

quod mouetur, occupet partem priús antecedentem, deindé consequentem illius spatij, per quod mouetur: id autem fieri repugnat in instanti, quia vbi datur priús, & posteriús, necesse est, vt detur successio, quæ repugnat motui instantaneo. Quia vero non potest intelligi, quid sit moueri localiter, nisi intelligatur natura loci, ideó vberiorem explicationem motus localis reijcimus in sequentem quæstionem, vbi de loco agendum erit. Necesse est, vt in quocumque motu duo termini oppositi inueniantur, vnus qui relinquitur, alius, qui acquiritur á corpore, quod mouetur: motus, quo mobile relinquit vnum terminum, dicitur recessus, & motus, quo mouetur ad alium terminum, vocatur accessus: hi duo motus distinguuntur formaliter, non realiter, eadem enim, vt dicit Philosophus, est via, quæ ducit Thebis Athenas, & Athenis Thebas.

6. Huiusmodi motus desumit suam speciem, & vnitatem á termino á quo: indé est primó actionem esse vnam, vel multiplicem, quæ vnum, vel multiplicem habet terminum ad quem, quidquid sit de termino á quo, hic enim non attenditur: secundó calefactionem differre specie á frigefactione, quia terminus ad quem calefactionis est calor, qui differt specie á frigore, quod est terminus frigefactionis.

7. Hæc sunt certa, dubium potest esse, an vniuersaliter sit verum illud principium, quod vulgó dicitur, dùm ágitur de motu: *omne quod mouetur ab alio mouetur*. Ex quo principio videtur inferre Aristoteles necessitatem alicuius primi mouentis, á quo omnia moueantur.

8. Ratio dubitandi est primó, quia corpora grauia mouentur ad centrum, corpora leuia á centro ad circumferentiam; sed huiusmodi corpora non mouentur ab alio, quia non est necesse, vt ab extrinseco

co motore moueantur, sicuti contingit lapidi, qui sursum mouetur, quando proijcitur.

9. Secundò: Nulla est res, quæ non producat in se proprietates suas, nimirum ignis calorem, aqua frigiditatem, sol lucem; sed aqua dúm producit frigiditatem, mouetur, & à nullo mouetur, quia á se mouetur, ergo non omne, quod mouetur, ab alio mouetur.

10. Tertió. Vita in actu secundò est motus ab intrinseco, quia est formalissimè operatio immanens, quæ necesse est, vt recipiatur in operante, à quo producitur; sed actus viuendi non potest non esse á viuente; ergo datur aliquis motus, qui non potest non esse á subiecto, quod mouetur; quia necesse est, vt ille motus, per quem viuens viuit, sit á substantia viuente, quæ mouetur, ergo non omne, quod mouetur, ab alio mouetur.

11. Quartó. Si omne, quod mouetur, ab alio mouetur, nihil mouetur: sed euidens est aliquod moueri, ergo non omne, quod mouetur ab alio mouetur. Maior probatur. Si omne, quod mouetur ab alio mouetur, necesse est, vt procedatur in infinitum in serie rerum, quæ mouent, & rerum, quæ mouentur, si enim A non potest moueri, nisi moueatur á B, ipsum B non poterit mouere A, nisi ab alio moueatur, quia B dùm mouet A, mouetur, transit enim à non mouendo, ad mouendum, quod est formalissime moueri. Quod si fateris ipsum B, à quo mouetur A, debere ab alio moueri, necesse est ire in infinitum, quia de hoc tertió mouente eandem instituo quæstionem, ergo cum nequeat procedi in infinitum, fatendum est vel nihil moueri, quod apertè repugnat; vel aliquid moueri, quod ab alio non moueatur.

12. Vltimo. Non repugnat, vt aliquid moueatur;

tur; & seipsum moueat, ergo non omne, quod mouetur ab alio mouetur. Antecedens probatur. Non repugnat identitas inter passum, & agens: sed identitas inter passum, & agens est identitas inter id, quod mouetur, & id, quod mouet, ergo non repugnat identitas inter id, quod mouetur, & id, quod mouet: sed vbi datur huiusmodi identitas, ibi aliquid mouetur, & seipsum mouet, ergo non repugnat, vt aliquid moueatur, & seipsum moueat. Contra hanc sententiam,

13. Dico cum Aristotele, cæterisque Peripateticis omne, quod mouetur, ab alio moueri.

14. Ratio à priori est, quia omne, quod mouetur, transit ad habendum, quod non habebat, ergo omne, quod mouetur, non est adæquatum principium illius operationis, per quam mouetur, ergo omne, quod mouetur, ab alio mouetur. Hæc vltima consequentia est euidens, quia nihil potest mouere, nisi existat adæquata ratio, cur moueatur, siué adæquata sufficientia sui motus. Quod si nihil est adæquatum principium operationis, per quam mouetur, consequens est, vt quidquid mouetur, habeat principium operationis á se distinctum, adeoque ab alio moueatur. Maior etiam est euidens, quia moueri est mutari: quid autem est rem mutari, nisi rē habere nunc, quod antea non habebat? Certé si ab hoc conceptu præscindis, necesse est vt præscindas à conceptu mutationis. Minor probatur, quia esse adæquatum principium alicuius rei est continere totam eius perfectionem, vt ostensum est in Tract. de causa efficiente. Repugnat autem, vt aliquid acquirat perfectionem, quam totam præcontinebat, ergo repugnat, vt aliquid transeat ad habendū, quod non habebat, & in priori ad hunc transitum id totum perfectissimé contineat. Hæc enim duo inter

se pugnant: acquirere, quod non habetur, & habere id, quod acquiritur; si enim in priori ad acquisitionem habetur, quomodo acquiritur? si acquiritur; quomodo in priori habetur? ergo repugnat vt aliquid transeat ad habendum, quod non habebat, & simul sit adæquatum principium habendi, quod non habebat, ergo transire ad habendum, quod non habebat est non esse adæquatum principium habendi, quod non habebat.

15. Hic discursus confirmatur hoc syllogismo: Quidquid mouetur, in quantum mouetur; patitur; sed quidquid patitur, in quantum patitur, perficitur, ergo quidquid mouetur in quantum mouetur, perficitur: sed quidquid perficitur non habet in priori id, per quod perficitur, ergo quidquid perficitur, non est adæquata causa illius perfectionis, per quam perficitur, ergo quidquid mouetur, non est adæquata causa sui motus, ergo habet aliquam causam sui motus á se distinctam, ergo quidquid mouetur, ab alio mouetur.

16. Ratio á posteriori, quæ demonstrat eandem veritatem, nititur inductione in operibus omnibus factis á natura, quæ, ne nimiùs sim, duas redigo in classes, quarum altera complectitur Mundum magnum, nimirum omne id, quod format hanc rerum vniuersitatem constantem ex elementis, mixtis, animalibus perfectis, & imperfectis, hominibus, & Angelis: altera complectitur mundum paruum, nimisum solum hominem, qui á natura ea de causa fuit conditus, vt esset breue totius mundi compendium.

17. Vt autem ab homine exordiar, pone tibi ante oculos Pictorem, qui colores in tela disponit ad imaginem formandam: vtique tela nullis antea coloribus imbuta mouetur, quia mutatur, vt est indubita-

bitatum. Quæro nunc á quo moueatur: á se, an ab alio? Nòn à se: quia mouetur à pennicillo; qui est in manu pingentis: pennicillus veró; qui mouet telam, mouetur, quis enim id ambigat? Non tamen à se mouetur, quia manus est illa, quæ mouet pennicillum, eoque vtitur ad picturam formandam. Manus verò mouét simul, & mouetur á virtute locomotiuá, quæ est á manu distinctá: hæc virtus mouet manum Pictoris, & simul mouetur à voluntate Pictoris, quæ eam habet efficacitatem, vt ad imperium sui moueantur inferiores facultates, in quas dominatur. Voluntás verò, quæ imperat inferioribus facultatibus non mouet, nisi moueatur ab aliquo bono, quia nullus appetitus existit, quem non moueat bonum appetendum ab appetitu distinctū.

18. Ostenso, quomodo natura itá omnia constituerit, vt in homine, qui est paruus mundus, omne, quod mouetur, ab alio moueatur, debemus eandem veritatem in mundo magno demonstrare. Materia prima, quæ in ista Mundi Republica vltimum habet locum, & est primum subiectum omnis motus, non potest moueri ab vna ad aliam formam, nisi detur aliquod agens, à quo moueatur, quod est adeò verum, vt ea de causa dixerit Aristoteles causam efficientem esse principium, vndè primó est motus. Agentia inferiora, quæ sunt causæ sublunares, singulæ singulis effectibus proportionatæ, non mouent materiam ad similitudinem sui eidem imprimendam, nisi moueantur ab agentibus superioribus, quæ sunt corpora cœlestia à quorum perpetua vertigine nascitur omnis motus, & mutatio, quæ in hoc elementari orbe contingit. Corpora cœlestia, quia non habent virtutem intrinsecam se mouendi, debent moaeri ab intelligentijs, quæ dúm mouent, pariter mouentur a Deo, qui cum sit immobilis, a-

nui-

nullo mouetur: eatenus autem mouentur intelligentiæ á Deo, qui cum sit immobilis, á nullo mouetur, quatenus appetunt eidem obiectiué coniungi tanquam mobile suo motori, & perfectibile perfectiuo: Indé est, quod pulchre ait Auicenna, Deum mouere totum hunc mundum, tanquam obiectum desideratum.

19. Ex hoc discursu sequitur, nihil moueri, quod á Deo tanquam primó motore non moueatur, & res creatas esse instrumenta, quæ mouentur a supremo motore ad effectus præstandos: quia veró effectus tantó est perfectior, quantó perfectius coniungitur instrumentum cum causa mouente, ideó effectus, quos Deus facit in ordine, qui naturam prætergreditur, sunt longé perfectiores effectibus ad ordinem naturæ spectantibus, quia ibi perfectiùs, hic imperfectiùs coniungitur cum instrumento, quo vtitur ad operandum. Ratio est, quia in ordine naturæ vtitur creatura tanquam instrumento separato: in ordine gratiæ tanquam instrumento coniuncto, natura enim humana physicé communicata Verbo Diuino appellatur a S. Thoma instrumentum coniunctum, siué organum diuinitatis, ex quo mirábiles effectus prodiere.

20. Ad primum: grauia mouentur ad centrum tùm á grauitate propria, tùm á corporibus cœlestibus, quæ si cessarent moueri, desineret motus omnium grauium, & leuium.

21. Ad secundùm. Dico res omnes máteriales vita carentes moueri ad proprietates suas a causa generante, vt clariùs demonstrabimus in libris de Animâ.

22. Ad tertiúm: concedo maiorem, & distinguo minorem. Actus viuendi non potest esse, nisi a viuente, tanquam a principio adæquato: nego mi-

ina-

inadæquato: concedo minorem, & nego consequentiam. Illud interest inter actum vitæ, & non actum vitæ, quod ille debet esse á viuente, secus iste: Cæterum non indé sequitur adæquatum principium vitæ esse substantiam, quæ viuit, potest enim contingere, immò semper debet contingere, vt ad actum vitæ influat tùm substantia, quæ viuit, tùm aliquid distinctum á substantia, quæ viuit, vt ostendit inductio facta in omni actu vitæ: visio debet procedere a facultate viuendi, quæ est facultas vitalis, sed simul procedit ab obiecto, quod non viuit: cognitio est á cognoscente, & simul ab obiecto, quod est á cognoscente distinctum. Ratio a priori est, quia nulla substantia, quæ viuit vitam creatam, & finitam, est adæquata virtus illlorum actuum, per quos viuit, ita nullus intellectus, qui intelligit per intellectionem distinctam, est adæquatum principium intelligendi; quod idem militat in voluntate,

25. Ad quartum: nego maiorem: non sequitur processus in infinitum ex necessitate, quam hábet vt moueatur ab álio, omne id, quod mouétur; quia tandem aliquando perueniendum est ád aliquod mouens immobile, quod nimirum omnia moueat, quin moueatur, sicuti enim non potest vna veritas demonstrari, nisi deueniatur ad veritatem indemonstrabilem, ita non potest vnum ab alio moueri, nisi deueniatur ad motorem immobilem. Ratio autem, cur Deus moueat, & non moueatur, peti debet ex ipsius natura, quæ vt potè infinité perfecta operatur non ex indigentia, sed ex abundantia perfectionis.

26. Ad vltimum: distinguo antecedens: non repugnat, vt aliquid moueatur, & seipsum moueat tanquam virtus adæquata sui motus: nego antecedens: tanquam virtus inadæquata: concedo antece-

dens: & nego consequentiam. Non repugnantiam identitatis inter agens, & passum euincit operatio immanens, quam patitur illud ipsum, quod agit: non proindé sequitur agens, quod immanenter operatur, ab alio non moueri, quia nullum agens creatum est adæquatum principium suæ operationis.

QVAESTIO II.

De loco extrinseco, & intrinseco.

1. NIhil magis conuenit corpori, quam existere in loco, ideó natura singulis singula loca constituit, quæ dúm occupant, quiescunt, dum non occupant, ad ea occupanda mouentur. Quia vero nihil ab intrinseco mouetur, nisi aliquid ad motum inclinet, ideó omnia corpora habent inclinationem ad motum, atque adeó ad locum petendum suæ congruentem naturæ. Ratio a priori est, quia omnia debent habere media opportuna ad sui conseruationem: aperté autem constat nihil esse magis opportunum ad rem conseruandam, quam locum tenere vnicuique rei áccommodatũ: indé est, quod alicui corpori vnus locus est salubris, alius noxius: aqua diutius perseuerat, quandó influit in mare, quam dum per campos vagatur, teram alluendo: ignis semper ardet, cum est in sua sphæra, non semel extinguitur longé á suo loco, debuit igitur natura omnibus corporibus donare virtutem siué inclinationem quærendi locum sibi magis opportunum: grauibus est centrum terræ, leuibus circumferentia, ideó illis largitur grauitatem inclinantem, ad petendum centrum, istis leuitatem inclinantem ad fugiendum á centro. Ratio vlterior est, quia eam

eam habeat consonantiam corpora inferiora cum superioribus, nimirum sublunaria cum cælestibus, vt ea debeant ab istis moueri, regi, & gubernari medijs qualitatibus, quarum aliæ sunt notæ, aliæ occultæ, ad corpora generanda, conseruandaque destinatis: elementa autem, ex quibus omnia gignuntur, debent inter se habere aliquem ordinem, vt recipiant influxus sibi proportionatos á corporibus cœlestibus, adeoque debent itá esse constituta, vt vnum elementum appetat esse in vno loco, aliud in alio, quia loca habent quandam vim conseruandi, & perficiendi rem locatam: itá sinus terræ dici solet proprius mineralium locus, quæ ibi generantur, & conseruantur. Hanc doctrinam tradit Aristoteles in 4. Physic. cap. 1. vbi S. Thomas Aristot. interpres hæc habet. *Motus naturalis corporum naturalium ostendit, quod locus habet quandam potentiam, & virtutem, videmus enim quod vnumquodque fertur in suum locum, quando non impeditur, graue quidem deorsum, leue sursum: ex quo patet, quod locus habet quandam virtutem conseruandi locata, & propter hoc locatum tendit in suum locum desiderio suæ conseruationis.*

2. Posita huiusmodi inclinatione, euidens est nullam esse rem, quæ non sit in loco: vbi duo sunt accuraté distinguenda, nimirum locus, quem occupat res in loco existens, & ratio formalis, qua res occupat locum, quia licet nomine loci appelletur æque spatium á corpore occupatum, ac ratio formalis qua corpus intra spatium continetur, nihilominus non est, cur vnus locus confundatur cum alio, spatium enim á corpore occupatum dicitur locus externus, siue extrinsecus: ratio veró formalis, propter quam corpus est in spatio, dicitur locus inter-

nus, siuè intrinsecus, cui nomen vbicationis imposuere Philosophi.

3. De loco extrinseco multa habet Aristóteles in 4. Physic. nihil de intrinseco, huius naturam, vt exploremus, necesse est ea tradere, quæ ibidem tradit Philosophus de loco extrinseco, quem definit esse *superficiem corporis continentis immobilem* Pro huius definitionis intelligentia notandum est locum esse in corpore, quod continet locatum, hic enim sermo est de loco, siué spatio reali, non de loco imaginario, de quo sermo erit in disp. sequentibus: ideó vt aliquod corpus in loco existat, necesse est dari corpus, quod aliud corpus contineat, adeoque necesse est locum esse in corpore continente. Ad hoc demonstrandum adhibeo exemplum opportunum vasis, in quo aqua continetur, & domus, vbi continentur, qui eam habitant; sicuti enim aqua dicitur esse in vase tanquam in loco, & qui domum habitat dicitur esse domi, quia vas continet aquam, & hominem domus, ità illud corpus, quod in sé claudit, & continet aliud corpus, dicitur eiusdem locus. Quia veró corpus continet intra suam superficiem rem locatam, quam vndecumque ambit, vt contingit in vase, quod aquam continet eam ambiendo sua superficie, ideò locus dicitur superficies corporis continentis, adeoque superficies aeris Romani continentis ciues Romanos est eorum locus.

4. Nihilominus est magnum discrimen inter locum extrinsecum, & vas quod continet aquam, quia non quælibet superficies corporis continentis, sed certa, & determinata, requiritur ad constituendum locum. Ratio est, quia superficies corporis continentis est duplex, vna materialis, alia formalis: superficies materialis est superficies mobilis, quia est superficies, quæ non includit certam distan-

ſtantiā á punctis fixis:huiuſmodi ſuperficies eſt *illa*, qua continet vas aquam,quia aqua eodem vaſe clauditur,ſiué hoc vas exiſtat Romæ,ſiué exiſtat Florentiæ, adeoque dicitur ſuperficies mobilis, quia vas, in quo aqua continetur, moueri poteſt: ſuperficies formalis eſt ſuperficies immobilis, quam nimirum conſtituit certa diſtantia á punctis fixis vniuerſi:cum enim globus terræ ſit centrum mundi, neceſſe eſt, vt circa terram moueantur orbes cœleſtes, qui moueri non poſſunt, niſi dentur aliqua puncta fixa,quæ vocant Coſmographi Polos, circa quos rotatur cœlum: indé eſt, quod Geographi, qui nimirum terram deſcribunt, eam partiuntur in plurima loca, nimirum in plurima Regna, Prouincias, & Vrbes relaté ad maiorem, vel minorem diſtantiam á punctis fixis,hanc enim terræ partem vocant Europam, illam Aſiam, aliam Africam, adeó vt qui ab Europa eunt in Aſiam,mutent diſtantiam a quibuſdam punctis fixis. Quod autem hæc ſuperficies formalis attendi debeat, quando agitur de loco extrinſeco, quem occupat corpus naturale, eſt manifeſtum, quia roganti vbinam Petrus exiſtat, non ſatisfit, niſi explicetur ſuperficies iſta formalis, ſi enim reſpondeas Petrum eſſe domi, ſtatim qui deſiderat ſcire vbi Petrus ſit, quærit vbi ſit domus, neque acquieſcit,donec notitiam habeat,in qua vrbe,& in qua vrbis parte ſit domus, quam Petrus habitat. Indé eſt, quod Ariſtoteles ad explicandum diſcrimen, quo eſt corpus in loco, & aqua in vaſe, ait locum eſſe ſuperficiem immobilem corporis continentis.

5. Hinc naſcitur locum extrinſecum alium eſſe proprium, alium communem: locus proprius eſt prima ſuperficies immobilis corporis continentis: locus communis eſt ſuperficies non prima: ratio eſt, quia corpus poteſt dupliciter eſſe in loco, ita nimi-

rum, vt superficies loci immediatè tangat rem locatam: vel solum mediatè tangat: si tangit immediatè: dicitur locus proprius; si tangit mediatè, locus communis: ideò autem superficies, quæ mediatè tangit, dicitur communis, quia intra eandem superficiem mediatè tangentem possunt viribus naturæ esse plura corpora: ita hoc cœlum Romanum, in quo continentur cives Romani est locus communis, quia superficies cœli Romani eos immediatè non tangit, illa verò superficies, quæ singulos immediatè tangit, est locus proprius, quia superficies, quæ vnum tangit, alium non tangit, cum vnus non habeat eandem distantiam a punctis fixis, quam habet alius: indè est locum proprium esse propriam mensuram corporis locati, cum locus communis non sit mensura propria. Ratio est, quia mensura propria non excedit mensuratum, sed extensio, & magnitudo loci proprij non excedit extensionem, & magnitudinem corporis locati, extensio verò, & magnitudo loci communis eam excedit, ergo locus proprius est propria mensura circumscribens rem in loco existentem, non verò locus communis.

6. Ex hoc discursu vlterius colligitur, partes componentes totum non esse in toto, tanquam in loco; quia esse in loco est contineri a loco, cui res locata est quidem contigua, sed non continua: atqui partes ita sunt in toto, vt vna pars non sit alteri contigua, sed sit continua, præcisa enim vnione saltem continuatiua præscinditur à toto, quia illud totum, cuius partes non habent saltem vnionem continuatiuam, non est simpliciter vnum, sed tantum est vnum ordine aggregationis, ergo partes non sunt in toto, tanquam in loco. Partes igitur, quæ sunt in toto, dicuntur ab Aristotele esse in loco extrinseco per accidens, quia sunt in toto, quod contine-

tinetur intra superficiem immobilem alterius corporis.

7. Circa hæc, quæ hactenus diximus de loco extrinseco, dubium occurrere potest, quomodo locus sit prima superficies immobilis, & tamen superficies aeris, qui potest ab vna in aliam partem moueri, ambiendo aliquod corpus, sit locus extrinsecus talis corporis: verum hoc dubium facilè soluitur ex dictis, quia licet mutato aere mutetur locus extrinsecus materialiter, non mutatur locus extrinsecus formaliter, qui inuoluit distantiam á punctis fixis: sed hæc non mutatur, ergo non mutatur locus extrinsecus formaliter, licet mutetur ille aer, qui habet talem distantiam.

8. Hæc de loco extrinseco: explicandus superest locus intrinsecus, qui est ratio formalis determinans corpus, vt existat in hoc potiús loco extrinseco, quam in alio: huiusmodi est vbicatio, quæ dubitari potest, an sit indistincta ab existentia corporis, & existentia loci, vt opinatur schola Nominalium, quæ censet denominationem rei existentis in loco consistere in sola existentia loci, & existentia rei præcisa quacumque alia forma distincta.

9. Ratió dubitandi est primó. Coexistentia rei, & loci est existentia rei in loco; sed coexistentia rei, & loci est existentia rei, & existentia loci, præcisa quacumque alia re, ergo existentia rei in loco, siué vbicatio non distinguitur a re, & loco. Minor probatur, quia per hoc præcisè, quod simul existant Petrus, & spatium Romanum, Petrus est Romæ, ergo &c.

10. Secundó. Si vbicatio est distincta datur aliquod instans, in quo corpus non est in loco; consequens est falsum, ergo & antecedens. Sequela probatur: quando corpus dúm mouetur ab vno loco

ad alium, producit in se vbicationem, per quam est in loco,; sed in priori ad talem vbicationem nullam habet vbicationem: ergo non est in loco.

11. Tertiò. Vel omnis, vel nulla res existit in loco per vbicationem distinctam, non omnis, ergo nulla. Minor probatur primó, quia Deus existit in loco per vbicationem indistinctam. Secundò Angeli non habent vbicationem distinctam, quia vbicatio distincta est illa forma, qua aliquid continetur in loco, sed Angeli, quia sunt substantiæ immateriales, non continentur in loco, ergo &c.

12. Vltimò. Datur substantia materialis, quæ non habet vbicationem distinctam, ergo idem quod prius. Antecedens probatur, quia prima sphæra cœlestis, quæ vocatur primum mobile, quod suo motu inferiores orbes mouet, & motum diurnum conficit, non est in loco extrinseco, quia non habet aliud corpus, cuius superficie contineatur, ergo non habet locum intrinsecum, ergo neque vbicationem distinctam. Contra hanc sententiam.

13. Dico cum omnibus feré recentioribus, vbicationem esse entitatem modalem distinctam ab existentia rei, & existentia loci.

14. Ratio huius sententiæ peti debet ex doctrina tradita disp. 4. qu. 2. nu. 11. de natura entis modalis, quia nimirum potest existere locus, videlicet spatium Romanum, & existere Petrus, quin Petrus existat in spatio Romano, ergo indifferentia Petri ad existendum in spatio Romano debet tolli per aliquid distinctum ab existentia Petri, & spatij Romani: indé est nihil posse moueri de vno loco ad alium, quin mutetur intrinsece, quia mutando locum mutat vbicationem sibi intrinsecam.

15. Ad primum: concedo maiorem, & nego minorem, quia simultas loci, & Petri, per quam
con-

constituitur Petrus existens in loco, est aliquod distinctum ab existentia Petri, & existentia loci, ergo coexistentia Petri cum loco, siue existentia Petri in loco debet esse aliquis modus distinctus á Petro, & loco, eisdemque essentialiter affixus. Difficultas autem potest esse, an vbicatio sit essentialiter affixa loco reali, quia dubium non videtur, quin nullo existente loco extrinseco reali, si Petrus relinqueretur immobilis vbi nunc ést, non amitteret vbicationem sibi intrinsecam, per quam participat perfectionem diuinæ immensitatis, eique Deus est intime præsens. Pro qua difficultate explananda dico vbicationem, quæ constituit formaliter rem existentem in loco, esse affixam essentialiter spatio imaginario, quod correspondet huic spatio reali: quia verò destructo hoc spatio reali Romano, vbi Petrus in præsenti est, remaneret adhuc spatium Romanum non reale, sed imaginarium; inde est quod destructo huiusmodi spatio, non deberet essentialiter destrui vbicatio Romana: quid autem sit hoc spatium imaginarium á reali contradistinctum, dicam inferius.

16. Ad secundum: distinguo maiorem, datur aliquod instans temporis, in quo corpus non est in loco: nego maiorem, datur aliquod instans naturæ, in quo corpus non est in loco: iterum distinguo: non est negatiuè: nego maiorem: non est præcisiuè: concedo maiorem: nullum corpus posse existere in aliqua temporis differentia, quin alicubi existat, demonstrabimus in quæstione sequenti: posse in instanti naturæ, est euidentissimum, quia corpus est in loco per vbicationem in se, & á se productam, ergo existit in priori naturæ ad vbicationem; sed in illó priori in nullo loco existit, quia repugnat, vt existat in loco in priori ad existentiam in loco, ergo &c.

Quod

Quod autem non repugnet corpus, quod in aliquo signo naturæ non existat in loco, est euidens, quia instans naturæ est instans præcisiuum, quod præscindit ab vbicatione, & negatione vbicationis: indè est, quod istæ propositiones: *Petrus in priori ad vbicationem Romanam est Romæ*: *Petrus in priori ad vbicationem Romanam non est Romæ*, sunt falsæ, neque sibi contradicunt, vt patet ex disputatione 7. quæst. 2. num. 28.

17. Ad tertium: concedo maiorem, & nego minorem. Ad primam eius probationem concedo Deum existere in loco per vbicationem indistinctam; cum Deus necessarió sit vbique: nulla res creata est immensa, quia vel nulla res creata potest esse vbique, vel saltem nulla res creata est essentialiter determinata ad existendum vbique: ideò omnis res creata potest hic, vel alibi existere: indè est, quod nulla est res creata, quæ non debeat existere per vbicationem distinctam, quia nihil creatum, est immensum. Ad 2. probationem dico vbicationem, siuè præsentiam localem, aliam esse circumscriptiuã, aliam definitiuam. Circumscriptiua est materialis, & debita rebus materialibus: definitiua est immaterialis, eaque debetur substantijs immaterialibus. Discrimen inter vbicationem circumscriptiuam, & definitiuam in eo positum est, quod per illam tota res existit in toto spatio, & quælibet pars rei in qualibet parte spatij: per istam veró tota res existit in toto spatio, & tota in qualibet eius parte: ità lignum palmare est in loco circumscriptiuè, quia lignum palmare, quod totum occupat spatium palmare, non occupat totum quamlibet partem spatij, quia in prima parte spatij, quam occupat prima medietas ligni, non est secunda medietas, vt est euidens: anima veró hominis est in corpore definitiuè, quia cum

cum careat partibus tota est in toto corpore, & tota in qualibet corporis parte; eadem enim anima existens in capite existit in pede. Idem dicendum de Angelis, & Deo itá existentibus in loco, vt totus Angelus existat in toto spatio, & totus in qualibet eius parte. Hic modus existendi in loco respectu substantiæ immaterialis non solum est possibilis, sed etiam debitus, cum omnis alius existendi modus repugnet substantiæ immateriali: idem respectu substantiæ materialis est possibilis, sed indebitus, adeoque non potest contingere nisi diuinitus, & miraculose, vt corpus existat definitiuè in loco, nimirum totum in toto, & totum in qualibet parte spatij, sicuti á fide docemur Sanctissimum Christi Corpus existere in Sacramento Eucharistiæ, vbi est totum in toto, & totum in qualibet pártè Panis consecrati. Hæc est ratio, cur corpora itá sunt in loco, vt contineantur a loco, quiá locus est mensura corporis, cum magnitudo loci arguat magnitudinem corporis: Angeli verò, ac Deus itá sunt in loco, vt contineant locum, quia locus vbi est Angelus, vel Deus, non est mensura esse diuini, vel Angelici: Deus autem, & Angelus ideò continent locum, quiá, vt inquit S. Thomas, habent præsentiam localem, per quam possunt agere in loco, nón possunt pati á loco.

18. Ad vltimum nego antecedens: primum mobile habet vbicationem distinctam, quia licet non sit in aliquo loco reali extrinseco, cum sit primum corpus continens cætera corpora, nihilominus est in aliquo loco spatio imaginario, quia potest Deus condere aliud corpus, cuius superficie ambiatur: cæterum ad vbicationem distinctam materialiter se habet locus extrinsecus realis, in quo res vbicata continetur, satis enim est spatium imaginarium, cui essentialiter est affixa vbicatio.

QVÆ-

QVAESTIO VLTIMA

Vtrum possit aliquid esse, & nullibi esse

1. Videtur posse primo. Non repugnat rationi entis in genere nullibi existere, ergo potest aliquid existere, & nullibi existere. Antecedens probatur. Non repugnat rationi entis in genere, quod enim nulli speciei repugnat, non repugnat generi: quod autem non repugnat enti creato, vél increato demonstratur, quia ratio entis increati ést ratio entis á se, & ratio entis creati est ratio entis ab alio, sed ratio entis á se, & ab alio non destruitur pér rationem entis núsquam existentis; ergo &c.

2. Secundò. Ens increatum potest nullibi esse, ergo á fortiori ens creatum, ergo nullibi existere non repugnat enti. Antecedens probatur. Ens increatum aliquando fuit nullibi, quia ab æterno fuit, & nullibi fuit, si enim alicubi fuit, vbi fuit? non in Mundo, quia Mundus tunc non erat; non extra Mundum, quia extra Mundum nihil est: sed ens increatum potuit semper esse eo modo, quo fuit ab æterno, ergo potuit esse, & nusquam esse.

3. Tertió. Non est necesse, vt Deus sit intimé præsens omnibus rebus existentibus, ergo potest aliquid existere, & nullibi existere, hoc est itá existere, vt Deus non habeat distantiam, vel indistantiam ab illo. Antecedens probatur, túm quia nihil detrahitur diuinæ perfectioni, si Deus non sit intime præsens rei existenti, túm quia sicuti repugnat, vt Deus qui est immensus, non sit intimé præsens rei alicubi existenti, itá non repugnat, vt non sit præsens rei quæ núsquam existit, ergo &c.

4. VI-

4. Vltimò. Non est necesse, vt creatura, quæ participat vnam perfectionem Dei, participet omnem, ergo non est necesse, vt creatura participans esse diuinum, participet immensitatem diuinam. Consequentia probatur, quia immensitas Dei distinguitur formaliter ab existentia Dei, ergo creatura participans existentiam Dei potest non participare immensitatem Dei.

5. Respondetur: superuacaneum ducerem hac de re quæstionẽ instituere, videtur enim intellectui bene disposito satis notum ex terminis nullam rem posse existere, quæ alicubi non existat, nisi intelligerem oppositam partem ab aliquo Recentiore non multum ante tempus acriter propugnatam: ideò operæ pretium duxi argumenta proponere, quæ mihi persuadent hanc veritatem omnibus notissimam, nimirum repugnantiã rei existentis, & nullibi existentis.

6. Arguo igitur primò ex conceptu entis in hunc modum: repugnat enti non esse finitum, vel infinitum, quia omne ens est finitum vel infinitum: sed repugnat enti tám finito, quam infinito non esse in loco, ergo repugnát enti non esse in loco, ergo nullum ens existit, quod non sit in loco, quando existit. Minor probatur. Esse in loco est aliqua perfectio, ideò esse vbique, quod est esse in omni loco, est summa perfectio, ergò repugnat enti infinito, quod est infinitè perfectum, non esse vbique, adeoque non esse in loco: prætereà repugnat enti finito, vt non sit productum ab ente infinito, ergo repugnat enti finito, vt non sit, vbi est ens infinitum. Consequentia probatur, quia repugnat enti finito, vt Deus non operetur vbi est ens finitum, sed Deum operari, vbi est ens finitum, est Deum esse, vbi est ens finitum, tùm quia Deus non potest óperári vbi non est, tùm quia nihil est aliud

Deum

Deum eſſe in loco, quam Deum operari in loco, eum que á Deo contineri, ergo &c. Quòd ſi ens finitum debet eſſe, vbi eſt ens infinitum, & ex alia parte non debet eſſe, vbicumque eſt ens infinitum, aliter vbique eſſet, conſequens eſt, vt alicubi ſit & alicubi non ſit, ergo repugnat in terminis, vt ens finitum, vel infinitum exiſtat, quod nullibi ſit.

7. Arguo ſecundò. Repugnat, vt aliquid diſtinctum a Deo exiſtat, & diſtet a Deo, ergo repugnat, vt aliquid exiſtat, & nullibi exiſtat. Conſequentia probatur. Si repugnat, vt aliquid exiſtat, & a Deo diſtet, neceſse eſt vt quidquid exiſtit a Deo non diſtet, ſed indiſtantia eſt formaliter vbicatio, ergo neceſse eſt vt quidquid exiſtit, habeat vbicationem. Minor probatur, quia indiſtantia vel eſt propinquitas, vel eſt intima præſentia duarum rerum; ita materia, & forma, quæ ſunt intimè præſentes, & duo corpora, quorum vnum aliud tangit, non diſtant inter ſe, ſed tam propinquitas, quam intima præſentia habetur formaliter per vbicationem, ea enim præciſa neceſse eſt præſcindi a conceptu propinquitatis, & intimæ præſentiæ, ergo &c.

8. Arguo tertiò. Neceſse eſt, vt omnis res exiſtens phyſicé participet immenſitatem Dei, ſed participare immenſitatem Dei eſt formaliſſimè habere vbicationem, ergo neceſse eſt, vt omnis res exiſtens habeat vbicationem. Minor probatur, quia immenſitas Dei eſt illud attributum, per quod Deus eſt vbique, ergo participare immenſitatem eſt formaliſſimè eſse alicubi. Maior probatur. Neceſse eſt, vt omnis res exiſtens participet illam perfectionem, per quam Deus non longé abeſt ab vnoquoque noſtrum, in ipſo enim mouemur, viuimus: & ſumus: id enim arguit Apoſtolus ex conceptu entis creati, vt nimirum exiſtat in Deo: vndé Augu-

ſtinus

stinus hanc veritatem profunde speculatus in libr. suarum Confeßit, Deum alloquendo: *quærebam longè à te ea, quæ si in te non essent, non essent*: illa autem perfectio, per quam Deus non longè abest á nobis, est immensitas, ergo &c.

9. Ad primum: nego antecedens. Ens increatum, si non esset vbique non esset immensum: quod si non esset immensum, careret perfectione existendi vbique, adeoque non esset ens á se: quod S. Thomas ex conceptu aseitatis demonstrat esse perfectissimum: Ens creatum nullibi existens non est creatum, quiá non est intimè præsens Deo, quod necesse est contingere, vt á Deo sit productum, adeoque ens creatum nullibi existens est chimæra.

10. Ad secundúm. Deus ab æterno fuit in omnibus spatijs non realibus, quæ tunc non erant, sed imaginarijs, quia nullam perfectionem habuit fabricando Mundum, quam antè orbem conditum non haberet: indé est, quod illa immensitas, quæ Deum determinat, ad habendam præsentiam cum rebus omnibus nunc existentibus, determinauit ab æterno Deum ad occupanda omnia spatia imaginaria. Quid autem sit Deum huiusmodi spatia occupare, explicabitur, dum sermo erit de spatijs imaginarijs.

11. Ad tertium: nego antecedens. Sicuti non potest aliquid existere, quod á Deo non sit factum, itá nihil potest existere, cui Deus non coexistat. Inde est, quod sicuti detrahitur omnipotentiæ, si aliquid sit ab ipsa non productum, itá detrahitur immensitati si aliquid existat eidem non coexistens. Cæterum non repugnat, vt aliquid non existat, & eidem non coexistat immensitas Dei eo pacto, quo non repugnat vt aliquid non existat, & a Deo non sit productum, vt patet in chimæra: rem veró existere, & Deo non coexistere, aperte repugnat.

gnat conceptui entis immensi: vndè patet ad probationem antecedentis.

12. Ad vltimum: concedo antecedens, & nego consequentiam. Perfectio immensitatis est distincta formaliter à perfectione existendi, sed vna essentialiter connotat aliam, ideò vna sine altera participare non potest eo pacto, quo rationes veri, boni, & entis sunt formaliter distinctæ, sed connexæ: idcircó nihil potest participare rationem Veri, quin participet rationem Boni. Quod autem ratio existendi, & ratio alicubi existendi sint rationes connexæ, patet, quia sunt rationes transcendentes, cum per omnia rerum genera vagentur.

DISPVTATIO DECIMATERTIA.

De replicatione, & penetratione corporis naturalis.

DEmonstratâ loci tam intrinseci, quam extrinseci natura, necesse est inuestigare modum, quo corpus in loco existit, an nimirum talis sit, vt ab intima sui præsentia excludat aliud corpus, & necessitatem includat ne alibi existat, quod alicubi existit.

QVÆ-

QVAESTIO I.

Quid sit, & an possibilis sit replicatio corporum.

1. CEleberrimam instituimus quæstionem Philosopho non minùs, quam Theologo dignam, ad quam pro dignitate discutiendam multum afferet lucis vera, & realis corporis Christi præsentia miro, & ineffabili, sed verissimo modo in Hostia consecrata existentis. Hanc realem præsentiam docet, & semper docuit fidés Catholica indubitanter asseuerans ad plura extendi diuinam potentiam, quam humanam intelligentiam, vt inquit Augustinus: eam oppugnauit anno nostræ salutis millesimo Berengarius, qui deindé resipuit, & suum errorem damnauit, ne ab Ecclesia damnaretur, & superiore sæculo Caluinus, qui meliorem Septemtrionis partem sua peste afflauit. Potissimum caput ità opinandi fuit repugnantia vnius corporis ad existendum in pluribus locis: in hunc enim turpissimum errorem incidere præfati Hæretici, quia credebant fieri nullo modo posse, vt idem Christus esset simul in cœlo, & in altari, vt refert noster Eminentissimus Bellarminus, qui in suis doctissimis controuersijs de Sacramento Eucharistiæ lib. 3. cap: 3. eruditè simul, & acuté rem totám pertractauit. Ex quo patet nobis Philosophum agentibus, non tam pro nuda veritate, quam pro religione pugnandum, vt nimirum tanti Sacramenti dignitas appareat. Pro cuius rei intelligentia.

2. Sciendum primò: non esse hic quæstionem, an corpus possit habere præsentiā localem, quam vo-

cant definitiuam, eamque tribuere solent rebus immaterialibus, an videlicet aliqua substantia diuisibilis, & quanta, sicuti procul dubio est substantia corporea, & materialis, possit tota occupare totum spatium vnius scholæ, & tota quamlibet eius partem, eo pacto, quo substantia Angelica vtpotè indiuisibilis, & immaterialis eam occupat. Id est certum attentis principijs, quæ nobis fuerunt á Deo reuelata, Christus énim, qui est substantia corporea, & materialis, non aliam habet in Eucharistia præsentiam, nisi definitiuam; vndè fit, vt non solum videri á nobis non possit, sed ipse non videat, licet oculos habeat, nullamque exercere possit operationem facultatis materialis, quia hęc præstari non potest sine præsentia materiali, quæ est præsentia circumscriptiua, & est ratio formalis, vt totum sit in toto spatio, & quælibet pars in qualibet eius parte: id autem non repugnare ex eo constat, quod præsentia materialis, & circumscriptiua exigitur quidem á substautia materiali, sed eidem non est essentialis: potest igitur substantia materialis diuinitus existere, etiamsi non habeat præsentiam circumscriptiuam, sicuti potest diuina virtute existere ignis sine calore, quem exigit: indè est, quod substantia materialis definitiuè existens habet exigentiam præsentiæ circumscriptiuæ, adeoque retinet naturam rei materialis, licèt modum non retineat, quo res materialis existit in loco, eo pacto, quo accidentiá Eucharistica non amittunt naturam accidentis, licet amittant actualem inhærentiam.

3. Sciendum secundó: replicationem esse formalissimè vniús, & eiusdem rei multiplicem vbicationem, siué præsentiam localem, cum idem plané sonet corpus replicatum, & corpus existens in pluribus locis: ponamus enim Petrum existentem Romæ

eodem

eodem tempore existere Florentiæ; certum est Petrum esse duplici loco præsentem: quod si non habeat eodem tempore vtramque præsentiam, non erit replicatus, id enim contingit, quando Roma discedens petit Florentiam. Inde est ad formalem conceptum replicationis duo requiri, nimirum identitatem, siue vnitatem corporis existentis in loco, & distinctionem, siue multiplicationem præsensentiæ localis, vnum enim ab alio diuelli non potest, vt clarissime demonstro. Æque præscindit á conceptu replicationis, qui præscindit á duplici loco, ac ille, qui præscindit ab vnitate, & identitate corporis existentis in duplici loco, cum nulla sit replicatio si duplex præsentia inferat duplicem rem duplici loco præsentem. Non est igitur idem corpus multiplicari, & corpus replicari, quia multiplicatio sine distinctione rei multiplicatæ consistere non potest, replicatio veró excludit distinctionem corporis replicati, natura enim humana, quæ in pluribus indiuiduis multiplicatur, non est vna nisi præcisiue, quæ vnitas in præsenti non attenditur. Ratio a priori est, quia multitudo sine distinctione reperiri non potest, vbi autem est distinctio, ibi non est vnitas, adeoque multiplicatio excludit vnitatem: é contrarió replicatio est duplex eiusdem subiecti præsentia, vbi autem datur identitas, non datur distinctio: igitur replicatio excludit distinctionem subiecti existentis in pluribus locis: ex quo sequitur miraculum, quod Christus fecisse narratur, dum quinque hominum millia quinque panibus saturauit, non fuisse in replicando, sed in multiplicando pane, cum ille panis, qui vnum alebat hominem, alium non aleret.

4. Sciendum tertio, ad replicationem requrii, vt eadem res in pluribus locis adæquatis existait,

vt cum existentia eiusdē rei in pluribus locis inadæquatis constituentibus vnum adæquatum non sufficiat ad faciendum, vt eadem res replicetur, id enim sine vlla replicatione frequenter contingit. Anima, quæ totum corpus informat, licet tota sit in capite, & tota in pede, non replicatur, quia locus, quem occupat Anima existens in capite, constituit vnum locum adæquatum cum loco, quem occupat Anima existens in pede, quia Animæ, quæ est forma corporis, debetur totus ille locus, quem occupat humanum corpus: eodem pacto Angelus, qui occupat totum spatium, in quo est sphæra solis, non replicatur etiamsi totus sit in omnibus spatij partibus, cum omnia huiusmodi loca vnum, & adæquatum locum efficiant naturæ Angelicæ proportionatum. Hinc repugnat in terminis Deum replicari, quia illud ens, quod habet pro spatio adæquato omne spatium, non potest replicari: huiusmodi est Deus, qui ratione immensitatis debet in omni spatio existere, ergo Deus replicari non potest, adeóque licet Deus totus sit in spatio Romano, & totus in India, non proindè replicatur, quia locus adæquatus Dei est totus Mundus, immó omne spatium imaginarium.

5. His prænotatis, quæ spectant ad intelligendam quæstionem, certum est apud omnes eiusdem corporis replicationem naturæ viribus repugnare, quam naturalem repugnantiam persuadet nobis á priori virtus limitata naturæ singulis rebus, singula loca præscribentis; à posteriori veró persuadet communis sensus omnium hominum, qui ductu naturæ, quæ falli non potest, arguunt distinctionem rerum existentium in loco ex distinctione locorum, quæ occupant, adeò vt quicumque videt lapidem existentem in vno loco, & simul videt lapidem omninó similem existentem in alio loco, non dubitet an

idem

idem ſit lapis, qui in duplici loco exiſtit, ſed ſtatim indubitanter affirmet lapides, quos videt, eſſe duos: quod eſt euidentiſſimum argumentum naturalis repugnantiæ, quam eadem res habet, vt in duobus locis exiſtat, ſicuti qui videt accidentia propria alicuius ſubſtantiæ, ſtatim ductu naturæ affirmat ſubſtantiam ibi latentem, ex quo arguitur non poſſe accidentia naturaliter ſeparari á ſubſtantia: quia verò lumen rationis aperté demonſtrat, non omne id, quod naturæ viribus repugnat, Deo repugnare, multa enim ſunt, quæ non poteſt natura, & poteſt Deus facere, cum illud ſolum à Deo fieri non poſſit, quod ſi fieret, ſimul eſſet, & non eſſet, adeòque inuoluit repugnantiam, dubium eſt apud Scholaſticos, vtrúm corporis replicatio ad illud rerum genus pertineat, quas Deus poteſt facere, licet natura non poſſit, an verò pertineat ad genus rerum, quas neque Diuina virtus poteſt attingere.

6. Tres in hac re ſunt ſententiæ. Prima, quam nullus Catholicus, plurimi defendunt Hæretici, qui videlicet negant realem Chriſti præſentiam in Hoſtia conſecrata, docet neque diuinitús fieri poſſe, vt idem corpus exiſtat circumſcriptiuè, vel definitiué in pluribus locis adæquatis, adeóque duplicem, & adæquatam eiúſdem corporis præſentiam localem eſſe chimæricam.

7. Secunda ſententia, quam multi defendunt Catholici, & præſertim Thomiſtæ, diſtinguit præſentiam circumſcriptiuam à definitiua, docet enim non repugnare, vt idem corpus exiſtens circumſcriptiué in vno loco exiſtat in alio definitiué, adeòque plures habeat præſentias locales adæquatas, ſiué vbicationes, vnam ſcilicet circumſcriptiuam, aliam definitiuam. Docet præterea repugnare in terminis, vt idem corpus habeat plures præſentias circumſcri-

ptiuas. Hæc sententia, quantum ego opinor, nimium tribuit Hæreticis, qui ex repugnantia vnius corporis ad existendum circumscriptiué in pluribus locis, arguunt repugnantiam vnius corporis ad existendum in pluribus locis definitiuè, adeóque ad hominem argumentando, realem Christi præsentiam in Eucharistia oppugnant. Non audeo tamen huic opinioni, quam censeo falsam, inferre censuram, quia eam sequuntur plurimi spectatæ virtutis viri, nimirúm S. Bonauentura in 4. dist. 44. Ægidius quod lib. 1. quæst. 1. Capreolus, & alij Thomistæ, asserentes in hac sententia fuisse S. Thomam, cuius tamen mens mihi dubia est.

8. Tertia sententia docet idem corpus posse supernaturaliter esse in pluribus locis non solum definitiuè, sed etiam circumscriptiué, adeóque esse possibilem in ordine supernaturali replicationem eiusdem corporis. Itá cum Scholasticis omnibus Scotus in 4. dist. 10. quæst. 2. Suarius in tertiam partem disp. 48. sect. 9 qui citat Riccardum, Gabrielem, Alex. Alensem, & alios.

9. Dico primo. Non repugnat idem corpus esse in pluribus locis saltem definitiuè. Itá omnes Catholici.

10. Probatur ex principijs fidei, quía Christus habet præsentiam circumscriptiuam in Cœlo, á quo non recedit, dum Hostia consecratur, & simul habet præsentiam definitiuam in Hostia consecrata, cum doceamur á fide Christum veré, & realiter concontineri sub speciebus Eucharisticis; non potest autem Christus existens in Cœlo contineri sub accidentibus Panis, nisi eodem tempore habeat præsentiam circumscriptiuam in Cœlo, & tot habeat præsentias definitiuas in terra, quot sunt Hostiæ, quæ eodem tempore consecrantur, vel consecratæ

perse-

perseuerant, cum enim potissimum argumentum ad ostendendam non repugnantiam alicuius rei, sit actualis eiusdem existentia, consequens est, vt existentia eiusdem corporis in pluribus locis, quæ sequitur ex principijs fidei, inferat possibilitatem replicationis. Indé est per illam actionem, qua Sacerdos conficit Sacramentum, produci nouam præsentiam localem, per quam Christus incipit esse præsens Hostiæ consecratæ, cui ante consecrationem præsens non erat: ratio est, quia verba prolata á Sacerdote super Hostiam, quam consecrat, non possunt esse vera, sicuti debent esse vera, quia sunt verba Christi, qui nec fallere, nec falli potest, nisi operentur id, quod significant, cum autem significent esse corpus Christi id, quod videtur oculis, tangitur manibus, adeóque substat accidentibus panis, necesse est, vt operentur hanc mirabilem corporis Christi præsentiam, quam sine dubio operántur, dum producunt vnionem eiusdem corporis cum accidentibus panis, quæ vnio est talis naturæ, vt petat ibi esse corpus Christi, vbicumque sunt accidentia panis consecrati.

11. Probatur secundo attento naturæ lumine, & præcisis principijs reuelatis. Non repugnat enti existenti in vno loco esse simul in alio loco, ergo replicatio saltem definitiua est possibilis. Antecedens probatur. Id non repugnat enti quá ens est, alioquin Deus existens Romæ non existeret in India; licet enim repugnet enti infinito replicari, vt demonstratum est num.4. eidem non repugnat esse in omnibus locis; immó repugnat oppositum: neque repugnat enti, quá tale ens est, nimirúm quá ens finitum, & limitatum, quia existentia in pluribus locis non excludit limitationem, adeóque non opponitur enti limitato; quod autem non excludat li-

mitationem eſt manifeſtum, quia non includit immenſitatem, quæ infert illimitationem: quid enim repugnat, vt aliquid poſſit eſſe in pluribus locis, & non poſſit eſſe vbique?

12. Confirmatur: ex eo, quod Petrus habitans Romæ habeat aliam præſentiam diſtinctam á Romana, nulla ſequitur repugnantia, præſentia enim Romana non determinat quidem Petrum ad exiſtendum Florentiæ, quia eſſentialiter determinat ad exiſtendum Romæ, non proindé determinat eſſentialiter ad non exiſtendum Florentiæ: hæc enim duo prædicata, *determinare ad non exiſtendum Florentiæ, & non determinare ad exiſtendum Florentiæ* ſunt valdé diuerſa, primum enim contingit, ſecundum non contingit vbicationi Romanæ, ſicuti albedo eſt forma quæ non facit ſubiectum non dulce, adeóque non excludit aliam formam nimirúm dulcedinem, per quam album fiat dulce. Quod autém præſentia Romana non communicet Petro, qui Romæ exiſtit, hoc prædicatum non exiſtere Florentiæ, patet ex formali conceptu præſentiæ Romanæ, qui eſt conceptus formæ facientis Petrum exiſtentem Romæ: hic autem conceptus non eſt conceptus formæ facientis Petrum exiſtentem Florentiæ, ſicuti conceptus albedinis, qui eſt conceptus formæ facientis ſubiectum album, non eſt conceptus formæ facientis ſubiectum non dulce. Quod ſi præſentia Romana non facit Petrum non exiſtentem Florentiæ, poterit Petrus habere præſentiam Romanam, ſimul & Florentinam, adeóque nulla contradictio ſequitur ex duplici præſentia eiuſdem corporis. Hoc argumentum demonſtrat á priori nullam eſſe repugnantiam, ſi corpus Chriſti exiſtens in Cœlo ſimul exiſtat in altari adeóque Hæreticos exarmat, qui ex

hoc capite realem Christi præsentiam in Sacramento negant.

13. Dico secundo. Non repugnat idem corpus esse circumscriptiué in pluribus locis.

14. Probatur, si non repugnat esse in pluribus locis definitiué, non repugnat circumscriptiué; primum non repugnat, vt pateat ex num. 10., ergo neque secundum: Maior demonstratur ex pluribus capitibus. Primo videtur incredibilius rem materialem habere duplicem præsentiam localem, quarum vna sit materialis, alia immaterialis; quam habere duplicem materialem, ergo si non repugnat id, quod est magis incredibile, neque repugnabit id, quod est minús incredibile: Secundo, si corpus existens in vno loco circumscriptiué, existat in alio definitiué, superatur duplex exigentia, vna, quam habet corpus, ne existat in duplici loco, alia, quam habet ne existat definitiué, quod naturæ rerum materialium non est consentaneum: quod si existat in duplici loco circumscriptiué, vnica tantum exigentia debet superari. Hinc est, quod Deus si operando supra ordinem naturæ, superare potest exigentiam corporis, ne sit in duobus locis, poterit superare exigentiam, ne sit circumscriptiué. Tertio: si præsentia Romana non excludit essentialiter præsentiam Florentinam definitiuam, neque excludit circumscriptiuam, quia ex formali conceptu vbicationis id non sequitur, adeóque temeré negatur non posse corpus replicari circumscriptiué, si potest definitiué, cum eadem argumenta, quæ proponi possunt contra replicationem circumscriptiuam, retorqueantur contra definitiuám.

15. Confirmatur, quia plures Sanctos eodem tempore in pluribus locis fuisse visos legimus, quod contingere non potest sine multiplici præsentia circum-

circumscriptiua vt narratur de S. Antonio Patauino eodem tempore concionem habere ad populum, & alibi Diuinas horas recitante: de S Francisco Xauerio, & alijs quàm plurimis; quod si id contigisse sine reali præsentia per quandam illusionem sensuum, vel apparentiam imaginariam contendant Aduersarij, qui certè non possunt ex hoc capite redargui; iterum vrgendi sunt exemplo Christi qui vt habetur in actibus Apostolicis, apparuit Paulo petenti Damascum, ex quo factum fuit, vt idem Paulus Christianam Religionem, quam antea oppugnabat, deindè propugnauerit: neque potest esse dubium, quin huiusmodi apparentia fuerit vera, & non imaginaria, vt frequenter contingit, quia idem Paulus in dicta Epistola ad Corint. cap. 15. enumerat testes oculatos Resurrectionis Christi, ad huius Mysterij veritatem confirmandam, & cæteros inter testes se Christum vidisse testatur his verbis: *Deindè visus est* (loquitur de Christo) *plusquam quingentis fratribus simul: nouissimè autem omnium tanquam abortiuo visus est mihi*; falsò autem probaret Apostolus veritatem Christi rediuiui, si Damascum petens Christum ante oculos non habuisset, sibi in propria specie apparentem. Cæterum non potest asseri Christum, qui verè apparuit Paulo, & eidem fuit proximus, vt patet ex omnibus circumstantijs, eo tempore non fuisse simul in Empyreo, quia hoc contradicit Scripturæ, quæ in cap. 3. Act. Apost. loquens de Christo ait; *quem oportet Cælum suscipere vsque ad tempus restitutionis omnium*: vnde inferunt omnes Diuinæ Scripturæ interpretes, vt doctè refert Bellarminus, Christum ad dexteram Patris sedentem, non discessurum á Cœlo nisi ad Mundum iudicandum.

16. Objicies primo. Ratio formalis, quæ determinat

minat essentialiter Petrum ad existendum Romæ; determinat essentialiter Petrum ad non existendum Florentiæ: sed vbicatio Romana est ratio formalis, quæ determinat essentialiter Petrum ad existendum Romæ: ergo essentialiter eundem determinat ad non existendum Florentiæ, ergo repugnat Petrum existentem Romæ simul existere Florentiæ. Vltima consequentia est euidens, quia vbicatio Romana si determinat essentialiter Petrum ad non existendum Florentiæ, essentialiter excludit à Petro vbicationem Florentinam: Maior probatur, quia vbicatio Romana tollit indifferentiam Petri ad existendum Romæ, vel Florentiæ, ergo non minús determinat Petrum ad existendum Romæ, quám ad non existendum Florentiæ.

17. Respondeo hoc argumento æqué oppugnari circumscriptiuam, ac definitiuam replicationem, quia præsentia, quam habet Christus in Cœlo si determinat essentialiter Christum ad non existendum circumscriptiué in terra, eundem determinat ád non existendum definitiué. In forma: nego ma: Ratio est, quia vbicatio Romana, vt demonstraui num.12. in genere causæ formalis facit Petrum existentem Romæ, eadem nec facit Petrum existentem Florentiæ, nec facit Petrum non existentem Florentiæ, cum in suo formali conceptu neque includat, neque excludat præsentiam Florentinam, sed ab ea præscindat: Quare siué subiectum, quod informatur vbicatione Romana habeat, vel non habeat vbicationem Florentinam, vbicatio Romana totam suam naturam retinet, totumque effectum formalem præstat, adeóque non est cur vbicatio Romana essentialiter excludat Florentinam: sicuti animal, quod formaliter neque est rationale, neque irrationale, idem formaliter est, siué coniungatur cum rationalitate, si-

ué

uè cum negatione rationalitatis: id enim est proprium rei præscindentis á forma, & negatione formæ, vt eadem sit coniuncta cum forma, vel negatione formæ. Cæterùm arguens, si hanc sententiam vult oppugnare, debet ostendere naturam vbicationis Romanæ esse determinare essentialiter rem vbicatam ad non existendum Florentiæ: id autem nunquam ostendet, quia ostenditur contrarium, & non benè arguitur á sensu præcisiuo ad sensum negatiuum. Vbicatio igitur Romana non determinat Petrum ad existendum Florentiæ, adeóque præscindit á præsentia Florentina: eandem præsentiam non negat, quia falsum est vbicationem Romam determinare ad non existendum Florentiæ. Ad probationem maioris: conc: antec: & nego conseq. Tollere indifferentiam Petri ad existendum Romæ, vel non existendum Romæ est determinare essentialiter Petrum, vt existat Romæ; sed vbicatio Romana etiamsi non determinet essentialiter Petrum ad non extendendum Florentiæ, determinat essentialiter Petrum vt existat Romæ, ergo vbicatio Romana tollit indifferentiam; Min: prob: quia essentialiter determinare Petrum vt existat Romæ, est essentialiter falsificare hanc propositionem: *Petrus non est Romæ,* sed potest Petrus esse Florentiæ, & tamen falsificari hæc propositio: *Petrus non est Romæ*, ergo Petrum esse Florentiæ non obstat quó minùs Petrus determinetur essentialiter ad existendum Romæ: ergo essentialis determinatio Petri ad existendum Romæ non excludit á Petro potentiam existendi Florentiæ in sensu composito cum existentia Romana: adeóque vbicatio, quæ determinat essentialiter Perum ad existendum Romæ, non determinat essentialiter Petrum ad non existendumFlorentiæ. Addo indifferentiam Petri ad existendum Romæ esse diuersam ab in-

indifferentia ad existendum Florentiæ, ablata ergo indifferentia ad existendum Romæ per vbi Romanum debet tolli indifferentia ad existendum Florentiæ per negationem vbicationis Florentinæ, posito, quód Petrus existat Romæ,& non existat Florentiæ.

18. Obijcies secundo. Esse in vno loco circumscriptiuè excludit esse alibi circumscriptiuè, licet non excludat esse alibi definitiué, ergo vbicatio Rmana licet non excludit omnem præsentiam Florentinam, excludit præsentiam Florentinám circumscriptiuam, ergo vbicatio circumscriptiua negat aliam vbicationē circumscriptiuam,& præscindit á definitiua. Antec. probatur. Esse circumscriptiué in loco est circumscribi á loco, sed circumscribi à loco est itá esse in loco, vt similem præsentiam alibi non habeat, ergo &c, Confirmatur, quia non est alius conceptus præsentiæ circumscriptiuæ, nisi conceptus præsentiæ, quæ determinat essentialiter rem ad occupandum vnicum locum modo materiali.

19. Respondeo: nego antec: ignoro enim cur præsentia circumscriptiuá debeat itá continere corpus, vt excludat potentiam habendi aliam circumscriptiuam, si non excludit potentiam habendi definitiuam. Ad probationem antec: conc: ma: & nego min: Circumscribi à loco est totum esse in toto; & quamlibet partem in qualibet loci parte. Id totum haberi potest, etiamsi res existat in duplici loco circumscriptiué; quia ex eo, quod Petrus totus sit in spatio Romano, & quælibet pars Petri in qualibet parte spatij Romani à Petro occupati, non obstat quo minùs idem Petrus possit esse totus in spatio Florentino, & quælibet pars Petri in qualibet eiusdem spatij parte; Petrus enim si existens diuisibiliter, adeòque circumscriptiuè in spatio Romano, potest simul existere indiuisibiliter, adeòque definitiué

tiué in spatio Florentino, cur non poterit etiam diuisibiliter existere in spatio Florentino, adeóque habere Florentiæ præsentiam similem Romanæ? Quod si dicas esse de ratione præsentiæ diuisibilis excludere aliã diuisibilem, id sine causa dicis, & petis principium, hac enim de re quæstio agitatur: Cæterum si ego assero non esse dè ratione præsentiæ diuisibilis excludere aliam diuisibilem, id temerè non assero, quia discrimen præsentiæ materialis ab immateriali in eo præcisé consistit, quod præsentia materialis est tota in toto spatio, non ést tota in qualibet parte spatij: vndè patet ad confirmationem.

20. Obijcies tertio. Repugnat aliquid distare a seipso, sed replicatio infert distantiam eiusdem à seipso, ergo replicatio repugnat. Min: probatur. Vbi non datur indistantia, datur distantia, sed inter Petrum existentem Romæ, & existentem Florentię non datur distantia, vt patet, ergo datur distantia: sed Petrus, qui est Florentiæ, est idem ac existens Romæ, supponitur enim replicatus, ergo idem potest distare à seipso, si potest replicari.

21. Resp. conc:ma: & nego min: Ratio cur non possit sequi ex replicatione distantia eiusdem à seipso, est euidens, quia replicatio non infert distinctionem, infert enim identitatem rei replicatæ, alioquin replicatio esset multiplicatio, quæ in suo formali conceptu includit multitudinem, & consequenter distinctionem rei multiplicatæ; sed vbi non datur distinctio, ibi non datur distantia, ergo distantia, & propinquitas rebus distinctis conueniunt, ergo replicatio non infert, neq; potest inferre distinctionem eiusdem á seipso. Quod si ægré concipere possumus Petrum existentem Romæ simul & Florentiæ, quin concipiamus Petrum existentem Romæ distare à Petro existente Florentiæ, ideò est, quia sumus assueti

res

res existentes multiplicare quando multiplicantur præsentiæ locales, nunquam enim contingit iuxta cursum naturæ, vt eiusdem rei duplex existat vbicatio: idcirco imaginamur distantia, quæ veré non sunt distantia, & quia inter ea, quæ sunt distantia datur distinctio, ideo imaginamur distantiam inter Petrum existentem Romæ simul & Florentiæ: cæterúm hæc imaginatio corrigi debet per actum intellectus cognoscentis distantiam esse chimæricam, vbi distinctio est chimærica, & distinctionem Petri existentis Romæ, & Florentiæ esse chimæricam, quia distinctio eiusdem à seipso est chimærica. Hinc est, quod vbi non datur distinctio, ibi non datur propinquitas, nec distantia, quia propinquitas & distantia arguit distinctionem, adeóque ex hoc antecedenti: *Petrus existens Romæ non est propinquus sibi existenti Florentiæ*, non potest inferri, *ergo distat à seipso existente Florentiæ*, suppositum enim conseq. est falsum, quia supponit distinctionem, quæ non datur inter existentem Romæ, & existentem Florentiæ. An bené argueret, qui de Petro non replicato ità argueret: *Petrus non est propinquus sibi, ergo distat à se?* Antecedens est verum, & conseq. falsum, quia licet valeat consequentia à non propinquitate ad distantiam, dum arguitur de rebus distinctis, & existentibus, itá non valet, dum arguitur de rebus vel indistinctis, vel non existentibus: Vndé patet ad probationem minoris: In forma dist: ma: vbi non datur indistantia, datur distantia, si detur distinctio, conc: ma: si non detur distinctio: nego ma: & distincta minori nego consequentiam.

22. Obijcies 4. Inter præsentiam Florentinam & Romanam datur distantia, ergo inter Petrum præsentem Romæ, & præsentem Florentiæ datur distantia. Consequentia probatur, cúm quia præsentia Ro-

mana

mana communicatur Petro, ergo non potest distare Florentia, nisi Petrus distet Florentia, tum quia præsentia Romana, quæ est formalissimé distincta a Florentina, non potest alium effectum formalem tribuere Petro existenti Romæ, nisi effectum distantiæ. Confirmatur, quia Petrus existens Romæ quatenus existens Romæ non est Florentiæ, ergo Petrus existens Romæ distat Florentia.

23, Respondeo: concedo antecedens, & nego consequentiam. Ad eius probationem: distinguo antecedens: præsentia Romana communicatur Petro identice, & intransitiuè: nego antecedens: physicè, & transitiué: concedo antecedens, & nego consequentiam. Inter formam communicatam identicé, vel intransitiué subiecto; & formam communicatam physicé, vel intransitiuè illud interest, quod non quidquid prædicatur de forma physice communicata prædicatur de subiecto, de quo necesse est prædicari quidquid prædicatur de forma communicata identicè, quia inter formam identicé communicatam, & subiectum datur identitas, quæ non datur inter subiectum, & formam physicè communicatam: hinc est quod principium discurrendi identicé communicatum principio sentiendi distingiatur a quocumque distinguitur principium discurrendi; è contrarió albedo, quæ physicè, & transitiué communicatur subiecto, licet non sit dulcedo, non facit, vt album non sit dulce, cum idem possit esse album simul, & dulce. Potest igitur duplex forma Petro inhærens distare, quin Petrus distet. Ratio á priori est, quia forma communicata subiecto non potest præstáre nisi effectum formalem, quem potest: non autem potest communicare effectum distandi, quia inuoluit distinctionem, & carentiam propinquitatis: inter Petrum verò existentem

tem Romæ, & Florentiæ non datur distinctio, inter Petrum, & spatium Florentinum non datur carentia propinquitatis, licet detur distinctio, ergo præsentia Romana distat quidem á florentina, quia inter vtramque datur distinctio, & non datur propinquitas, sed Petrus qui est subiectum vtriusque præsentiæ non potest habere hanc distantiam. Effectus igitur formalis, quem Petro communicat præsentia Romana est esse Romæ: hic effectus formalis coniungi optimè potest cum alio effectu formali, quem præstat præsentia Florentina, nimirum esse Florentiæ. Ad confirmationem:concedo antecedens, & distinguo conseq; ergo Petrur existens Romæ secundum id, pro quo supponit, distat Florentia: nego consequentiam, secundū id, quod tantúm significat: concedo consequentiā, Forma, quæ denominat concretum, distat, sed concretum nō distat, quia concretum accidentale supponit pro subiecto, non pro forma, adeoque non multiplicatur multiplicata forma.

24. Obijcitur quinto. Repugnat partem esse æqualem toti, sed replicatio infert hanc ęqualitatem, ergo repugnat. Minor probatur. Primus palmus ligni bipalmaris, si replicetur, occupat spatium alterius palmi; sed occupando spatium alterius palmi, fit æqualis toti ligno bipalmari; ergo &c. Confirmatur, quia æqualia sunt, quæ sibi congruunt, sed lignum palmare replicatum, & lignum bipalmare sibi congruunt, ergo sunt æqualia.

25. Respondeo: concedo maiorem, & nego minorem. Ad eius probationem dico palmum ligni replicatum non fieri æqualem ligno bipalmari, licet habeat vbicationem æqualem quia non potest lignum palmare fieri æquale bipalmari, nisi euadat bipalmare, sed lignum palmare, etiamsi replicetur, non potest euadere bipalmare, cum idem

sit lignum, quod occupat spatium bipalmare quando replicatur, ac illud, quod occupat spatium palmare, quando non replicatur, ergo &c. Ratio a priori est, quia æqualitas, vel inæqualitas magnitudinis desumi debet á spatio adæquato, quod naturaliter occupare exigit. cum hoc sit mensura rei occupantis locum, spatium autem adæquatum, quod exigit lignum bipalmare, vtique est maius spatió, quod exigit palmare; idcirco lignum bipalmare excedit magnitudine molis lignum palmare. Cæterum æqualitas, quam habet spatium occupatum á palmo replicato, cum spatio, quod occupat duplex palmus, non probat æqualitatem vbicationis, quam habet pars replicata cum toto; vbicatio autem, quam habet pars replicata, non est pars vbicationis, quam habet totum, cum replicatio partis non multiplicet partem, sed vbicationem partis; replicata enim parte, fit, vt pars habeat tantam vbicationem, quantam habet totum. Ad confirmationem: concedo maiorem, & distinguo minorem: lignum palmare replicatum, secundum id, pro quo supponit congruit cum bipalmari: nego minorem: secundúm id, quod tantum significat: concedo minorem, & distinguo eodem modo consequens. Forma, quam significat, & pro qua non supponit lignum replicatum, est præsentia localis; ista congruit cum præsentia locali ligni replicati, sed magnitudo ligni, pro qua supponit lignum replicatum non congruit, quia illa est palmaris, ista bipalmaris.

26. Obijcies sexto. Repugnat falsificari principium euidens, sed replicatio hoc infert, ergo repugnat. Minor probatur. Hoc principium, *quæ sunt in locis distinctis sunt distincta*, falsificatur si potest corpus replicari, sed hoc principium est euidens, quia non áliundé distingúit sensus vnam rem homogene-

geneam ab alia, nisi ex distinctione loci occupati, vt demonstrat eperientia, ergo &c.

27. Respondeo: distinguo maiorem: Repugnat falsificari principium euidens physicé: nego maiorem: euidens metaphysicé: concedo maiorem: Euidentia alia est physica, alia metaphysica; vt dictum est in tomo 1. disp. vlt. qu. 5. num. 2. illa potest supernaturaliter falsificari, ista non potest. Ratio est, quia euidentia physica fundatur in exigentia naturæ, contra quam potest Deus operari. Euidentia metaphysica fundatur in essentiali exigentia, contra quam Deus non potest operari, cum naturas rerum mutare non possit, quæ repugnantia nascitur ex necessitate ab ipso Deo indistincta, vt idem non possit esse, & non esse: indè est posse contingere oppositum illius, quod est euidens physicé: itá est euidens physicé ignem admotum passo comburere, substantiam esse, vbi sunt accidentia substantiæ, naturam subsistere per propriam subsistentiam: oppositum veró contingere potest, sicuti contigit igni Babylonico, qui pueros Hebræos non violauit, & contingit substantiæ panis consecrati, quæ non remanet remanentibus accidentibus, naturæ humanæ, quæ subsistit in Christo per Personam Verbi: est euidens metaphysicè, ideò non posse simul esse, & non esse, totum esse maius parte: oppositum nunquam contingit, nec contingere potest, aliter Deus non esset Deus, quod repugnat. Addo euidentiam physicam sistendo in rigore locutionis falsificari non posse, quia lumen scientiæ physicæ non dictat rem euidentem physicè non posse aliter contingere simpliciter, sed tantum naturaliter, quod verum est, etiamsi oppositum miraculosé contingat: hoc principium, quod assumit arguens: *quæ sunt in locis distinctis sunt distincta* est euidens physicé, ideó qui videt loca di-

stincta, arguit distinctionem rerum existentium, quia licet oppositum sit possibile, id non est possibile nisi supernaturaliter, adeoque non est credibile á Deo factum hoc miraculum, nisi aliundé constet, sicuti constat in Sacramento Eucharistiæ, vbi video accidentia panis, non proindè arguo substantiam panis docente fide, ibi esse Corpus Christi, non substantiam panis.

28. Obijcitur vltimò. Si esset possibilis replicatio, posset vnica lucerna illuminare noctu totam Vrbem Romanam, si nimirum replicata in pluribus locis Vrbis Romanæ collocaretur: consequens est falsum, aliter haberet maiorem virtutem illuminandi lucerna replicata, ac non replicata, adeoque non esset eadem: prætérea vnica lucerna tantúm haberet lucis, quantum habet sol, qui cum sit vnicus, sufficit vni orbi nedum vni vrbi illuminandæ, ergo &c. Confirmatur, quia idem non potest esse simul in duplici tempore, ergo neque in duplici loco.

29. Respondeo; concedo maiorem, & nego minorem. Virtus enim illuminandi, quam habet lucerna, sicuti potest in vno instanti illuminare vnam partem aeris Romani, deindè aliam, & sic deinceps, donec totum successiuè illuminet, itá potest simul omnes partes aeris Romani illuminare, licet ipsa virtus non augeatur, dummodò replicetur. Ratio vtrobique est eadem, quia eadem lucerna inuariata sicuti totum aerem illuminat in diuersis instantibus, quia toti aeri successiué admouetur: itá totum simul illuminat, quia toti aeri simul admouetur per multas vbicationes, quas simul habet: inde est non multiplicari virtutem illuminandi, quam habet lucerna, licet multiplicetur actus primus illuminandi; qui resultat tùm ex virtute illuminandi, quam habet lucerna, tùm ex propinquitate multiplicata, quam eo-

dem

dem tempore habet lucerna omnibus partibus aeris Romani. Lucerna igitur, quæ replicata illuminat Romam, non habet tantum lucis, quantum habet sol, quia non est necesse replicare solem, vt totum aerem Romanum illuminet: id autem nascitur ex maxima luce quam sol in se continet. Ad confirmationem: conc: antecedens, & nego consequentiam. Disparitas inter locum, & tempus est euidens, quia duo tempora non posśunt eſse simul, duo loca posśunt simul esse.

30 An verò idem corpus poſſit in vno loco moueri, & in alio quiescere, in vno accedere, in alio recedere ab eodem termino, an in vno poſſit viuere, in alio mori, peccare in vno, non peccare in alio, quæ videntur inuoluere aliquam oppositionem, hic non definio: id enim definiri non potest, nisi discutatur, an corpus replicatum poſſit, & debat habere in vno loco quidquid intrinsecè habet in alio, quod est alibi discutiendum.

QVAESTIO II.

Vtrum poſſit replicari vbicatio corporis replicati.

1 Videtur poſse: primò Petro replicato Florentiæ, debet replicari quidquid est essentialiter affixum Petro; sed vbicatio Romana est essentialiter affixa Petro, quia est eiusmodus, ergo debet esse Florētiæ vbicatio Romana, ergo potest: confirmatur, alioquin Petrus poſset mutare vbicationem, quam habet Romæ, quin eam mutaret Florentiæ, adeoque moueri simul, & quiescere, sed hoc repugnat in terminis, ergo &c.

2. Secundó, Idem non potest simul moueri duplici motu contrarió, nimirum Orientem, & Occidentem versus, id enim inuoluit accessum, & recessum ab eodem termino: sed hoc sequitur si vbicatione non replicata, neque replicatur motus, adeoq; Petrus, qui Romæ mouetur versus Orientem potest Florentiæ moueri versus Occidẽtem, cum Florentiæ non existat motus Petri versus Orientem, ergo &c.

3. Tertió. Non potest Petrus amare Paulum in vno loco, & simul odio habere in alio, affirmare vnam veritatem Romæ, eamque negare Florentiæ, ergo neque potest accedere simul, & recedere ab eodem loco per duplicem motum contrarium, non enim magis repugnat vnum, quam aliud, ergo motus, quo mouetur Romæ Petrus, debet replicari Florentiæ: ergo vbicatio Romana potest esse Florentiæ.

4. Quartó. Vel Petrus existens Romæ non potest replicari Florentiæ, vel potest vbicatio Romana, ergo idem quod priús. Antec: prob: quia vbicatio Romana, si non potest replicari, ideò præcisé non potest, quia essentialiter excludit existentiam sui á spatio Florentino, sed si excludit essentialiter existentiam sui á spatio Florentino, excludit essentialiter existentiam Petri ab eodem spatio, cum sit vbicatio Petri, ergo &c.

5. Quinto. Vbicatio Romana non minus est existentia sui in spatio Romano, quam sit non existentia sui in spatio Florentino, sed quia est essentialiter existentia sui in spatio Romano, determinat essentialiter Petrum ad existendum Romæ, ergo quia est non existentia sui in spatio Florentino, determinat essentialiter Petrum ad non existendum Florentiæ, ergo &c. Confirmatur, quia forma informans subiectum debet illi præstare omnem effectum formalem, adeoque debet illi communicare omnia prædicata, quæ ha-

habet in se,. ergo vbicatio Romana, si habet essentialiter prædicatum non existendi Florentiæ, debet hoc prædicatum Petro communicare.

6. Sexto. Non repugnat, vt vbicatio Romana essentialiter existens Romę determinetur ad existendum per vbicationem Florentinam Florentiæ, ergo potest replicari. Antecedens probatur. Non repugnat, vt Petrus essentialiter existens Romæ per vbicationem Romanam determinetur ad existendũ Florentiæ per vbicationem Florentinam, ergo non repugnat, vt idem contingat vbicationi Romanæ.

7. Vltimò. Conceptus vbicationis Romanæ non destruitur per præsentiam florentinam, ergo vbicatio Romana potest fieri pręsens Florentiæ. Consequentia patet. Antecedens probatur. Conceptus vbicationis Romanæ est formalis determinatio ad existendum Romæ, sed formalis determinatio ad existendum Romæ non destruitur per præsentiam Florentinam, quia determinare ad existedum Romæ, & esse præsentem Florentiæ sunt conceptus disparati, adeoque inuicem non repugnantes, ergo &c.

8. Respondetur cum Eminentissimo Cardinali de Lugo, qui hanc quæstionem accuratè tractauit in tomo de Sacram. disp. 5. sect. 3. de Sacram. Euchar. repugnare replicationem cuiuscumque vbicationis, & cæterorum accidentium, quæ sunt essentialiter affixa loco, adeoque replicato corpore, non replicari vbicationem, situm, motum, & alia id genus, quæ vbicationem comitantur.

9. Ratio à priori, cur id repugnet, peti debet á natura vbicationis in hunc modum: vbicatio Romana est formalissimè distantia á spatio Florentino, sed illa forma, quæ est formalissimé distantia à spatio Florentino, non potest esse Floren-

tiæ, ergo conceptui abstractissimo vbicationis repugnat replicatio, ergo &c. Maior probatur, quia vbicatio Romana est forma essẽtialiter affixa spatio Romano, eaq; formaliter denominat rem, quam informat existentem in spatio Románo, sed forma, quæ denominat rem informatam existentem in spatio Romano est formalissimè distantia a spatio florentino, cum multa sint corpora, quæ Romam, & Florentiam interiacent, vt patet. Quid autem est vnam Vrbem ab alia distare, nisi multum esse spatij, quod vnam ab alia discriminat? ergo vbicatio Romana est formalissimé distantia a spatio Florentino, adeoque fieri non potest, quin præsentia Romana distet Florentia, sicuti fieri nō potest, vt albedo, quæ est ratio formalis disgregandi visum, non disgreget visum. Minor etiam primi syllogismi demonstratur. Repugnat vt distantia non sit distantia, sed si illa forma, quæ est formalissimè distantia a spatio Florentino esset florentiæ, distantia non esset distantia, quia id quod est præsens spatio florentino, non distat a tali spatio, vt constat ex terminis. Quis enim dicat Petrum Romæ præsentem esse procul ab Vrbe Romana? Huiusmodi autem forma si esset Florentiæ esset præsens spatio Florentino, adeoque non distaret a tali spatio, ergo non esset distantia a spatio florentino, ergo esset distantia, & simul non esset distantia si per aliã vbicationem fieret præsens spatio Florenino, quod erat demonstrandum: non potest igitur vbicatio Romana esse Romę simul, & Florentiæ.

10. Hinc redditur ratio cur possit esse Florentiæ Petrus existens Romæ, non possit esse Florentiæ ipsa præsentia Romana, quia nimirum præsentia Romana in suo formali conceptu non solum inuoluit se esse Romæ, sed etiam inuoluit se non esse Florentiæ: Petrus veró habens præsentiam Romanam-

nam determinatur quidem ad existendum Romæ, sed non determinatur ad non existendum Florentiæ.

11. Vrgetur instantius idem argumentum hoc discursu. Certum est eodem modo esse differendum de vbicatione relatè ad locum, sicuti de duratione relatè ad tempus, quia sicuti res indifferens ad existendum hic, vel alibi determinatur ad existendum hic per vbicationem: ita res indifferens ad existendum heri, vel hodie determinatur ad existendum hodie per durationem hodiernam. Præterea certum est, quod sicuti in toto temporis decursu datur quædam perpetua successio horarum, dierum, mensium, quæ necessarió inuoluit talem horarum fluxum, vt vna hora antecedat, alia consequatur, vna maiorem, alia minorem habeat distantiam ab alia hora: itá in toto spatio mundum occupante datur quędam nunquam intermissa locorum successio, propter quam vnus locus antecedit, alius sequitur, vnus est propinquus, alius remotus. Prætereá certum est non posse in hac perpetua dierum, & horarum successione, ex qua tempus formatur, id neque diuinitus contingere, vt hora 20. existat quando fluit hora 21. vt dies hesterna exist at hodie, alioquin id, quod esset prius, esset posterius, adeoque non esset priùs, quod repugnat: indé est ipsos Aduersarios fateri durationem hodiernam non posse fieri crastinam, quia duratio hodierna debet essentialiter antecedere crastinam, & ab ea distare distantia temporis, non loci. Philosophando igitur de loco proportionaliter ac de tempore, fatéri debemus vbicationem Romanam, quæ est distantia ab vbicatione florentina, non posse existere vbi est vbicatio florentina, adeoque non solum esse existentiam sui in spatio Romano, sed etiam esse non existentiam sui in spatio Florentino, ex quo fit vbicationem replicari non posse.

12. Ad

12. Ad primum: Vbicatio Romana Petri est quidem affixa Petro, quia non potest separari á Petro, sed Petrus potest separari ab vbicatione Romana, ideó potest replicari tota essentia Petri Romæ existentis, quin vbicatio Romana replicetur. Cæterum ne fiat æquiuocatio, quæ frequentissima est in concretis accidentalibus, debet distingui, id pro quo supponit, & id, quod significat Petrus existens Romæ; supponit enim pro solo Petro, qui replicatur, non supponit, sed significat præsentiam Romanam, quæ non replicatur, neque est essentialis concreto secundùm id, pro quo supponit concretum. Ratio autem, cur Petro replicato vbicatio Romana informans Petrum non replicetur, & cætera accidentia absoluta a loco replicentur, est, quia replicatio talis accidentis, nimirum vbicationis ex peculiari capite repugnat, vt dictum est in hac q. 2. n. 9, indé est replicationem motus etiam repugnare, quiá motus localis non præscindit á locò, qui non potest replicari, adeoque motum Petri existentem Romæ non existere Florentiæ, vbi existit Petrus. Neque repugnat Petrum Romæ moueri, & Florentiæ quiescere, quia repugnantiám apparentem tollit diuersitas locorum, sicuti est manifestum id naturaliter, etiam contingere, quando mouetur manus dextera, & quiescit sinistra, licet enim manus, quæ mouetur, sit distincta a manu, quæ quiescit, nihilominus anima, quæ vtramque manum informat, est eadem, & mouetur existens in manu dextera, non mouetur existens in sinistra. Addo non posse naturaliter moueri Petrum existêtem Florentiæ miraculosé, etiamsi moueatur existens Romæ, quia si moueretur, deberet amittere præsentiam, quam habet, & nouam acquirere, sed non potest naturaliter acquirere vbicationem Florentiæ, si est præsens Romæ, ergo non

po-

poteſt Florentiæ mutare vbicationem, quam diuinitus habet. Hinc patet ad confirmationem argumenti.

13. Ad ſecundúm: diſtinguo maiorém: non poteſt naturaliter: omitto maiorem; ſupernaturaliter: nego maiorem, & diſtincta minor: nego conſequentiam. Suppoſita replicatione non poteſt naturaliter moueri Petrus motu contrariò, quia in eo loco, vbi replicatur, non poteſt naturaliter moueri, vt oſtenſum eſt, poteſt autem ſupernaturaliter, quia Deus miraculosé poteſt producere nouam præſentiam deſtructa antiqua: neque repugnat, vt idem verſus Orientem, & ſimul verſus Occidentem moueatur, quia hanc repugnantiam excludit diuerſitas loci, ſicuti enim non repugnat eandem animã (quod exemplũ in re pręſenti haberi debet ante oculos) exiſtentém in manu dextera moueri ſurſũ, & exiſtentẽ in ſiniſtra moueri deorſum, vt contingit quando ſimul extollo dexteram, & deprimo ſiniſtram, cur repugnabit eundem Petrum exiſtentem Romæ moueri verſus Orientem, & Florentiæ verſus Occidentem? ſicuti corpus Chriſti vni Hoſtiæ præſens mouetur in vnam partem, & præſens alteri Hoſtiæ mouetur in partem oppoſitám. Quid, ſi Petrus Romæ exiſtens pergat Florentiam, & exiſtens Florentiæ pergat Romam? vnus occurret ne alteri? vnus ne in alterum impinget? Dico ſuppoſitum eſſe falſum, quia occurrere, & impingere ſupponit diſtinctionem occurrentiúm, & impingentium, quæ vtique non dátur in Petro replicato: reuera fieret in prædicta hypotheſi, vt vna vbicatio eſſet alteri proxima, adeoque Petrus exiſtens hic ſecundúm id, pro quo ſupponit non eſſet proximus Petro exiſtenti ibi, ſed tantùm ſecundum id, quod ſignificat, qua in re nulla

la est difficultas præter illam, quam patitur nostra phantasia assueta imaginari, vt distincta, ea quæ sunt in locis distinctis.

14. Ad tertium: concedo antecedens, & nego consequentiam. Est dispar ratio de amore, & odio, ac de motu contrariò, quia amor, & odium sunt accidentia absoluta á loco, adeoque non possunt relaté ad loca diuersa amittere repugnantiam, quam inuicem habent, subiectum enim amoris est anima Petri, cui materialiter contingit esse in hoc, vel illo loco: motus verò est accidens affixū loco, á quo præscindere non potest, adeoque repugnantia excluditur a diuersitate loci. Ratio enim cur repugnat idem existens in vno loco accedere simul, & recedere ab aliquo termino, est ratio cur non repugnat idem existens in vno loco accedere ad aliquem terminum, & simul ab eodem recedere existens in alio loco, vt patet.

15. Ad quartum: nego antecedens: ad eius probationem: concedo maiorem, & nego minorem Duo prædicata debent attendi, quæ sibi communicat intransitiuè præsentia Romana, nimirùm existere Romæ, & non existere Florentiæ: vtrumque. Prædicatum nón communicat transitiuè Petro, cui inhæret, sed vnum communicat, nimirum non esse Florentiæ: Ratio autem cur vtrumque non communicet, est duplex, altera communis omni formæ, altera peculiaris huic formæ, quia nimirum nulla forma debet transitiué communicare subiecto omne id, quod sibi communicat intransitiué, vt inductione ostendo: albedo communicat sibi intransitiué rationem disgregandi visum, eamque transitiué communicat subiecto; præterea sibi communicat intransitiué negationem saporis palatum delectantis, quia albedo non est dulcedo: hoc prædicatum non commu-

municat tranſitiué ſubiecto, aliter nullum album eſſet dulce, quod repugnat experientiæ. Ratio peculiaris eſt, quia huiuſmodi forma, nimirum præſentia Romana non poteſt communicare Petro hoc prædicatum, quod ipſa identicè habet non exiſtendi Florentiæ, quia Petrus non eſt capax huius effectus formalis, cum habeat potentiam exiſtendi Florentiæ, quam potentiam probant omnia argumenta, quæ probant corpus poſſe replicari. Cæterum hoc idem argumentum vrget Aduerſarios, qui meritó negant poſſe durationem heſternam exiſtere hodie, quia duratio heſterna, licet intrànſitiuè ſit exiſtentia ſui in tali tempore, & intranſitiué non exiſtentia ſui in alio tempore, non tamen denominat tranſitiué rem durantem incapacem exiſtendi in alio tempore.

16. Ad quintum: concedo maiorem, & diſtinguo minorem, ly *quia* appellante cauſam adæquatam: nego minorem, inadæquatam; concedo minorem, & nego conſequentiam. Cauſa adæquata, cur præſentia Romana denominet eſſentialiter Petrum exiſtentem Romæ, eſt quia effectus formalis primarius præſentiæ Romanæ eſt eſſe Romæ, forma autem non poteſt non communicare ſubiecto, quod informat, effectum formalem primarium aliter eſſet cauſa formalis ſine effectu formali: hinc redditur ratio, cur non debeat communicare eidem Petro non eſſe Florentiæ, quia non eſſe Florentiæ, licet conueniat eſſentialiter præſentiæ Romanæ, eſt prædicatum ſecundarium, non primarium, adeoque communicabile intranſitiué ipſi præſentiæ, non communicabile tranſitiué Petro habenti hanc præſentiam. Eodem fermè pacto ratio adæquata cur Petrus exiſtens hodie eſſentialiter ſit hodie, eſt, quia habet durationem hodiernam, cuius formalis

eſſe·

effectus primarius est hodie existere, non proinde sequitur Petrum existentem hodie non posse existere crastina die, etiamsi post diem hodiernam destruatur, quia Petrum esse hodie non obstat, quo minus idem posit reproduci, & die crastina existere, etiamsi duratio hodierna, per quam durat hodie non posit reproduci crastina die, adeoque essentialiter excludat a se existentiam crastinam. Ratio autem, cur non debeat præsentia Romana omnem effectum formalem communicare Petro existenti Romæ, est, quia Petrus non est capax cuiuscumque effectus formalis vbicationis, sicuti Petrus, existens hodie non est capax cuiuscumque effectus formalis durationis hodiernæ.

17. Ad sextum: nego antecedens. Disparitas inter præsentiam Rmanam, & Petrum præsentem Romæ est manifesta, quia præsentia Romana est ipsa formalis distantia à spatio Florentino, repugnat autem ipsam formalem distantiam á spatio Florentino esse in tali spatio: e contrariò non repugnat, vt Petrus sit subiectum vtriusque formæ, nimirum præsentiæ Romanę, & Florentinę, quarum vna distat ab alia, quia hæ duę formæ non refundunt distantiam in subiectum, quod informant, sicuti albedo essentialiter distincta á dulcedine potest esse in subiecto, in quo est dulcedo, quia formæ distinctæ non refundunt distinctionem in subiectum quod informant.

18. Ad vltimum: nego antecedens. Determinatio formalis ad existendum Romę significat exercite distantiam a spatio Florentino, sicuti formalis determinatio ad existendum hodie significat exercite distantiam temporaneam ab anno sequenti: manifestum autem est distantia à spatio Florentino opponi pręsentiam in eodem spatio, conceptus igitur

præ-

prǫſentię Romanæ deſtruitur per prǫſentiam Florentinam adeoq; repugnat prǫſentiā Romanam fieri prǫſentem Florentiæ. Sicuti ergo non poteſt calor, neque diuinitùs infrigidari, quia eſt ratio formalis, cur ſubiectum ſit calidum, ità neque diuinitùs poteſt prǫſentia Romana fieri præſens Florentiæ, quia eſt ratio formalis, cur Petrus ſit præſens Romæ; etiamſi idem Petrus poſsit habere prǫſentiam Florentinam in ſenſu compoſito cum Romana.

QVAESTIO III.

Vtrum accidentia corporis replicati à loco abſoluta poſſint, & debeant replicari.

1. NEceſſe eſt ad perfectam intelligentiam replicationis prǫſertim circumſcriptiuę, quam hucuſque poſsibilem demonſtrauimus, aliqua dubia explicare, quæ occurrunt circa ſtatum, & qualitatem corporis replicati, cum enim ſit idem corpus, quod in pluribus locis exiſtit, & eadem non ſit vbicatio, quæ eſt accidens eſſentialiter affixum loco, poteſt agitari quæſtio, an idem opinandum ſit de cęteris accidentibus, quę habent eſſe abſolutum à locō, ſicuti ſunt calor, frigus, amor, odium, & alia id genus.

2. Dubitatur igitur primò, an corpus exiſtens in duobus locis poſsit habere accidentia oppoſita. Ratio dubitandi eſt primò, quia Petrus exiſtens Romæ poteſt accedere ad ignem, & fieri calidus, Florentiæ accedere ad niuem, & fieri frigidus: prǫterea poteſt Romæ frangere ieiunium, quod ſub prǫceptum cadit, adeoque peccare, & diuinę gratię iacturam facere, Florentiæ non frangere, & conſequenter non peccare.

3. Se-

3. Secundo: poteſt Romæ vulnerari,& mori,Florentiæ non vulnerari, ibique viuere, id autem poſſe contingere conſtat,quia poteſt homicida eſſe Romæ, non Florentiæ, adeóque infligere vulnus lethale Romæ non Florentiæ: quodſi non eſt Florentiæ, qui vulnus infligit, quomodo fieri poteſt, vt Florentiæ Petrus vulneretur, ibique decedat é vita?

4. Tertio. Diuerſitas loci tollit oppoſitionem non minús, quàm diuerſitas temporis, ſicuti enim viuere hodie, & craſtina die mori non ſunt oppoſita, itá non ſunt oppoſita viuere Romæ, & mori Florentiæ, ergo poteſt viuere Romæ, & mori Florentiæ.

5. Reſp. Eodem modo eſſe diſcurrendum de corpore replicato, ac de corpore non replicato relatè ad omnes denominationes abſolutas à loco: indé eſt quod ſicuti corpus non replicatum eſt incapax oppoſitarum denominationum, ſibique contradicentium, itá corpus replicatum eſt éarundem incapax. Ratio à priori eſt, quia corpus exiſtens in duplici loco non eſt diuerſum corpus, ſed omninó idém, ergo habet eandem virtutem replicatum, quam habet non replicatum, cum tota diuerſitas ſit penes præſentiam localem, quæ ſine dubio multiplicatur, ſicuti ergo corpus exiſtens in vnico loco non poteſt ſuſtinere prædicata oppoſita contrariè, vel contradictoriè, adeoque non poteſt recipere formas inuicem oppoſitas, itá corpus exiſtens in duplici loco huiuſmodi prædicata ſuſtinere non poteſt. Quia veró prædicata alia opponuntur contrariè,vt calor,& frigus,alia priuatiuè,vt peccatum,& gratia, alia contradictorié,vt calor & non calor,ideó prædicata, quæ opponuntur contrarié, non poſſunt naturaliter,poſſunt ſupernaturaliter eſſe in eodem ſubiecto,quæ veró priuatiuè, & contradictoriè opponuntur, non poſſunt eſſentialiter, adeoque corpus replicatum

non

non potest essentialiter suscipere formas priuatiuè, vel contradictoriè oppositas, potest verò supernaturaliter suscipere formas oppositas contrariè, quas naturaliter non potest.

6. Ad primum dicendum, quod idem omninó contingeret Petro replicato, àc non replicato, si nimirùm non replicatus àccederet simul ad ignem, & niuem: in qua hypothesi dubitari non potest, quin Petrus euaderet calidus, vel frigidus, si agens productiuum caloris, vel frigoris esset robustius, & valentius, id enim natura constituit, vt dum eidem passo admouentur agentia contraria inæqualium virium, valentius præualeat: quod si vtrumque habeat æquales vires, necesse est vtriusque virtutem refrangi, adeoque debet passum accipere tantum qualitatis ab vno agente, quantum qualitatis oppositæ accipit àb alio. Cæterum Deo volente operari præter naturæ leges, sicuti potest idem subiectum in vno loco existens esse subiectum caloris summi, & frigoris summi, itá potest idem existens in duplici loco suscipere qualitates oppositas in gradu intenso. At, inquies, quomodo fieri potest, vt ignis existens Romæ non producat summum calorem in passo, si Romæ non existit contrarium agens? Dico id fieri posse, immò debere fieri, si nimirùm agens contrarium existat Florentiæ, vbi est idem passum: Ratio est, quia vnum agens licet non sit præsens alteri agenti, est præsens passo, præsentia autem agentis respectu passi sufficit, vt agens contrarium non tantum agat, quantum ageret, si non esset aliud agens præsens passo; non enim est capax summi frigoris ipsum pasum, quod Romæ sit calidum: idem dico de Petro comedente Florentiæ, ipse enim vtrobique frangit ieiunium, quia id, quod prohi-

betur á lege intimante ieiunium, eſt, ne exerceatur illa actio, per quam nouum alimentum tranſire debet in ſubſtantiam aliti: certum eſt autem, quod Petro Romæ admouente panem ori, illumque dentibus conficiente, debet ille panis conuerti in ſubſtantiam Petri, quæ eſt omninó eadem Romæ, ac Florentiæ: indè eſt, quod Petrus vtrobique violat ieiunium non violandum, adeoque peccatum committitur: quis enim eſt, qui dicat Petrum comedentem Romę eſse ieiunum Florentiæ? cum eundem cibum habeat in ſtomacho Florentiæ, quem habet Romæ, etiamſi Florentię non moueat labia ad cibum atterendum, ſicuti mouet Romę.

7. Ad ſecundum ſimiliter dico Petrum qui Romę vulneratur, & ex vulnere moritur, etiam mori Florentię. Ratio eſt, quia Petrum mori eſt formaliſſimé ſeparari Animam Petri á corpore; ſed Florentię exiſtit Anima Petri ſeparata á corpore, quando exiſtit Romę á corpore ſeparata, quia eſt eadem omninò Anima, ſi enim Romę non ſunt diſpoſitiones, quę diſponunt corpus, vt informetur ab Anima, neque ſunt Florentiæ, quia præſentia Florentina quantumuis diuerſa à Romana non eſt cauſa diuerſarum diſpoſitionum. At Florentiæ non eſt ille, qui vulnus infligit: vtique non eſt, ſed nihilominus eſt Florentiæ vulnus inflictum: quomodo autem poteſt eſſe vulnus inflictum ſine infligente? Dico id non poſſe contingere, quando nullibi eſt, qui vulnus infligit, ſed ſi alicubi ſit qui vulnus infligit, id fieri poteſt, cum enim idem ſit Petrus Romæ, ac Florentiæ, & Romæ exiſtat homicida, poterit vulnus lethale eſse in corpore exiſtente Florentiæ, licet homicida non ſit Florentiæ. Ratio eſt, quia ille, qui lethale vulnus infligit, eſt cauſa, cur corpus ſit grauiter vulneratum vbicumque illud exiſtat, ergo ſi eodem

tem-

temporë corpus existat Romæ simul & Florentiæ, & Romæ vulneretur, necesse est, vt etiam Florentiæ appareat vulneratum, adeoque Petrus Romæ lethaliter percussus agat Animam Romæ simul, & Florentiæ. Hac de causa docet S. Thomas in 3. par. qu. 81. art. 4. & in 4. Sent. dist. 10. qu. 4. quod si aliquis Sacerdos confecisset Eucharistiam eo tempore, quo Christus illusus á Iudæis, flagellis cædebatur, & in Crucem agebatur, fuisset in Sacramento corpus Christi cæsum flagellis, & Cruci affixum, licet nullus esset qui Christum flagellis cæderet, vbi Sacramentum conficitur. Rationem tradit á priori ibid. S. Doctor, quia nimirum corpus replicatum debent comitari omnia ea, quæ sunt á loco absoluta: quia vero mori, & flagellis cædi sunt á loco absoluta, necesse est, vt vbicumque est corpus, quod alicubi cæditur flagellis, & moritur, ibi etiam moriatur.

8. Ad tertium falsum est oppositionem excludi á diuersitate locorum, quando nimirúm formæ oppositæ sunt absolutæ á loco, quia nulli sunt loco essentialiter affixæ: id autem debent ipsi Aduersarij confiteri, qui nimirúm docent non posse idem corpus hic annihilari, & alibi non annihilari: si ergo diuersitas loci non tollit oppositionem, quam habet annihilatio cum negatione annihilationis, cur diuersitas loci tollet oppositionem, quam habet vita cum negationé vitæ? Sanctitas cum culpa? & alia id genus. Instantia desumpta ex tempore non est ad rem, quia certum est tolli contradictionem, vbi tollitur identitas subiecti, vt patet ex summulis: diuersitas autem temporis tollit identitatem subiecti, quam non tollit diuersitas loci, quia subiectum, quod est in duplici tempore, licet sit idem, nihilominus æquiualet rebus distinctis, cum res, quæ existit in instanti A non possit existere in instanti B, nisi esse, quod

 antea

antea accepit, iterúm accipiat per conseruationem, quæ vocatur noua, & iterata productio. Hinc non repugnat Petrum viuere in hoc instanti, mori in sequenti, amare nunc, deindé non amare, quiá non repugnat sufficientiam amoris ad existendum dari in vno instanti, non dari in alio. Ratio vlterior est, quia id, quod nunc non existit, simpliciter non existit, cum de nulla re possit verificari hæc propositio: res existit, nisi coexistat instanti, quod nunc fluit, quod autem non est, potest simpliciter esse, adeoque non potest legitimé inferri: *Petrus non est Romæ, ergo non est*, quia non valet consequentia á secundum quid ad simpliciter, potest enim Petrus esse Florentiæ, & non esse Romæ: Indé est, quòd Petrus potest in vno tempore viuere, in alio mori, sed non potest in vno loco viuere, & in alio mori, quia Petrum mori in vno loco est simpliciter non viuere, vt ostensum est.

9. Dubitatur secundo. Vtrùm omne accidens absolutum á loco possit, & debeat esse, vbi est corpus replicatum. Ratio dubitandi est, quia Petrus existens Romæ formare potest hanc propositionem: *Amphitheatrum Romanum est hic*, sed hæc propositio non potest replicari Florentiæ, vbi Petrus replicatur, alioquin esset falsa Florentiæ, & vera Romæ, adeòque vera simul, & falsa, quod repugnat, licet enim in vno loco significet Amphitheatrum esse Romæ, & in alio significet esse Florentiæ, non proindè variatur propositio, quia licet mutetur obiectum exercité significatum, non mutatur obiectum significatum signate, quod satis est, ne propositio mutetur iuxta doctrinam traditam tomo 1. disp. 11. qu. 3. num. 12.

10. Respondetur: omne id, quod habet corpus replicatum existens in vno loco, potest, & debet natura-

turaliter in alio replicari, dummodò habeat esse absolutum á loco. Ratio est, quia corpus, dum replicatur, acquirit nouam præsentiam localem, sed debet naturaliter habere in vno loco totum id, quod habet in alio, dummodò id possit habere, ergo, &c. Minor probatur, túm quia est connaturale, vt vbi est res, ibi etiam sit quidquid est in illa re, tanquam in subiecto, & quidquid spectat ad eius complementum, tùm quia corpus quando mouetur ab vno loco ad alium, debet secum ferre omnia accidentia sibi vnita, illis duntaxat exceptis, quæ sunt essentialiter affixa loco, ergo etiam quando replicatur, id contingere debet, quia ratio est vtrobique eadem, nimirùm identitas corporis ab vno ad alium locum migrantis. Huic doctrinæ consonat Concilium Tridentinum, quod docet totum Christum contineri tùm in Hostia, túm in Calice consecrato, totumque accipi non minús á Laicis communicantibus sub vna tantum specie, nimirùm sub specie panis, quám á Sacerdotibus sub vtraque specie communicantibus, videlicet sub specie panis, & vini, sub quibus necesse est Christum immolari, vt perfectum habeatur Sacrificium, quod summi Sacerdotis mortem nobis quotidiè repræsentet. Hinc est, quod pane consecrato, vi verborum ponitur solum Christi corpus, cum verba, quæ consecrant panem, nihil aliud significent, quam realem præsentiam corporis Christi sub speciebus panis, & in Calice vi verborum ponitur tantum Sanguis Christi, quem significant verba Calicem consecrantia. Quia veró neque Sanguis, neque Anima diuelli potest á corpore Christi glorioso, ideò in Hostiá per concomitantiam est etiam Sanguis, & Anima Christi vnita hypostaticè Verbo, & in Calice corpus cum Anima: Vndè fit eundem Christum, qui est in Cœlo, esse in Altari,

vbi habet, quidquid ibi habet, præter præsentiam localem, quæ non potest replicari.

11. Ad rationem in contrarium dico propositionem prædictam euadere simpliciter falsam, si replicetur, quia si replicatur, euadit copulatiua, cum habeat hunc sensum: *Amphitheatrum est Romæ, & Florentiæ*: sed propositio copulatiua est simpliciter falsa, quando vna tantum pars est falsa, ergo hæc tota propositio: *Amphitheatrum Romanum est hic*, replicata est falsa, cum ista propositio *Amphitheatrum est Florentiæ*, quæ est vna eius pars, sit falsa. Suppono autem propositionem formari ab intellectu non habente cognitionem intuitiuam loci præsentis sibi, aliter haberet signaté eundem sensum, quem ista: *Amphitheatrum est Romæ*, quæ propositio est vera, etiamsi existat Florentiæ, sicuti currente Petro hora 20 est vera hæc propositio: *Petrus currit hora* 20. etiamsi proferatur hora 21.

12. Dubitatur tertio, & vltimo, vtrum supernaturaliter possit non replicari omne id, quod habet corpus replicatum. Ratio dubitandi est primo, quia si potest non replicari Florentiæ omne id, quod habet Petrus Romæ, sequitur Petrum, qui replicatur, esse subiectum denominationum, quæ opponuntur contradictorie; conquens est impossibile, ergo, & antec. sequela probatur, quia Petrus esset simul subiectum amoris, & non amoris, si nimirum amor, qui est Romæ, non esset Florentiæ, cum hanc propositionem *Petrus nunc amat*, verificet amor existens Romæ, & istam contradictoriam *Petrus nunc non amat* verificet negatio amoris existens Florentiæ, ergo, &c.

13. Secundo. Deus non potest facere, vt idem corpus sit viuum simul, & mortuum; sed si Deus replicaret corpus Petri non replicando Animam,

illud

illud corpus esset simul viuum, & mortuum, quia Florentiæ non esset vnitum Animæ, ergo Florentiæ esset mortuum, ergo, &c.

14. Resp: Non repugnat, vt corpus, quod replicatur, habeat Romæ aliqua, vel omnia accidentia absoluta a loco, eaq; non habeat Florentiæ: ratio est, quia illud tantum debet essentialiter habere vtrobique corpus replicatum, quod intrinsecè constituit corpus in ratione corporis, alioquin esset simul, & non esset replicatum, si nimirum replicata non essent omnia eius constitutiua, sed nullum accidens constituit intrinsecè corpus in ratione corporis, ergo corpus replicatum non debet vtrobique essentialiter habere aliqua, vel omnia accidentia. Hinc replicato Petro necesse est replicari corpus, Animam, & vnionem eiusdem Petri: non est necesse replicari omnes eius cognitiones, volitiones, & alia id genus: prætereà replicatà materia non est necessitas replicandi formam, quia forma non constituit intrinsecè materiam, quam naturaliter informat.

15. Ad primum: nego ma: Amor Petri, qui existit Romæ, & non existit Florentiæ, vbi Petrus existit, verificat hanc propositionem *Petrus amat* falsificat istam: *Petrus non amat*, vt patet præscindendo ab omni replicatione, quia Petro existente Romæ, & hic exercente actum amoris, simulque non existente Florentiæ, ibique nullum actum amoris exercente, verum est Petrum amare etiamsi Florentiæ sit negatio amoris, quia vt simpliciter verum sit Petrum amare, & falsum non amare, non est necesse, vt Petrus vbique amet, satis enim si alicubi amet. Ratio a priori est, quia plus requiritur ad falsitatem quam ad veritatem propositionis particularis, vt patet in hac propositione, *aliquis homo currit*, sufficit enim vnum tantum hominem currere, vt huiusmo-

di propositio sit vera, cum Petro currente verum sit aliquem hominem currere: non sufficit vnum hominem non currere, vt eadem propositio sit falsa, quia potest Paulus non currere, & tamen non esse falsa, cum ad eam fasificandam necesse sit nullum hominem currere. Hinc est, quód á veritate propositionis, cuius subiectum est terminus determinatus, valet consequentia ad veritatem propositionis, cuius subiectum est terminus indeterminatus: at è contrarió non valet consequentia á falsitate propositionis de subiecto determinato, ad falsitatem propositionis de subiecto indeterminato, ità valet hæc consequentia: *Verum est Petrum currere, ergo verum est aliquem hominem currere*: non valet ista: *Falsum est Petrum currere, ergo falsum est aliquem hominem currere*.

16. Hæc doctrina, quæ debet diligenter attendi, valdé conducit ad explicandam præsentem difficultatem, & alias similes, quia vt sit vera hæc propositio: *Petrus amat* sufficit si Petrus alicubi amet, vt eadem sit falsa, debet Petrus nullibi amare; indé est, quod existente Romæ amore, eoque non existente Florentiæ, verum est Petrum amare, non est verum Petrum non amare, adeóque non sunt verá duo contradictoria; si enim Petrus Romæ amat, verum est Petrum alicubi amare; sed Petrum amare, & Petrum alicubi amare reciprocantur, quia non potest Petrus amare, & nullibi amare, sicuti non potest esse & nullibi esse, vt demonstratum est disp. 11. qu. 3. n. 5. ergo si Petrus Romæ amat, vera est hæc propositio: *Petrus amat*: è contrarió si Petrus Florentiæ non amat, non est verum Petrum nullibi amare, vt patet, sed si non est verum Petrum nullibi amare, non est vera hæc propositio; *Petrus non amat*: ergo Petro amante Romæ, & non amante Florentiæ, est

vera

vera affirmatiua: *Petrus amat*, non est vera negatiua, *Petrus non amat*. At nonne est vera hæc propositio: Petrus non amat Florentiæ? verissima profectò, igitur erit vera hæc alia propositio: Florentiæ est negatio amoris existentis Florentiæ? Hanc consequentiam dico esse distinguendam, ne locus aliquis relinquatur æquiuocationi, si enim amor existens Florentiæ accipiatur secundum id, quod solum significat, id est verum, quia Florentiæ non est negatio amoris, sed tantum est negatio vbicationis, per quam amor est Florentiæ.

17. Ad secundum: conc: ma: & nego min: Corpus Petri replicatum Florentiæ, vbi anima non replicatur, non est corpus mortuum, quia corpus mortuum nullibi habet vnionem cum Anima; sed corpus, quod non habet Florentię vnionem cum Anima, alicubi habet, quia Romæ habet, ergo Florentiæ non est mortuum. Ratio á priori est, quia vt dicatur quis non viuere, nullibi débet viuere, vt autem dicatur viuere, sufficit si alicubi viuat: séd huiusmodi corpus alicubi viuit, quia Romæ viuit, ergo non est mortuum, licet Florentiæ non existat vnio Animæ Petri cum corpore; id enim negat vnionem non simpliciter Animæ cum corpore, sed existentem in tali loco.

QVAESTIO VLTIMA.

Quid sit, & an possibilis sit penetratio corporum.

1. OPposito modo philosophandum est de natura penetrationis, ac de natura replicationis, sicuti enim replicatio ad eum finem est instituta, vt

vnum

vnum & idem corpus existat in pluribus locis, adeòque multiplicentur loca, non multiplicetur corpus, quod replicatur: itá penetratio est ordinata, vt duo corpora simul existant in eodem loco, adeóque multiplicentur corpora, non multiplicentur loca saltem extrinseca; duo enim corpora penetrári est formalissimè duo corpora eundem locum occupare.

2. Non potest quæstionis præsentis controuersia cadere in substantias immateriales, cum indubitatum sit vnam substantiam incorporeám posse cum alia penetrari, cum duæ substantiæ spirituales possint eundem locum occupare. Addo id etiam contingere substantiæ immateriali respectu materialis, quam nimirum penetrare potest. Præterea dubium non est, an accidentia materialia eundem occupent locum, quem substantia materialis occupat, & an duæ substantiæ incompletæ sint in eodem loco, quia non potest forma facere vnum per se cum materia, nisi materiam penetret.

3. Controuersia tantùm esse potest de substantijs materialibus completis, quæ habent propriam quantitatem excludentem vnum corpus ab alio loco, quem aliud corpus occupat, cum id sit proprium huius accidentis, quod denominat substantiam quantam, excludere duo corpora ab eodem loco. Certum est non posse duo corpora naturaliter penetrari, experimur enim vnum corpus si alteri occurrat, illud excludere á loco, quem occupat, dummodó habeat maiores vires: hæc autem exclusio non contingeret, si possent duo corpora eundem locum naturaliter occupare: prætereá non alia de causa succedunt terræmotus, nisi ex naturali repugnantia penetrationis, exhalationes enim, quæ continentur intra terræ viscera, & inde volunt erumpere, cum terram vndique occlusam penetrare non possint, ne-

cesse

cesse est, vt sibi aperiant viam ad occupandum spatium sibi proportionatum: hinc est, quod puluis tormentarius in terræ visceribus inclusus, cum primum incenditur, & ignem concipit, irrumpit in excidium Vrbium, Arcium, & corporum sibi obluctantium: Hinc exhalationes in superiore parte aëris accensæ, & locum ampliorem occupare conantes lacerant nubes, quæ circumstant, & magnum illum fragorem emittunt, quem Cœlo tonante experimur. Ratio á priori huius repugnantiæ, quam habent corpora, vt naturaliter penetrentur, accipi debet ex viribus limitatis eiusdem naturæ, quæ nimirúm superare non potest illam exigentiam, quam habent corpora distincta, ne occupent locum indistinctum, cum enim ex terminis non repugnet, vt mox demonstrabo, penetratio corporum, eaque in natura nunquam succedat, fatendum est quantitatem, quæ informat substantiam, exigere ne locum ab vna substantia occupatum occupet alia substantia.

4. Controuersum est, an ita repugnet naturæ penetratio corporum, vt etiam Auctori naturæ repugnet, quando nimirúm operatur supra, vel præter leges naturæ, & illam exercet potentiam, quam Theologi vocant absolutam, vt nimirum distinguant ab illa potentia, quam exercet operando iuxta leges naturæ, eamque ordinatam appellant. Possibilem penetrationem affirmant feré omnes Catholici, quia contrarium videtur contradicere Sacris Literis: negant Hæretici, quibus adhæret vnus inter Catholicos Durandus in 4. dist.44. qu.6 qui satis teméré singulares suas opiniones in medium adducit, vt refert Card. Bellar. lib.3. de Euch. cap.6.

5. Ratio, quæ potest persuadere repugnantiam penetrationis, est primo, quia repugnat causa formalis sine effectu formali, sed effectus formalis quan-

titatis eſt excludere vnum corpus à loco alterius corporis, ſed penetratio infert quantitatem non excludentem vnum corpus á loco alterius corporis, ergo penetratio repugnat.

6. Secundo. Quæcumque res excludit formaliter identitatem ſui cum alia re, ergo ſubſtantia materialis excludit formaliter identitatem loci cum alia ſubſtantia materiali. Conſequentia prob. quia non minús excludit ſubſtantia materialis aliam ſubſtantiam materialem á loco, quem occupat, quàm excludat á ſe vnum ens aliud ens.

7. Tertio. Repugnat præſentiam localem Petri eſſe identicé præſentiam Pauli, ergo repugnat Petrum, & Paulum eſſe in eodem loco. Conſequentia patet, quia eſſe in eodem loco eſt habere idem vbi. Antecedens etiam eſt certum, quia præſentia localis Petri eſt affixa eſſentialiter Petro, ergo non poteſt determinare Paulum ad exiſtendum in eodém loco. Contra hánc ſententiam.

7. Dico cum omnibus ſcholaſticis non repugnare diuinitus penetrationem corporum.

8. Probatur, quia exiſtere in loco occupato ab alio corpore non repugnat corpori qua ens eſt, alioquin Deus non exiſteret ibi, vbi eſt Mundus, neque qua ens corporeum eſt, quia ratio, quæ contrahit rationem entis ad ſpeciem corporis, eſt materialitas, ſed non repugnat materialitati exiſtentia duplicis corporis in eodem loco, túm quia conceptus entis materialis eſt conceptus entis quanti, ſiué extenſi, qui non excluditur per exiſtentiam duplicis corporis in eodem loco; tùm quia conceptus entis materialis non repugnat præſentiæ locali indiuiſibili, quæ eſt præſentia definitiua, quam habet Chriſtus in Euchariſtia, ergo neque repugnat enti materiali exiſtentia duplicis corporis in eodem loco.

9. Con-

9. Confirmatur, quia Christus nascendo penetrauit vterum Matris, cuius virginitatem Diuinus partus non violauit, vt constat ex fide: præterà idem Christus penetrauit sepulchrum lapide obsignatum, dúm á mortuis resurgeret, & Apostolicam Domum Ianuis clausis intrauit, vt constat ex Sacris Literis, quæ omnia contingere non potuissent, si duo corpora eundem locum occupare non possent. Addo eam dotem corpora gloriosa habitura, vt nimirum possint alia corpora penetrare, quam vocánt dotem subtilitatis nunc existentem in corpore Christi, ad cuius imaginem formabitur corpus glorificatum cuiuscumque prædestinati.

10. Ad primum: conc: má: & dist: min: effectus formalis quantitatis est formaliter excludere vnum corpus à loco alterius corporis: nego min: excludere radicaliter: conc: min: & dist: conseq. repugnat quantitati non excludere formaliter: nego conseq. radicaliter: conc: conseq. Certum est, neque diuinitus fieri posse, vt effectus formalis sit sine causa formali: dubium est de effectu formali quantitatis, an sit formalis exclusio duorum corporum ab vno loco, an veró radicalis, quæ est exigentia exclusionis formalis. Effectus formalis quantitatis est radicalis exclusio, quia est ipsa formalis exigentia, ne duó corpora occupent eumdem locum, vt dicam in lib. de Ortu, & Interitu. Indé est, quòd penetratis corporibus existit effectus formalis quantitatis, quia non existente formali exclusione existit radicalis, possunt enim duo corpora esse in eodem loco, & retinere exigentiam non existendi in eodem loco, sicuti accidens á substantia separatum retinet exigentiam vnionis cum substantia.

11 Ad secundum: conc: ant: & nego conseq. Disparitas est, quia formalis distinctio vnius rei ab

alia re est identitas rei cum se, per illud enim præcisé Petrus non est Paulus, per quod Petrus est Petrus: formalis autem exclusio duplicis corporis ab eodem loco est distincta á quantitate, sicuti formalis existentia accidentis in substantia est distincta ab accidente.

12. Ad tertium; conc: ant: & nego conseq. Ratio est, quia Petrus cum Paulo penetratus est eidem spatio præsens, cui Paulus est præsens, non proindé præsentia Petri est indistincta á præsentia Pauli, quia locus extrinsecus est idem, locus verò intrinsecus non est idem. Est igitur magnum discrimen, quod est diligenter obseruandum, inter locum extrinsecum, & locum intrinsecum; locus extrinsecus est illud spatium siue reale, siue imaginarium, quod occupatur á corpore alicubi existente: locus intrinsecus est illa forma intrinseca corpori, quæ determinat corpus ad existendum ibi, vbi est. Corpora penetrata sunt in eodem loco extrinseco, quia æquè distant á punctis finis, non habeat eumdem locum intrinsecum, quia non est eadem forma, quæ vtrumque determinat ad eumdem locum occupandum.

***

DI-

DISPVTATIO DECIMAQVARTA.

De vacuo, & ſpatijs imaginarijs.

ANtequam agam de tempore, quod ſpectat ad vnam ex proprietatibus corporis naturalis, opus eſt aliqua de vacuo, & ſpatijs imaginarijs breuiſſimé delibare, cum ad eorum notitiam ea multum conducant, quæ hucuſque de loco tractauimus.

QVAESTIO I.

Quid ſit vacuum, & an ſit poſſibile.

1. VAcuum ſpectata vocis Etimologia, idem ſonat ac ſubiectum carens aliqua re, quam habere poteſt. Itá appellamus Animum ira, & dolore vacuum, qui nimirum nec ira accenditur, nec dolore torquetur: arcam dicimus pecunia vacuam, quæ pecuniam non continet, quam continere poteſt. Quia veró locus extrinſecus eſt ſuperficies immobilis corporis continentis, ideó vſus invaluit, vt locus ille dicatur vacuus, qui non continet intra ſe aliquod corpus, quod antea continebat: ita eo tempore, quo feriamur á ſtudijs, lyceum dicimus Auditoribus vacuum: Vas etiam appellamus vacuum, ſi nimirum aqua, vel alius liquor, quo eſt plenum, effundatur. Huiuſmodi tamen vas licet vacuum ſecun-

cundum quid appellari possit, eo quod caret aliquo certo, & definito corpore, non propterea dicendum est simpliciter vacuum, quia non caret quocumque corpore, cum aquæ succedat aer ad occupandum locum, quem occupabat aqua. Indè est, quod homines rudes arbitrantur illud spatium, quod continetur intra aliquod Palatium, vbi nihil videtur, esse simpliciter inane, & vacuum, quando nimirum nullus est qui Palatium habitat, cum enim aer non sit elementum adeò sensibile sicut cætera elementa existimant aerem, vel nihil esse, vel corpus non esse, adeoque opinantur spatium, quod aere tantum occupatur, quocumque corpore carere: ex quo infero ad retinendam vacui intelligentiam esse intelligendam carentiam cuiuscumque corporis elementaris, vel mixti, cùm ibi concipiatur vacuitas, de qua in præsenti sermo est, vbi concipitur defectus cuiuscumque corporis occupantis spatium.

2. Obseruat igitur ingeniosè Aristotéles in 4. Physic. quem sequitur S. Thomas in prima parte quæst. 44. art. 1. ad 4. hoc vacuum, nimirum spatium carens quocumq; corpore duobus modis vsurpari posse, nimirum negatiuè,& priuatiue: vacuum negatiué vsurpatum est impropriè vacuum, quod nimirum tale est, vt nullum includat corpus, neque continens, neque contentum: huiusmodi nihil est aliud, quam spatium imaginarium, illud nimirum, quod extra mundum imaginamur, vbi nullum reperitur corpus contentum, nullum continens, adeoque datur negatio cuiuscumque corporis. Vacuum priuatiuè vsurpatum est illud interuallum omni corpore vacuum, quod continetur intra superficiem alicuius corporis: huiusmodi esset vas plenum aqua in ea hypothesi, in qua effunderetur tota aqua, & nullum succederet corpus ad ocupandum spatium,

quod

quod aqua implebat. In hac postrema significatione intelligendum est vacuum, de quo habemus quæstionem, & á Philosopho ibidem definitur, *est locus non repletus, sed aptus repleri corpore* quæ vltima verba non ita debent intelligi, vt significent solam non repugnantiam, eã enim habet spatium imaginarium, vbi vacuum non datur, sed exigentiam, quam non potest habere nisi spatium, quod continetur superficie alicuius corporis.

3. Posse fieri vacuum á Deo operante præter leges naturæ est indubitatum, nisi fiat quæstio de nomine, si enim annihiletur totus ille aer, qui occupat aliquam scholam, itá vt nullum corpus succedat ad occupandum spatium occupatum ab aere, necesse est, vt continuo vacuum fiat, quia pars superior scholæ non esset contigua parti inferiori, & tamen inter superiorem, & inferiorem nullum corpus existeret; sed Deus potest operando præter leges naturæ, annihilare totum aerem, qui ocoupat aliquam scholam, & simul impedire, ne aliud corpus succedat in locũ aeris annihilati, sicuti potest Deus formam destruere in materia existentem, & simul impedire ne alia forma materiam informet, quia materia non habet essentialem connexionem cum forma, ergo &c.

4. Dubium est, an viribus naturæ possit vacuum fieri. Vna ratio dubitandi fundatur in pluribus experientijs, quibus constat existere vacuum. Primò impleatur aqua calida vas perfectè, & vndequaque clausum, deindé ponatur in loco frigidissimo, aqua conglaciata, & condensata occupat locum minorem, & relinquit partem spatij, quam antea occupabat; sed in huiusmodi parte spatij datur vacuum, quia locus occupatus ab aqua non occupatur ab alio corpore, cum nullum corpus ingredi possit ad eum locum

locum occupandum, ergo &c. Secundó. Duo lapides perfectè plani coniungantur, deindè vnus ab alio separetur, vt eodē tempore omnes partes æqualiter eleuentur, in hoc casu in aliqua minima parte erit vacuum, quia non potest aer adeo velociter ingredi, vt eodem momento occupet omnes partes spatij à lapide occupati, quia ingreditur successiuè: tertió dum frangitur ictu mallei lapis, eodem tempore sepárantur partes lapidis extremæ, ac mediæ, ergo in partibus medijs dátur vacuum, quia aer prius occupat extremas partes, quam medias, mouetur enim successiuè.

5. Altera ratio dubitandi est, quia ad faciendum vacuum non requiritur infinita virtus, cum infinita non sit virtus, quam vnum corpus exercet ad occupandum locum ab alio corpore relictum; præterea virtus Angelica est longè maior, quam virtus omnium corporum, ergo saltem Angelus poterit impedire omnia corpora, ne succedant in locum ab alio corpore occupatum.

6. Contrariam sententiam docuit Aristoteles in 4. Physic. quem sequitur vniuersa schola Peripatetica docens naturam á vacuo refugere, adeoque viribus naturæ non posse dari spatium omni corpore vacuum, quod vnum corpus ab alio separet.

7. Ratio à priori, quæ naturalem vacui repugnantiam persuadet, desumitur ex natu á vniuersi, nimirum ex illo mirabili ordine, quo sápientissimus Author naturæ totam Mundi machinam fabricauit, cum enim inueniri non possit ordo sine multitudine, & ad multitudinem ordinatam necesse sit, vt inferiora pendeant á superioribus, debuit Author naturæ corpora inferiora, quæ sunt sublunaria mutationibus subiecta ità connectere cum superioribus, quæ sunt corpora cęlestia sortita naturam indefectibilem

vt illa dependeant ab istis; quia verò corpora superiora non possent agere in inferiora, nisi illis sint coniuncta, cum nullum agens effundat actionem suam non effundendo eam per totum illud spatium, quod passum ab agente disterminat: ideò necesse omninò fuit, vt idem Author naturæ, qui rebus a se conditis debuit consulere, eam legem conderet, vt nimirum vnum corpus in locum alterius succederet, ne videlicet vna pars Mundi ab alia separetur, adeoque corpora cœlestia possint in omnia corpora inferiora agere sine periculo agendi non propagata actione per medium. Quod vtique in ea hypothesi contingeret, in qua daretur vacuum: fingamus enim spatium, quod est inter terram, & infimam regionem aeris esse vacuum, sol vel in terram nihil ageret, quod repugnat naturali subordinationi, quam corpora inferiora habent respectu superiorum, vel ageret nihil penitus agendo in spatium intermedium, quod euidenter repugnat causæ, quæ non potest operari in distans.

8. Hinc est bonum vniuersale naturæ, quod appellatur bonum diuinissimum, consistere in coniunctione, & vnione locali, quæ est vnio propinquitatis, & indistantiæ omnium corporum, quæ sunt veluti membra componentia amplissimũ magni mundi corpus. Quia verò recta ratio præscribit, vt bonum commune præferatur particulari, ideò videmus hanc legem perfectissimè obseruari in operibus factis á natura, quæ sunt opera intelligentiæ; cum ad impediendum vacuum, quod si existeret, tota huius mundi harmonia cessaret, grauia ascendant, leuia descendant; & omnia corpora quodammodò oblita sui particularis boni, ad quod sunt á natura destinata, ab vno in alium locum velocissimè rapiantur, vt ex pluribus constat experimentis;

vt quibus recensendis non vacat immorari, sunt enim lippis, & tonsoribus, vt aiunt, nota. Ex quo factum est, vt artis humanæ solertia intelligens eam esse legem a natura constitutam, vt corpora grauia contra suam inclinationem ascendant, quando ex alio capite vacuum non potest impediri, aquam non semel cogat ad æmulandum fragorem, qua tonantis cœli, qua ignis fulgurantis in mole Adriana, adeoque oculorum, auriumque illecebris cogat aquam contra suam naturam sursum ascendentem inseruire.

9. Ad 1. Experientia non modo non suffragatur, sed potius repugnat vacuo, quod euidenter contingit in aqua vel non descendente, vel etiā ascendente quando vacuum impediri debet. Cæterum aqua condensata, & in vase inclusa, vel emittit vapores occupantes locum, quem aqua occupabat, vel ipsum vas frangitur natura vacuo reluctante, vt sæpissime contingit. Lapides vel non possunt inueniri adeo plani, vt vnus alteri superpositus totum aerem excludat, quod est probabilissimnm, vt dicam inferius, vel si possunt, vnus non poterit ab alio separari simul, sed tantum successiue, vt nimirum locus relinquatur aeri, qui occupat spatium relictum a lapide: idem militat, dum lapis frangitur, cuius partes successiuè separantur.

10. Ad secundum. Etiamsi non requiratur infinita virtus ad faciendum vacuum, nulla natura creata potest vacuum facere, quia nulla natura particularis habet virtutem maiorem, quam natura vniuersalis, cuius inclinationi repugnat vacuum. Inde est, quod Angelus non potest viribus proprijs resistere illi inclinationi, quam habet omne corpus ad impediendum vacuum, quia huiusmodi inclinatio conducit ad bonum vniuersale totius naturæ,

quod

quod impedire non potest, nisi Author naturæ, qui potest operari supra omnem inclinationem naturæ, particularis, & vniuersalis.

QVAESTIO II.

Vtrum sit possibilis motus in vacuo.

1. Videtur non esse possibilis. Primò quia si spatium, quod est inter Lunam, & terram esset vacuum, lapis non posset descendere, ergò corpora grauia non possunt moueri ad centrum in vacuo. Antecedens probatur, quia lapis non potest descendere, nisi corpora cœlestia influant in hunc motum, cum nihil sublunare moueatur nisi dependenter à motu corporum cœlestium, sed corpora cœlestia non possunt influere in motum lapidis existentis in vacuo, quia neque mediate, neque immediaté sunt propinqua huiusmodi lapidi, ergo &c.

2. Secundò. Grauia eatenus mouentur ad centrum, quatenus in centro possunt recipere influxum corporum cœlestium; sed in centro non possunt recipere huiusmodi influxum, ergo in vacuo non possunt moueri. Confirmatur, quia omnis motus est ordinatus ad acquirendum aliquid vtile mobili, sed corpus nihil acquirit vtile in vacuo, quia in vacuo nihil datur, ergo &c.

3. Tertiò. Repugnat motus instantaneus, sed motus in vacuo esset instantaneus, ergo repugnat. Minor probatur, quia eatenus mobile successiuè mouetur, quatenus debet superare resistentiam corporis occupantis locum, quem intendit occupare, ità qualitates nullum habentes contrarium producuntur in instanti, vt contingit in luce, quæ sole nascente

statim propagatur per totum aerem soli præsentem: qualitates veró habentes contrarium propagantur successiué, vt contingit in calore: sed in vacuo nullum datur corpus, quod resistat mobili, ergo mobile mouetur in instanti, adeoque non mouetur. Confirmatur, quo minor est resistentia, eo maior est velocitas, qua mouetur mobile, sed in vacuo nulla est resistentia, quia nihil est, quod resistat, ergo velocitas est summa; sed motus summe velox est instantaneus, ergo &c.

4. Respondeo hanc quæstionem agitari supposita existentia vacui, á qua præscindi non potest, an nimirum nullo corpore occupante illud spatium, quod est medium inter lunam, & terram, lapis, & quodlibet corpus graue existens supra terræ superficiem, moueretur ad centrum, adeoque descenderet: supponitur autem huiusmodi lapidem, de quo quæritur, an possit moueri, non esse contiguum alicui corpori, quia si supponatur contiguum, non poterit moueri propter naturálem repugnantiam noui vacui, quod contingeret, si moueretur.

5. Qua in re certum mihi est huiusmodi motum esse posibilem, cum nulla possit esse repugnantia, cur vacuo existente grauia deorsum, & leuia sursum moueantur, quia in vacuo est sursum, & deorsum, nimirum centrum, vbi terra existit, & circumferentiá, vbi sunt corpora cœlestia, quæ mouentur circa terram, etiamsi spatium, quod terram separat á cœlo, sit vacuum, non est igitur, cur ignis non posit petere superiorem partem, lapis veró inferiorem, loca nimirum sibi proportionata: præterea mihi certum est huiusmodi motum, quo posunt grauia deorsum, & leuia sursum moueri in vacuo, ese iuxta naturám, & inclinationem grauium, & leuium, non minus, quam sit iuxta eorumdem inclinationem,

quæ

quæ occupant spatium plenum, vt illa, nimirum grauia moueantur ad centrum à circumferentia, ista nimirum leuia moueantur à centro ad circumferen-tia. Rátio est quia grauitas inclinat corpus ad petendum centrum, hoc est ad acquirendam summam distantiam à circumferentia, cum bonum sit corpori habenti grauitatem summé drstare a circunferentia, & vltimum locum occupare: opposito modo procedit leuitas, quæ est contrária grauitati, & inclinat corpus ad fugiendum centrū,& petendam circumfereutiam, cum sit bonum corpori habenti leuitatem occupare locum superiorem, vbi exercere potest operationes naturæ suæ consentaneas: indubitatum est autem grauibús, & leuibus in vacuo existentibus eandem inesse grauitatem, & leuitatem, quam habent in spatio pleno: Indè est, quod grauia habent inclinationem ad petendum centrum, & leuia ad relinquendum centrum etiamsi existat vacuum, cum hanc inclinationem non amittant quando spatium, in quo sunt, caret omcorpore. Addo, quod grauia in vacuo appeterent centrum, quia nimirum haberent in centro locum mágis opportunum ad recipiendos influxus corporum cœlestium in ea hypothesi, in qua vacuum repleretur, adeoque possent corpora cœlestia propagare suam actionem per totum mundi ambitum.

6. Hæc mihi sunt certa, neque posse in dubium vocari arbitror, nisi velit quis diuertere ád quæstionem de voce. Contendunt nihilominus recentiores, an iste motus esset connaturalis. Mihi persuasum semper habui non fore perfectè connaturalem, licet esset iuxta naturalem inclinationem grauium. Ratio,quæ mouet me ad hoc opinandum, est quia ad hunc motum non influeret motus corporum cœ-

lestium, vt est enidentissimum ex dictis, & constat spectata natura vacui: mihi autem est indubitatum requiri motum corporum superiorum ad motum inferiorum, cum illa exerceant munus causæ vniuersalis, sine qua non operantur causæ particulares, vt docet Philosophus. Indè est, quod Deo nolente maiori efficacitate influere ad motum lapidis existentis in vacuo ille lapis moueri non posset, quia licet haberet magnam inclinationem ad descendendum, nihilominus descendere non posset ex defectu virtutis adæquatæ talem motum efficientis, sicuti si Orbes cœlestes moueri desinerent, statim lapis remaneret medio in aere libratus, quia nimirum motus lapidis non potest dari sine motu orbium cœlestium, Vnde patet ad argumenta in contrarium.

7. Ad primum & secundùm ex dictis constat, quia nihil aliud probant, quam motum grauium in vacuo non esse adeó connaturalem, sicuti est motus lapidis existentis in pleno, quod nos libenter admittimus.

8. Ad tertium: concedo maiorem, & nego minorem. Motus grauium in vacuo esset quidem velocior, quam in pleno, sed non esset instantaneus, quia licet, quo minor est resistentia, eo velocior sit motus, nihilominus velocitas motus non crescit tantùm; quantùm decrescit resisteutia, cum velocitas crescat non solum ex defectu resistentiæ, sed etiam ex magnitudine gruitatis, quæ quanto est maior, tanto velocior est motus; ideò si moueantur per vacuum duo corpora, quorum vnum sit ponderosius alio, vtique mouebitur velocius illud, quod habetplus ponderis.. Ratio à priori est, quia velocitas motus sequitur grauitatem mobilis: ergó si grauitas mobilis est limitata, est etiam limitata velocitas, sed grauitas mobilis, quod mo-

ue-

uetur in vacuo, est limitata, vt supponitur, ergo etiam velocitas est limitata, ergo non est infinita, ergo motus non est instantaneus, quia motus instantaneus est motus infinitévelox. Cæterû si grauitas esset infinita, motus esset instantaneus, quia verò repugnat infinita grauitas, ideó repugnat motus instantaneus, qui à motus essentialiter est ens successiuum.

QVAESTIO VLTIMA.

Quid sit spatium imaginarium.

1. IN hunc locum opportunè reiecimus quæstionem apud authores celeberrimam, & fortásse nunquam satis explicatam de spatijs imaginarijs, tùm quia intelligi non potest natura spatij imaginarij non intellecta natura spatij realis, & vbicationis determinantis essentialiter rem ad existendum in tali spatio: tûm quia omnibus quæstionibus, quas de loco agitauimus, debet finem imponere controuersia de spatio imaginario: eam breuissimè expediemus, itá tamen, vt nihil desiderandum remaneat, cum ad alia vtiliora debeamus properare.

2. Hactenus ostensum fuit eam esse vbicatiónis naturam, quam locum intrinsecum rerum existentium constituimus, vt sit forma essentialiter affixa non tantum rei locatæ, verum etiam spatio, in quo collocatur: explicándum restat, quid sit illud spatium, cui est essentialiter affixa huiusmodi forma ratione cuius dicitur esse distantia, vel indistantia ab alio loco, adeoque essentiáliter immobilis, & inauferibilis à loco cui est affixa, & simul repugnantia alibi existere per aliam præsentiam localem, cum effectus formalis, quem sibi communicat intransitiuè vbicatio,

tio, sit distare ab alio loco. Certum est huiusmodi spatium non esse aliquod spatium reale actuale, cui essentialiter sit affixa vbicatio Romana Petri, vt ostensiue demonstro. Ponamus annihilari totum illum aerem, qui circumdat Petrum existentem Romæ: rursus ponamus annihilari omnes orbes cœlestes, qui circa eundem Petrum mouentur, & per consequens annihilari illa puncta fixa realia, á quibus habet Petrus certam, & determinatam distantiam, dum est Romæ: in ista hypothesi procul dubio Petrus retinet illum eundem locum intrinsecum, quem mutare non potest, nisi moueatur: quod vtique non contingeret, si Deus destrueret corpora, quæ Petrum circumdant. Manifestum est igitur spatium; cui essentialiter est affixa præsentia Romana, non esse aliquod spatium reale actuale. Quia vero repugnat vt Petrus retineat illum locum intrinsecum, quem habet, dum est præsens Romæ; & simul ponatur hoc spatium reale, quod nunc existit quin Petrus retineat eandem distantiam, vel indistantiam, quam habet in præsenti, ideò Petrus dicitur essentialiter affixus spatio Romano, etiamsi possit non esse hoc spatium reale, & eadem vbicatio, quam Petrus habet, dum hoc spatium existit. Ex quo patet, quid sit Petrum Romæ præsentem esse essentialiter affixum spatio Romano, id enim non est ita intelligendum, vt Petrus non possit habere hunc locum intrinsecum, quem habet, nisi circa Petrum existant illa corpora, quæ in præsenti existunt, & nisi existant puncta fixa realia, á quibus tantam, & non maiorem habet distantiam, cum hoc sit manifesté falsum; sed Petrum esse affixum spatio Romano itá est intelligendum, vt non possit existere spatium Florentinum, quod formalissime consistit in vbicationibus Florentinis, quin habeat

ab

ab huiusmodi spatio distantiam maiorem illa distantiam, quam habet à spatio Tyburtino, siuè Tusculano.

2. Ex hac doctrina incipit nobis affulgeré aliqua lux spatij imaginarij, quod quærimus, cum enim vbicatio Romana sit essentialiter affixa spatio imaginario, & ex alia parte spatium, cui est essentialiter affixa prædicta vbicatio, non sit aliquod spatium reale actuale, vt demonstratum fuit, sed tantum spatium reale possibile, consequens est, vt spatium imaginarium sit spatium reale non actuale, sed possibile, adeoque nomine spatij imaginarij intelligatur vbicatio possibilis. Hinc est quam longé aberent á veró illi, qui non volentes, vel non valentes eleuare intellectum supra phantasiam, sibi persuadent illud esse spatium imaginarium, quod fabricatur phantasia, dum imaginatur spatium extra supremum cœli orbem continentem omnia corpora, quæ mundum componunt, vel imaginantur spatium, quod existebat vbi nunc mundus existit antequam mundus ipse existeret, falsó enim putant esse locum tenebrosum, rudem, & indigestum, quem fortassè Chaos credebant antiqui Philosophi, qui non potuerunt intelligentia assequi modum illum mirabilem, quo diuina omnipotentia ex nihilo omnia condidit.

4. Constat igitur spatium imaginarium nihil aliud esse, quam spatium possibile, quod iuxta nostram doctrinam tradendam in Metaphysica de possibilitate omnium possibilium, supponit pro spatio siuè vbicatione creata non existente; & significat omnipotentiam Dei existentem, à qua demonstratur actu possibile. Indé est spatium imaginarium esse longé maius quocumque spatio reali actuali, sicuti numerus rerum, quæ possunt esse excedit numerum

merum rerum existentium, cum illæ sint finitæ, illæ infinitæ saltem syncathegorematicè. Ex quó intelligi potest, quem sensum habeat illud vulgare dictum de spatijs imaginarijs extra mundum positis, & in infinitum se extendentibus, id enim significat posse á Deo fabricari alium mundum ab isto distantem, eoque maiorem finitè in infinitum.

5. Quid ergo opinandum de Deo vbique existente: existit? an non existit entia mundum? Ante Mundum conditum fuit ne, vel non fuit alicubi? Certum est non esse in præsenti aliquod spatium extra mundum, neque fuisse extra mundum conditum spatium aliquod; cui Deus coexistat, cum enim existentia Dei in loco sit continentia per quã Deus continet locum, non continetur á loco, vt alibi demonstratum est, fieri non potest, vt Deus extra mundum alicui spatio coexistat, & fuerit alicui spatio á se distincto presens, antequam mundũ fabricauerit, quia nihil extra mundum est, nihil ante mundum fuit, circa quod Deus suam virtutem exerceat. Præterea certum est Deum esse itá perfectum in præsenti, & itá perfectum semper fuisse, vt nihil possit, vel esse potuerit á Deo distinctum, cui enti Deus non intelligatur præsens sine vllá necessitate nouæ perfectionis sibi intrinsecæ: huiusmodi perfectio constituit Deum immensum, siué vbicumque existentem immensitate á Deo indistincta, cui immensitati nihil adiungitur, nihil detrahitur, siué existat, vel non existat spatium distinctum, cui Deus coexistat. Hęc sunt certa. An veró dicendus sit Deus esse nunc, & fuisse ab æterno in spatijs imaginarijs, videtur quæstio parui momenti, cum re intellectá, nonnisi de voce, quam nihili facio, posit esse controuersum.

6. Tutius mihi videtur concedere Deum esse, & semper fuisse in spatijs imaginarijs, quia id conducit

cit nostro intellectui speculanti phantasmata ad fabricandum diuinæ immensitati locum proportionatum. Cæterùm nulla res creata licèt fortasse possit esse præsens cuicumque spatio reali, quia potest in omnibus huius mundi partibus replicari; non potest esse in omnibus spatijs imaginarijs, adeoque non potest vbique existere, quod vni Deo conuenit; cuius immensitatem sequi potest, assequi non potest quælibet res creata.

DISPVTATIO DECIMAQVINTA.

De tempore, siuè duratione.

Opportunum est post locum agere de tempore, tùm quia vna ex proprietatibus corporis naturalis est tempus, tùm quia eodem modò discurrendum est de tempore, ac de loco. Quemadmodum enim locus alius est extrinsecus, alius intrinsecus ità tempus diuiditur in extrinsecum, & intrinsecum. Tempus intrinsecum est duratio, quæ non significat permanentiam rei habentis esse continuatum, vt apud latinos sonat *durare*, sed significat præsentiam, quam habet res existens tempori fluenti.

QVÆ-

QVAESTIO I.

Quid sit, & an sit tempus extrinsecum.

1. PRæmitto hanc quæstionem tanquam fundamentum omnium, quæ deinceps tractanda sunt circa durationem, cuius natura intelligi non potest, nisi intelligatur natura temporis. Huius existentia licet sit clarissima, vt omnes fatentur docti simul, & indocti, apud quos dubium non est, an tempus sit, difficillimum semper fuit explicare, quid sit tempus, vbi inuenitur præsens, præteritum, & futurum, adeoque apud omnes populos inualuit, vt tempus partiantur in horas, dies menses, annos, & sæcula; difficultas explicandi temporis, quæ mentem Augustini magnopere torquebat, vt constat ex 11. Conf. vbi cap. 14. ait: *Quid est ergo tempus? si nemo ex me quærat, scio; si quærenti explicare velim, nescio*: nascitur, vt docet S. Thomas tract. primo de tempore, ex definitione ipsius temporis, quod cum sit tenuissimum ens, ægré cognosci potest quid sit, sicut ea, quæ minimum habent lucis, videri non possunt, ex defectu non tam facultatis videntis, quam rei videndæ: id enim habent res imperfectissimæ commune cum perfectissimis, vt ab intellectu speculante phantasmata cognosci perfecté non possint, diuersa tamen, & dissimili conditione, illæ siquidem non sunt intelligibiles propter defectum, istæ propter excessum perfectionis. An tempus componatur ex instantibus diuisibilibus, vel indiuisibilibus, in præsenti non definimus, quia hunc nodum plané in extricabilem conabimur soluere agentes de compositione continui, ea quæ spe-

ctant

ctant ad inuestigandam temporis naturam, præscindendo á partibus tempus componentibus, sequentes propositiones breuiter, & dilucide declarabunt.

2. Prima propositio. Tempus est mensura rerum existentium, non tamen omnium.

3. Ratio est, quia tempus est mensura rerum, quæ temporis decursu consenescunt, adeoque á primo sui ortus momento festinant ad occasum; sed huiusmodi sunt plurimæ res, quæ existunt, non tamē omnes, vt videri potest in substantijs materialibus, & immaterialibus, quarum illæ sunt mortales, adeoque subiectæ morti, mutationi, & senectuti, quæ omnia tempus inducit, istæ sunt immortales, adeoque participant vitam nunquam morituram, ergo &c. Hinc vsus obtinuit, vt ea, quæ perpetua non sunt, appellentur temporalia, eo quod subiacent rotæ temporis nunquam quiescentis, quod suo motu nostram vitam alit simul, & extinguit: huiusmodi sunt omnia fortunæ bona, opes, honores, voluptates, & alia id genus, quæ necesse est, vt prætereant tempore prætereunte: è contrariò, ea quæ nullo ætatis dente atteruntur, æterna appellantur, quia nimirum ea non metitur tempus, quod est breuissima rerum mensura. Huiusmodi sunt animæ rationales Angeli, & potiori iure Deus, substantiæ nimirum ab omni labe materialitatis segregatæ, quas non deuorat temporis edacitas: indé est, quod illud solum mensuratur tempore, quod habet principium, & finem in tempore, vt eleganter docet Aristoteles in 4. Physic. quem in hanc rem citat S. Thomas in prima parte qu. 10. art. 4.

4. Secunda propositio. Mensura propria Dei est sola æternitas, quam definit ex Boetio S. Thomas cum omnibus scholasticis, ibidem artic. primo *Est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio.*

5. Pro-

5. Probatur simul, & explicatur, quia Deus est ens essentialiter immutabile, & indefectibile, vt euidenter demonstrat ex conceptu entis perfectissimi lumen naturæ, cui consonat lumen fidei, iuxta illud. *Tu autem idem ipse & anni tui non deficient*: ens autem quod est essentialiter indectibile, non potest non esse sempiternum, hoc est tale, vt necesse sit semper esse, adeoque semper fuerit, semper futurum sit, sine principio, & sine fine, quia id, quod non semper fuit, aliquando non fuit, & nunc est non est essentialiter immutabile: idem dicendum de illo ente, quod non semper erit: inde est, quod ex conceptu diuinæ immutabilitatis demonstratur æternitas Dei, quæ optimo iure dicitur tota simul & perfecta possessio vitæ interminabilis, vt nimirum ostendatur infinita distantia vitæ diuinæ á quacumque alia vita, quæ distantia in eo præcise collocari debet, quod respectu illius vitæ, quæ est infinita vita, non datur præteritum, neque futurū, sed solum præsens, quod cum sit infinitum, & perfectissimum instans, non fluit, sicuti fluunt illa momenta, per quæ nostra vita dilabitur, sed semper immobile, & immutabile perseuerat, adeoque est mensura valdè proportionata diuinæ perfectioni, quæ est infinita, & indiuisibilis perfectio excludens omnem distinctionem, mutationem, & defectum. ideó respectu Dei nihil est præteritum, nihil futurum, sed omnia sunt præsentia, quia instans diuinæ æternitatis, quod est præsens omnibus instantibus temporis realibus, & imaginarijs, caret partibus æternitatem componentibus: hoc non potest contingere respectu vitæ creatæ, & finitæ, quæ nimirum habet vnam partem durationis post aliam, adeoque non habet esse essentialiter indefectibile. Fateor opus esse magna abstractione intellectus ad æternitatem diuinam huius-

cuſque explicatam, aliquo modo intelligendam. Neque hoc videri debet mirum, quia ad cognoſcendam ſubſtantiam eſſentialiter indefectibilem ægré aſcendit intellectus, quem nimirum circumſtrepunt imagines rerum decedentium, & ſuccedentium, & phantaſmata rerum præteritarum, præſentium, & futurarum.

6. Tertia propoſitio. Menſura propria ſubſtantiæ immaterialis creatæ eſt æuum, quod eſt duratio habens principium, & carens fine.

7. Ratio eſt, quia ſubſtantiæ immateriales creatæ, quales ſunt Angeli, & animæ rationales, habent eſſe medium inter ſubſtantiam increatam, quæ omnem excludit mutationem, & ſubſtantiam materialem habentem eſſe tranſmutabile propter materiam, quæ eſt ſubiectum omnis mutationis, ergo non poſſunt habere pro menſura ſui eſſe neque æternitatem Dei, quæ omnem mutationem excludit, neque tempus, quod eſt in motu perpetuo, & mutatione, ergo menſura huiuſmodi rerum eſt æuum, nimirum duratio ſemper vniformis habens principium, & carens fine. Ratio á priori eſt, quia Angelus, licet non habeat eſſe tranſmutabile, non eſt ens omninó immutabile, cum non excludat volubilitatem cogitationum, & affectuum, quam excludit Deus, qui eſt ſimpliciſsimus actus intelligendi, & amandi: ideò menſura vitæ Angelicæ debet eſſe aliqua duratio recedens quidem ab imperfectione durationis rerum materialium, non tamen attingens perfectionem durationis diuinæ. De hoc æuo agunt Theologi in tract. de Angelis, & nos pro noſtro modulo aliqua agemus in Metaph. dum ſermo erit de intelligentijs.

8. Quarta propoſitio. Menſura propria ſubſtantiæ habentis eſſe materiale, & mutabile eſt tempus.

9. Probatur, quia tempus est duratio habens principium, & finem, adeoque fundata in perpetuo motu, & successione, sed substantia materialis habet principium, & finem, ergo mensura huius substantiæ est tempus. Hinc est, quod sicuti dantur tria rerum genera, nimirum Deus, qui est ab omni mutatione liber, Angelus, qui potest mutari accidentaliter, non substantialiter, res materialis, quæ potest mutari substantialiter, & accidentaliter, ità datur triplex mensura, nimirum æternitas excludens omnem mutationem, æuum excludens omnem mutationem substantialem, non accidentalem, & tempus nullam excludens mutationem.

10. Quinta propositio. Tempus licet non sit motus, non præscindit à motu.

11. Rationem cur tempus non sit motus, affert clarissimam Aristoteles, quia velocitas, & tarditas contingit motui, eo quod æquali, immó eodom tempore conficitur inæquale spatium à motu veloci, & tardo, quod est euidentissimum argumentum distinguendi motum á tempore. Quod autem tempus á motu non præscindat, est æque clarum, cum tempus intelligi non possit non intellectis partibus, quarum aliæ decedunt, aliæ succedunt, quomodo enim potest futurum transire in præsens: & præsens in præteritum: vndè nascuntur tres celeberrimæ differentiæ temporis, si nulla datur mutatio, nullus motus.

12. Sexta propositio. Tempus est numerus motus secundùm priús, & posterius. Ita Aristoteles, quem sequuntur omnes Philosophi.

13. Ad intelligentiam huius propositionis, notandum numerum alium esse numerantem, alium numeratum. Numerus numerans est actus intelle-

ctus

ctus multa numerantis, & vnum post aliud accipientis. De hoc numero in præsenti sermo non est. aliter nullo cogitante intellectu tempus non existeret, qnod experientiæ, & rationi euidenter opponitur, quidquid contradicant aliqui Authores freti authoritate Augustini explicantis varietatem temporis per varietatem congnitionum, quibus quædam intuemur, aliqua recordamur, alia expectamus, sed Augustinus in hoc discursũ longé fuit ab hac sententia, vt possem pluribus ostendere, sed non vacat. Numerus numeratus est res numeranda ab intellectu cognoscente vnũ post aliud. De hoc numero sermo est, tempus enim constat ex partibus prioribus, & posterioribus, quæ numerari possunt ab intellectu. Ratio est, quia tempus constat momentis, quorum vnum antecedit, aliud sequitur: huiusmodi momenta possunt numerari ab intellectu, qui eo plura numerabit, quo celeriorem habet intelligendi modum, & maiorem adhibet conatum in numerando. Hinc est, quod vnum tempus videtur breuè, aliud diuturnum, etiamsi æqualia sint, quia nimirum dum fluit vnum tempus, nulla, vel saltem parua numeramus momenta, quod contingit, quando gaudium, vel negotium occupat nostram mentem, id enim habet obiectum iucundum, vt animum remoueat á numerandis momentis, quæ tempus componunt. E contrario fluente alio tempore plurimá numeramus momenta, quod contingit quándo tristamur vel otiamur, cum tædium, vel otium cogat otiantem ad momenta numeranda, itá febricitantes experiuntur noctes longissimas, quas nimirum insomnes traducunt.

14. Vltima porpositio. Tempus proprium est mensura non cuiuscumqae motus, sed primi

mobilis, quo regulantur cæteri motus.

11. Sciendum est primó mobile esse cœlum supremum, quod rapidissimo cursu in orbem mouetur ab Oriente in Occidentem, suoque motu cætera corpora cœlestia mouet: quià verò spatio 24 horarum huiusmodi cœlum totum suum orbem absoluit, ideò videmus solem, qui mouetur motu primi mobilis, singulis diebus nasci in Oriente, & mori in Occidente. Huiusmodi motus, quo mouetur primum mobile, est continuus, vniformis, & notissimus, quiá primum mobile mouetur ab intelligentia, quę semper habet virtutem mouendi, neque defatigatur dúm mouet, quia mouet per intellectum, & voluntatem, cum sit substàntia immaterialis, vniformiter mouet, quia vltimam partem spatij primum mobile non percurrit celerius, quam primam partem. Ratio autem, cur iste motus debeat semper perseuerare donec Mundus perseuerat, est, quia si cessaret huiusmodi motus, cessaret quicumque alius motus, adeoque desineret motus generationis, alterationis, & corruptionis, qui motus mundum componunt. Hinc est, quod apud omnes nationes illud inualuit, vt omnis duratio mensuretur per horas, dies, menses, annos, & sæcula, dies enim est vna circulatio primi mobilis, hora est vigesima quarta pars eiusdem circulationis: ideo cursus lunæ vocàtur menstruus, solis annuus, quia nimirum trecenti sexaginta dies fluunt antequam sol, qui motu proprio mouetur ab Occidente in Orientem, eo reuertatur, vndè profectus fuit; triginta verò dies fluunt, antequam Orbis Lunaris suam periodum conficiat.

16. Constat igitur ex ijs, quæ hucusque diximus de tempore extrinseco, quod tempus non existeret, si nullus existeret motus, & omnia quiescerent

rent, sicuti ante mundi fabricam nullum erat tempus quia nulla erat mutatio, nullus motus, adeoque sola erat æternitas, quæ est instans indiuisibile, & permanens, vbi nullæ sunt partes ab intellectu numerandæ. Quod si quiesceret primum mobile, & cætera mouerentur, quod tamen repugnat ordini naturæ, non daretur tempus proprium, quia non daretur primus motus, qui est mensura omnium, daretur tempus iimproprium, quia motus huiusmodi haberet partes distinctas numerabiles successiue ab aliquo intellectu. Agendum superest de tempore intrinseco, quod est duratio, nimirum ratio formalis, quæ determinat ad ad existendum in vno potius, quam in alio tempore: de huiusmodi duratione sermo erit in sequent. quæst.

QVAESTIO II.

Vtrum duratio creata sit distincta à re durante.

1. VIdetur non esse distincta, vt docet Suar disp. 50 metaph. sect. 1. qui citat pro sua sententia Ochamum in secundó qu. 10. Gabrielem Scotum, & Capreolum: primó quia non distinguitur qua duratio in genere est, aliter omnis duratio esse distincta, adeoque æternitas Dei esset distincta á Deo, quod repugnat: neque qua res creata est, non enim repugnat conceptui entis creati durare per durationem indistinctam, cum ipsa duratio, per quam Petrus durat hodie, duret per durationem indistinctam, ergo &c.

2. Secundó. Non potest existere Petrus, & dies, quin Petrus coexistat diei hodiernæ, sicuti

non potest Petrus existere, quin coexistat Paulo existenti, ergo non potest existere Petrus, & dies hodierna, quin Petrus hodiè existat, adeóque duret duratione hodierna, ergo duratio hodierna Petri habetur præcisè per existentiam Petri, & existentiam diei hodiernæ. Consequentia probatur, quia intellecta præcisé existentia Petri, & diei hodiernæ non intelligitur Petrus indifferens ad existendum hodié, sicuti intelligitur indifferens, vt existat Romæ, etiamsi Petrus existat, & Roma existat, ergo, &c.

3. Tertio. Itá se habet Petrus ad tempus, quod semper fluit, sicut arbor secus flumen plantata ad aquam prętereuntem; sed huiusmodi arbor sine mutatione intrinseca sui coexistit aquę successiué fluenti, ergo etiam Petrus sine vlla mutatione intrinseca coexistit tempori successiuę fluenti, ergo, &c.

4. Quarto. Ex duratione distincta sequitur primó totum Mundum singulis momentis mutari: secundo nullum dari ens permanens, cum durationes perpetuó fluant, tertió motum durare per durationem distinctam, adeóque ipsam durationem, quæ consistit in motu: Consequens est falsum, ergo, & Antecedens.

5. Quinto. Non existentia rei facit formaliter rem non existentem in tempore, ergo existentia rei facit formaliter rem existentem in tempore, ergo, &c. Antecedens probatur, túm quia res non existens in nullo tempore existit, túm quia repugnat, vt intelligatur res in nullo tempore existens, & tamen intelligatur existens, ergo negatio existentiæ constituit formaliter rem non existentem in tempore.

6. Vltimo. Huic propositioni: *Petrus existit nunc* contradicit ista: *Petrus non existit*, ergo

Petrus

Petrus constituitur formaliter existens nunc per existentiam suam. Consequentia est euidens, quia si huiusmodi propositiones sibi contradicunt, necesse est, vt existentia Petri sit formale verificatiuum huius propositionis: *Petrus nunc existit*, cum sit formale falsificatiuum contradictoriæ: *Petrus non existit*: Ea enim est natura duplicis contradictoriæ, vt formale verificatiuum vnius sit formale falsificatiuum alterius, & è conuerso formale falsificatiuum vnius sit formale verificatiuum alterius. Antecedens probatur. Isti propositioni: *Petrus non existit*, non contradicit ista: *Petrus existit*, cum istæ propositiones possint esse simul veræ, sicuti possunt istæ: *homo currit, homo non currrit*, cum sint in materia contingenti, adeóque æquiualeant particularibus, nimirum *Petrus in aliquo tempore existit*, ergo huic propositioni: *Petrus non existit contradicit ista*: *Petrus nunc existit*.

7. Respondetur cum S.Thoma in 2.dist.4.qu.1. art.2.& in 1.par. qu.10. art.6. Riccardo in 2.dist.2. art.1. Henrico, Soto, Ruuio, & alijs recentioribus durationem creatam esse distinctam á re durante.

8. Ratio á priori est, quia nulla res creata est essentialiter æterna; sed res, quæ non est essentialiter æterna, durat per durationem distinctam, dummodó non sit forma determinans aliam rem ad durandum; ergo, &c. Minor probatur. Res non essentialiter æterna est indifferens, vt hodié existat, ergo determinatur ad existendum hodié per formam distinctam á sua existentia; repugnat enim Petrum hodiè existere, nisi detur causa formalis, quæ præstat hunc effectum formalem: huiusmodi causa formalis non potest esse existentia Petri, & existentia diei hodiernæ, cum vtraque sit indifferens, vt vna alteri coexistat, ergo debet essa alia

forma distincta ab existentia Petri, quam voco durationem, siué quod eodem reuoluitur, necessitatem vt Petrus existat simul cum die hodierna.

9. Præterea, quid petit Petrus, dum á Deo petit vitam crastinam? non petit existentiam sui, eam enim habet: non existentiam diei crastinæ; tùm quia hanc non curat; túm quia dies crastina Petro non orante existet, ergo petit aliquid distinctum ab existentia sui, & diei crastinæ, ergo durationem distinctam. Rursus cùr dicitur, qui decimum vitæ annum agit, natu minor, quàm qui agit annum vigesimum? An quia de vno verificatur *fuit*, quod de alio non verificatur? Id est aperté falsum, quia non minus fuit, qui decimum agit annum, quàm qui agit vigesimum. Ideó, inquies, dicitur natu maior, qui annum ágit suæ ætatis vigesimum, quia fuit semper quando fluebant viginti anni, qnod dici non potest de homine agente annum decimum. Verissimum profectò dicis, sed hoc dicendo tibi contradicis, qui cogeris affirmare exercité, quod negas signaté, nimirúm durationem ab existentia rei durantis distinctam, quam vtique significat ly *semper existere quando fluebant viginti anni, & simul cum illis existere*, nisi velis ludere verbis.

10. Vrgeo angustius idem argumentum, quod existimo inuictissimum ad causam perorandam. Illud, quod verificat hanc propositionem: *Petrus hodiè existit*, non est præcisè existentia Petri, & existentia diei hodiernæ, ergo est aliquid distinctum, ergo duratio hodierna distincta. Probo antecedens. Illud idem verificat hanc propositionem de præsenti: *Petrs hodiè existit*, quod heri verificabat istam de futuro: *Petrus cras existet*, sed istam de futuro non verificabat præcisé existentia Petri, & existentia diei crastinæ, quia heri poterat esse

verum,

verum, Petrum futurum, & diem crastinam futuram, & tamen esse falsum, Petrum cras futurum; ponamus enim Petrum hodiè non existere, & anno sequenti exstiturum, vtique hesternâ die erat verum dicere: *Petrus erit*; non erat verum: *Petrus cras erit*, ergo id, quod verificat hanc propositionem de futuro: *Petrus cras erit*, debet esse existentia Petri die crastino; quæ est formalissimè duratio crastina Petri, ergo similiter hanc propositionem de præsenti: *Petrus hodiè existit*, verificat duratio hodierna Petri distincta á Petro, & die hodierna. Monendum hic censeo Lectorem, ne hoc argumentum adhibendo permittat Aduersarios diuertere ad voces, quibus sibi contradicant, id enim animaduerto, contingere frequentissimè; dum nimirum asserunt verificari propositionem dictam per existentiam Petri hodiè existentis, vel existentiam Petri in die hodierna, cum prædictum argumentum demonstret Petrum nunc existentem non esse præcisè existentiam Petri, & existentiam diei hodiernæ.

11. Ostenso, durationem esse distinctam, facile est demonstrare esse modum distinctum ab actione conseruante rem, quæ durat. Ratio cur sit modus, est, quia huiusmodi forma determinat indifferentiam Petri ad existendum hodiè, ergo est essentialiter alligata Petro, & diei hodiernæ, ne incumbat necessitas procedendi in infinitum respectu huiusmodi formarum. Ratio cur sit distincta à conseruatione, est, tùm quia Petrus primò existens durat, & non conseruatur, cum latiùs pateat durare, quàm conseruari, tùm quia effectus formalis durationis est diuersus ab effectu formali conseruationis: hæc enim facit formaliter rem accipientem secundum esse à sua causa, illa facit

cis formaliter rem existentem in tempore, licet actio, quæ conseruat, exigat essentialiter durationem.

12. Ad primum. Ratio ponendi durationem distinctam est indifferentia rei ad existendum in hoc tempore: hanc indifferentiam neq; habet Deus, neque habet duratio creata: sed Deus non habet hanc indifferentiam ex magnitudine perfectionis, quia est essentialiter æternus: duratio creata non habet ex defectu perfectionis, quia est forma, quæ determinat aliam rem ad durandum, adeóque non potest intransitiué durare, nisi in genere causæ formalis faciat aliam rem transitiuè durantem.

13. Ad secundum, dist. antec: non potest Petrus existere intransitiué, quin coexistat diei hodiernæ: nego antec: non potest transitiuè existere: concedo antec: & nego conseq. Ad tollendam æquiuocationem, quæ in hac materia est frequentissima, opus est distinguere duplicem existentiam, quam Petrus habet, vnam intransitiué ab ipso Petro indistinctam, aliam transitiuè á Petro distinctam: huiusmodi est existentia hodierna; hanc sine dubio non potest Petrus habere, quin hodié existat; non indé tamen sequitur durare per durationem indistinctam, immò sequitur oppositum. Existentiam intransitiuè potest habere Petrus, quin hodiè existat, quia talis existentia præscindit á tempore, sicuti præscindit Petrus. Instantia, quæ sumitur ex coexistentia Petri, & Pauli indistincta ab vtriusque existentia, non est ad rem, quia probat oppositum, Petrus enim, & Paulus non possunt coexistere, nisi vterque eodem tempore existat: similiter Petrus, & dies hodierna non possunt coexistere nisi Petrus existat, quando existit dies hodierna, adeóque quia Petrus præter existentiam, quam habet intransitiué,

sitiué, habeat transitiué existentiam in tempore: Quid enim aliud est Petrum existere, quando existit dies hodierna, nisi Petrum esse hodié per aliquam formam sibi physicé inhærentem; & distinctam realiter à sua existentia, quæ forma est formalissimè duratio hodierna.

14 Ad tertium, ex dictis constat, quia sicuti non potest arbor coexistere aquæ successiué fluenti, nisi eodem tempore existat, quo defluit aqua; itá non potest Petrus coexistere tempori successiué fluenti, nisi existat quando tempus existit, adeóque argumentum retorquetur, arbor enim quæ coexistit aquæ pręsenti, non potest coexistere succedenti, nisi recipiat intrinsecé nouam durationem, ita Petrus, qui hodié coexistit diei hodiernæ non potest coexistere diei crastinæ, nisi mutetur intrinsecé per nouam formam.

15. Ad quartum: Verum est omnia, quæ Mundum componunt, intrinsecé mutari singulis momentis, quia transeunt, & mouentur ab vno tempore ad aliud. Inde est, quód homo nunquam, in eodem statu permanet, id non solum non repugnat, sed potiús summé consonat enti creato, quod debet esse essentialiter mutabile, sicuti enim est proprium Dei essentialiter indefectibilis non mutari iuxta illud Malach 3. *Ego Deus, & mutor*, itá est proprium entis creati semper mutari. Neque hinc sequitur nullum esse ens permanens, quia successio durationis non obstát permanentiæ rei durantis secundum illud, pro quo supponit res durans, nimirum secundum existentiam intransitiuam eiusdem, cum Petrus illud esse, quod habuit heri, habeat hodié, licet non habeat durationem eo modo, quo mobile est idem, licet partes motus varientur. Cæterúm si arguens nomine entis successiui

intel-

intelligat ens, quod habet durationem essentialiter fluentem, in hoc sensu verum est nullum esse ens creatum, respectu cuius nihil succedat; adeoque nihil sit præteritum, nihil futurum, id enim est proprium solius Dei, qui per suam semper præsentem, & infinitam æternitatem semper est.

16. Ad quintum, dist: ant: non existentia rei facit formaliter Petrum non existentem in aliquo determinato tempore: nego ant: in aliquo tempore indeterminato: concedo ant: & dist; conseq: ergo existentia rei facit formaliter Petrum existere in aliquo determinto tempore: nego conseq: indeterminato: concedo conseq: Eodem modo philosophandum est de rebus existentibus in loco, & de rebus existentibus in tempore; sicuti ergo rem simpliciter existere est alicubi existere, itá rem simpliciter existere, est aliquando existere: prætereá sicuti rem simpliciter non existere, est rem esse nusquam, siué nullibi existere, itá rem simpliciter non existere est rem nunquam, siue in nulla temporis differentia existere. Rario est vtrobique eadem; quia æqué repugnat rem simpliciter esse, & nusquam esse, ac rem simpliciter esse, & nunquam esse. Hinc déduco illam formam, quæ facit rem existentem, facere aliquando existentem, adeòque existentiam rei esse necessitatem aliquandó existendi. Cæterùm illa forma, quæ facit rem durantem hodié, non est existentia, sed duratio ab existentia distincta, sicuti illa forma, quæ facit rem hodié non existentem, non est negatio existentiæ, sed negatio durationis hodiernæ. Ratio á priori est, quia per hoc præcisé, quod rés hodié non existit, non excluditur á numero rerum aliquandó existentium, neque includitur in numero rerum, vel puré possibilium, vel impossibilium, quæ nunquam existent; adeò-

adeóque non excluditur à numero rerum Diuinæ Æternitati præsentium, cum possit aliquid non esse hodie, & simul esse futurum, adeóque esse præsens Diuinæ Æternitati, cui omnia futura, & præterita sunt præsentia iuxta doctrinam, quam accutissimé tradit S. Thomas in prima parte. Hinc est, quod potest intelligi res existens, quin intelligatur existens in aliquo tempore determinato, licet non possit intelligi res existens, quin intelligatur existens in aliquo tempore indeterminato.

17. Ad vltimum: dico propositiones æternæ veritatis differre à contingentibus eo quòd illæ abstrahunt á tempore cum affirment necessitatem semper existentem identitatis prædicati cum subiecto, istæ non abstrahunt, quia affirmant aliquam formam contingenter inhærentem subiecto. Quod si á tempore non abstrahunt, necesse est vt significent aliquod tempus, vel certé, & definité, vel indefinité, & vagé: ideò hæc propositio: *Petrus currit*, quia est contingens, debet significare Petrum currentem, vel eo tempore, quo propositio formatur, vel aliquandò currentem: si primum, ei contradicit ista: *Petrus non currit nunc*, si secundum, contradicit ista: *Petrus nunquam currit*, quia sicuti istis propositionibus: *Petrus est hic*, *Petrus est alicubi*, contradicunt istæ, *Petrus non est hic*, *Petrus nullibi est*, itá his propositionibus: *Petrus nunc currit*, *Petrus aliquando currit*, contradicunt: *Petrus nunc non currit*, *Petrus nunquam currit*. Vndé patet ad argumentum in forma.

QVAE-

QVAESTIO III.

Vtrum repugnet duratio creata permanens, & indiuisibilis.

1. CErtum eſt durationem hodiernam, quæ determinat Petrum ad exiſtendum hodie, non eſſe totam ſimul, quia conſtat pluribus horis, quarum vna ſuccedit alteri: quod ſi non eſt tota ſimul, vtique ſucceſſiué exiſtit, adeòque habet partes actuales, vel potentiales iuxta varias de compoſitione continui ſententias. Dubium eſſe poteſt, an repugnet in terminis duratio creata, quæ habeat eſſe permanens, & indiuiſibile, nimirum duratio horaria, diurna, menſtrua, annua, vel æterna, in qua nihil ſit præteritum, nihil futurum, ſed tota ſit præſens, ſicuti euidens eſt contingere in duratione Diuina. Huiuſmodi controuerſia alio nomine agitari ſolet, de creatura eſſentialiter indefectibili, vel ad certum tempus, vel ſemper, quæ nimirum eſſentialiter exigat, vel ſemper eſſe; vel aliquo certo, & definito tempore eſſe, ſicuti homo eſſentialiter exigit diſcurrere, vna enim quæſtio ab alia non poteſt ſeparari, vt perſpicué demonſtro. Ponamus poſſibilem durationem annuam indiuiſibilem, & permanentem, neceſſariò ſequitur, Deum non poſſe ante finem anni redigere in nihilum Petrum, quia ſi poſſet, huiuſmodi duratio eſſet diuiſibilis, cum intra ſpatium vnius anni aliquandò eſſet, aliquandó non eſſet, quod hypotheſi repugnat.

2. Ratio, quæ ſuadere poteſt non repugnantiam durationis indiuiſibilis, quam expreſsé docet Suarez diſp. 50. ſect. 5. & Arriaga eſt. Primo

non

non repugnat Diuinæ perfectioni, primo non posse facere, vt homo non sit animal rationale, quia hoc est essentia hominis, immó Deus non esset perfectissimus si posset inuertere naturas rerum; ergo non repugnat Diuinæ perfectioni non posse annihilere creaturam essentialiter indefectibilem, ergo huiusmodi creatura, adeóque duratio permanens non repugnat.

3. Secundo. Essentialis indefectibilitas rei creatæ, neque repugnat dominio, neque libertati, quam Deus habet faciendi, vt existat, vel non existat. quidquid est á se distinctum, ergo non repugnat: Antecedens probatur, quia Deus esset indifferens ad producendam huiusmodi creaturam, ergo exerceret dominium, & libertatem circa talem creaturam, licet illam non posset destruere ex suppositione, quod illam semel produxerit.

4. Tertio. Ratio entis essentialiter indefectibilis non est formaliter ratio entis increati, ergo potest ens creatum esse essentialiter indefectibile, ergo &c. Ant: prob: túm quia indefectibilitas non est ratio entis necessarij, cum possit aliquid contingenter existere, & tamen esse indefectibile essentialiter, nimirùm eam habere naturam, vt destrui non possit, supposito quod existat, tùm quia hæc prædicata sunt formaliter in Deo distincta, adeóque potest vnum participari, alio non participato.

5. Quarto. Potest Deus facere hoc decretum: *Nolo destruere actus intentionales Petri*, deindé potest reuelare eidem Petro hanc suam voluntatem: posita hac reuelatione: ille actus fidei, quo Petrus credit Deo id reuelanti, est essentialiter indefectibilis, quia repugnat voluntatem Diuinam non impleri, huiusmodi autem indefectibilitas est essentialis actui, quia de essentia huiusmodi actus est or-

do

do transcendentalis ad hoc decretum, ergo, &c.

6. Vltimo: Visio beata est essentialiter indefectibilis, quia est essentialiter cognitio vera suæ æternitatis, cum nullus sit Beatus, vt docet S. Thomas, qui videndo Deum non videat voluntatem Dei volentis sibi donare æternam fœlicitatem, debet enim Beatus esse metaphysicé certus de æternitate suæ Beatitudinis, ergo non repugnat creatura essentialiter indefectibilis. Confirmatur, quia natura humana vnita hypostaticé Verbo est essentialiter indefectibilis cum Verbum non possit dimittere naturā assumptam: contra hanc sententiam.

7. Dico repugnare durationem creatam indiuisibilem, & permanentem, adeoque creaturam essentialiter indefectibilem.

8. Huiusmodi repugnantia demonstratur primo ex conceptu entis creati. Repugnat enti creato, quod sibi non sufficit ad existendum aliquando existere, & non indigere alio ente à se distincto ad existendum: id autem contingeret in ea hypothesi, in qua ens creatum duraret per durationem indiuisibilém permanentem, nimirùm diurnam, vel annuam, quia Petrus si haberet hodie durationem diurnam indiuisibilem, singulis horis præsentis diei non posset non existere, cum haberet necessitatem coexistendi omnibus eius partibus propter indiuisibilitatem durationis diurnæ, adeòque non existeret contingenter hora præsenti, necessitas enim existendi ex suppositione, opponitur contingentiæ; huiusmodi autem esset prædicta necessitas, quia Petrus existens, in sensu diuiso ab existentia præsenti, haberet necessitatem nunc existendi: Ens autem, quod necesse est existere quando existit, non habet indigentiam alterius entis vt existat, cum huiusmodi indigentia fundetur in contingentia, adeoque

que in non repugnantia, quam habet res existens ad non existendum: ens igitur, quod habet huiusmodi durationem, non indiget alio ente ad existendum, quandocumque ipsum existit, esto indigeat quando primò existit, cum ergo repugnet enti creato aliquando existere, & tunc non indigere alio ente ad existendum, constat eidem repugnare durationem indiuisibilem.

9. Demonstratur secundó. Si esset possibile, ens, quod necessario deberet Deus producere, esset possibile ens, quod haberet primum esse á Deo independens, ideó repugnat ens productum, quod habet necessitatem, vt producatur: quia ens habens necessitatem existendi est ens improductum, adeoque independens, ergo ens, quod est essentialiter dependens, est ens, quod non habet necessitatem, vt producatur á Deo, qui necessarió, & essentialiter existit, ergo si esset possibile ens, quod necessarió deberet Deus, vel semper, vel certo tempore conseruare, esset possibile ens habens esse non semper dependens á Deo; si enim primum esse, quod necessarió habet esse, est ens independens, etiã secundò esse quod necessario habet esse est ens indepedens. Quod si non repugnat ens habens durationem indiuisibilem coexistentem tempori diuisibili, non repugnat ens, quod necessarió debet conseruari á Deo: si ergo non repugnat ens habens durationem indiuisibilem, neque repugnat ens, quod habet esse non semper dependens á Deo; sed euidenter repugnat ens habens esse non semper dependens á Deo, ergo euidenter repugnat duratio creata indiuisibilis. Confirmatur, quia spectat ad perfectissimum dominium Dei, vt de rebus creatis possit disponere iuxta consilium suæ voluntatis,

ergo repugnat eidem dominio creatura, quæ pro quolibet instanti annihilari non potest.

10. Demonstratur tertiò: ex conceptu entis increati. Necesse est existere ens increatum, quod sufficit sibi ad existendum, ergo repugnat existere ens creatum essentialiter indefectibile. Consequentia probatur, quia necessitas entis increati sufficientis sibi ad ad existendum est repugaantia entis creati habentis necessitatem antecedentem aliquãdo existendi, cum fieri non possit, vt aliquod ens sibi sufficiat, adeoque nullo indigeat, si in quolibet momento non potest liberè impedire existentiam cuiuscumque rei á se distinctæ; sed ens essentialiter indefectibile habet necessitatem antecedentem aliquando existendi, cum huiusmodi necessitas sequatur naturam huius entis præcisa libera Dei voluntate, ergo necessitas, quam habet ens increatum, vt existat est necessitas ne existat ens creatum essentialiter indefectibile, ergo repugnantia huiusmodi entis sequitur ex nécessitate entis increati, sicuti enim necesse est, vt existat ens essentialiter indefectibile itá repugnat ens creatum essentialiter indefectibile. Indè est, quod sicuti nulla est res creata, cui sit essentiale existere, cum hoc soli Deò conueniat, qui est ens á se; itá nulla est res creata, cui sit essentiale non posse in quolibet momento destrui; quia enti infinité perfecto essentialiter conuenit posse in quolibet momento cessare ab omni operatione, qua operatur extra se largiendo alijs rebus existentiam; cum infinitæ communicabilitati sufficiat necessitas operandi intra se, nimirum illa necessitas, quam habet infinitùm bonum existendi identicé in tribus personis diuinis, quarum vna procedit ab alia.

11. Ex qua doctrina constat repugnantiam dura-

durationis creatę indiuisibilis, & permanentis fundari in perfectione infinita Dei, quæ est talis & tanta, vt repugnet summo, & infinito bono necessitas operandi ad extra. Ratio est, quia ex illo capite repugnat huiusmodi duratio, ex quo repugnat creatura essentialiter indefectibilis, sed creatura essentialiter indefectibilis repugnat ex illo eodem capite, ex quo repugnat Deo necessitas operandi ad extra; hæc repugnat Deo, eo quod summum, & infinitum bonum non debet indigere alia re á se distincta, adeoque non habet necessitatem existendi simul cum alia re á se distincta; hanc autem necessitatem haberet, si haberet necessitatẽ operandi ad extra; necessitas igitur operandi ad extra repugnat Deo ex capite infinitæ perfectionis, quæ est causa, vt Deus sibi sufficiat, adeoq; possit cessare ad arbitrium súum ab omni operatione ad extra, per quã mouetur ad communicandam alijs rebus existentiam. Ex hoc eodem capite repugnat essentialis indefectibilitas rei creatæ, quia si esset aliquid creatum, quod deberet necessario esse, posito quod semel est, Deus non posset ad arbitrium suum cessare ab omni operatione ad extra, quia non posset cessare ab illa operatione, per quam huiusmodi ens creatum deberet conseruari: ergo ex capite infiitæ perfectionis, quam Deus habet, repugnat creatura essentialiter indefectibilis, adeoque duratio creata indiuisibilis, & permanens.

12. Opus igitur est duplicem indefectibilitatem distinguere ad soluenda omnia argumenta, quibus hæc nostra sententia potest oppugnari. Vna indefectibilitas est illa, quæ oritur ex voluntate diuina, qua Deus liberé vult esse aliquam creaturam: hæc indefectibilitas non opponitur infinitæ perfectioni, quæ est in Deo, & finitæ perfectioni, quæ

est in rebus creatis, quia est liberum Deo annihilare, vel non annihilare quamlibet creaturam, si enim aliqua creatura non potest annihilari posito, quod Deus nolit eam annihilare, id nascitur non ex magnitudine perfectionis, quæ est in tali creatura, sed ex libera Dei voluntate, qui non vult vti illa potestate, quam habet amplissimam ad annihilandam quamcumque creaturam. Alia indefectibilitas est illa, quæ fundatur in essentia illius rei, quæ est indefectibilis: hæc indefectibilitas est propria solius Dei, adeoque est essentialiter incommunicabilis creaturæ. Hinc patet, quid sit dicendum ad argumenta partis oppositæ.

13. Ad primum. Impossibilitas mutandi essentiam rerum est impossibilitas rei creatæ essentialiter indefectibilis, quia sicuti pertinet ad infinitam Dei perfectionem non posse mutare essentiam hominis, est enim summa Dei perfectio non posse facere chimæram, nimirum id, ex quo sequuntur omnia inconuenientia, ità pertinet ad eandem perfectionem Dei necessitas ne sit aliqua res á Deo distincta essentialiter indefectibilis, vt demonstratum est; ideò ex eodem capite probo repugnantiam, ex quo aduersarius probat non repugnantiam huiusmodi entis; quia cum Deus sit longé perfectior, si omnem rem á se distinctam possit semper annihilare, quam si non possit, vt est clarissimum; & sit perfectior si non possit, quám si possit mutare essentiam rei, cum hæc impotentia sit summa potentia; consequens est, vt nulla res á Deo distincta sit possibilis, cuius essentia sit indefectibilitas. Ratio à priori est, quia nihil potest esse essentiale rei creatæ, quod repugnat conceptui entis creati, vt est euidentissimum, alioquin esset essentiale alicui creaturæ esse ab alio, & simul non esse ab alio: conceptui

ceptui autem entis creati repugnat non posse semper annihilari a Deo, quia repugnat non accipere semper esse contingenter á Deo; ergo non potest esse essentiale rei creatæ prædicatum indefectibilitatis. Indé est, quod si Deus non potest destruere creaturam essentialiter indefectibilem, arguitur simul, & non arguitur imperfectio Dei, arguitur, quia est imperfectio habere necessitatem ineuitabilem alterius entis á se distincti, adeoque non sufficere sibi ad existendum: non arguitur, quia Deus non est imperfectus ex eo; quod non potest mutare essentiam rei, id autem mirum non est, quia ex hypothesi impossibili sequitur vtrumque contradictorium. Addo hunc modū arguendi esse euidenter falsum, quia probat non repugnantiam entis essentialiter independentis á Deo, & entis creati habentis necessitatem ad existendum, vt patet hoc syllogismo, quē seruata eadem arguendi forma adhibeo ad probandam non repugnātiam entis cuius essentia est necessitas existendi. Non repugnat perfectioni diuinæ non posse mutare essentiam rei sed non posse non producere creaturam cuius essentia est ipsa necessitas existendi, est formalissimé Deum non posse muture essentiam rei, ergo non repugnat perfectioni Diuinæ esse aliquid in genere entis creati, quod non potest non produci á Deo. Si ergo est summa potentia non posse facere vt homo non sit animal rationale, quia essentia hominis est animal rationale, cur non erit summa potentia non posse non producere illud ens creatum, cuius essentia est necessitás existendi? Sicuti ergo datur in genere entis creati aliquod ens cuius essētia est animal rationale, cur non poterit dari in eodem genere aliquod ens cuius essentia est necessitas existendi? Quis non videat, quam sit futilis hic mo-

dus arguendi; quia nimirum nemo est, qui habeat mentem, & non videat repugnare, vt in genere entis creati sit aliqua species, cuius essentia inuoluit prædicatum oppositum contradictoriè prædicato generis: sed possibilitas non existendi est conuertibilis cũ ente creato, ergo nulla est species entis creati, cuius essentia sit necessitas existendi, quæ contradicit possibilitati non existendi. Quia veró est essentiale Enti creato semper dependere, ideó non potest fieri, vt sit aliquid in genere entis creati, quod habeat necessitatem antecedentem aliquando existendi, hæc enim necessitas est formalissimè independentia.

14. Ad secundum. Deus est dominus perfectissimus suarum creaturarum, vt est indubitatum, perfectissimús autem dominus debet posse disponere de rebus, quarum dominium habet iuxta suam voluntatem, vt patet ex terminis, ideo nulli rei creatæ debet repugnare exercitium huius dominii perfectissimi. Præterea non est dubium, quin sit perfectior actus dominii posse destruere rem aliquando productam: indé est essentialem indefectibilitatem rei creatæ repugnare dominio Dei.

15. Ad tertium: omitto antecedens, & nego consequentiam, Ad ostendendam repugnantiam entis creati essentialiter indefectibilis sufficit demonstrare connexionem, quam habet essentialis indefectibilitas cum ente increato; quidquid sit, an detur formalis indentitas inter vtrumq; prædicatum, connexio autem essentialis indefectibilitatis cum ente increato demonstratur, quia essentialis indefectibilitas arguit independentiam, vt ostēsum est, independentia veró arguit sufficientiam ad existendum, quæ arguit infinitam perfectionem,

adeo-

adeoque aseitatem; indè est, quod licet esse indefectibile, & esse á se sint prædicata formaliter distincta, quod in præsenti omitto, non sequitur posse participari vnum, etiamsi aliud non participetur, quia huic participationi obstat repugnantia entis creati essentialiter indefectibilis.

16. Ad quartum. Aliqui Authores, qui nobiscum opinãtur repugnare creaturam essentialiter indefectibilem, docent non repugnare essentialem indefectibilitatem prouenientem ex intentionali connexione cum voluntate libera Dei nolentis aliquam rem destruere: huiusmodi indefectibilitatis genus inuenitur túm in actu fidei, qui habet pro obiecto reuelationẽ Dei nolentis destruere quemlibet actum ab intellectu formatum, túm in visione beata, quæ videt liberam voluntatem Dei decernentis æternam Beatitudinem. Ratio cur huiusmodi actus, si est possibilis, habeat hanc indefectibilitatem, est euidens, quia essentia talis actus est ordo transcendentalis ad decretum diuinum suæ perpetuitatis, cum omnis actus habeat ordinem ad obiectum, quod respicit. Hinc præfati Authores admittunt actum prædictum fore indefectibilem essentialiter sine periculo repugnantiæ, quæ contingit in creatura essentialiter indefectibili ex magnitudine suæ perfectionis: huiusmodi veró actus, vt inquiunt, esset quidem inefectibilis, non tamen ex magnitudine suæ perfectionis, cum esset æqué perfectus, ac alius actus defectibilis. Huic doctrinæ nunquam potui acquiescere, eam enim árbitror laborare vitio inconsequéntiæ si enim ex capite entis creati non repugnat essentialis indefectibilitas, vt tenentur fateri, qui defendunt aliquem actum intentionalem essentialiter indefectibilem: ignoro aliud caput, ex quo possit repugnare. Præterea

 est

est falsum actum fidei essentialiter indefectibilem non esse perfectiorem actu defectibili: certé maior indefectibitas est argumentum maioris perfectionis, ideó cæteris paribus res breuioris æui sunt minoris perfectionis, quam res longioris æui.

17. Alia igitur adhibenda est solutio ad argumentum, cuius suppositum est falsum, cum supponat id, quod est controuersum, idem enim est supponere Deum posse reuelare Petro voluntatem non destruendi eius actus, ac supponere possibilem actum essentialiter indefectibilem; ideó omnia argumenta, quæ probant repugnantiam entis creati essentialiter indefectibilis, probant falsitatē suppositi. Cæterum non debet videri mirum, quòd Deus non possit huiusmodi decretum reuelare, quia non potest Petro reuelare omne id, quod circa Petrum decernit, vt pluribus ostendo. In primis, suppono sententiam valdè probabilem apud Theologos non posse credi fide diuina, quæ est sperandarum substantia rerum, reuelationem suæ damnationis: supposita hac sententia, potest Deus præuidens demerita Petri reprobare Petrum decernendo futuram damnationem, deinde potest Deus statuere se nolle concurrere cum Petro ad vllum actum intentionalem, & tamen hoc decretum non potest ea reuelare, quia stāte hoc decreto rdpugnat actus intentionalis Petri, ergo repugnat actus fidei elicitus á Petro, ergo repugnat reuelatio, quia illud repugnat reuelari, quod repugnat credi.

18. Ad vltimum. Æternitas visionis Beatæ, quæ habet pro obiecto Deum volentem visionem æternam, optimè conciliatur cum essentiali eiusdem defectibilitate, quia Deus promittit Beato, vel semper duraturam eandem numero visionem, vel aliam eiusdem speciei substituendam loco visionis,

nis, quam habet. Vndè sequitur Beatum esse metaphysicè certum de æternitate Beatitudinis, adeoque fieri non posse, vt deficiat aliqua indeterminatè visio beata, licet quælibet determinatè possit deficere: sicuti est certum hominem viatorem singulari Dei gratia non præuentum, habere necessitatem incidendi in aliquod indeterminaté peccatum veniale, licet habeat potestatem moralem vitandi singula peccata venialia. Instantia vnionis hypostaticæ non est ad rem, quia natura assumpta non habet aliam repugnantiam, vt dimittatur à Verbo, adeoque destruatur, nisi repugnantiam fundatam in decreto, quo Deus non vult dimittere naturam assumptam. Cæterum non est essentiale huic naturæ non dimitti: adeoque non destrui, sicuti non est essentiale eidem naturæ assumi.

19. Hinc colliges non excludi ab ente creato illam indefectibilitatem, quæ nascitur ex diuina promissione, quando nimirum decernit, & promittit se nolle aliquam rem destruere, hanc enim indefectibilitatem dari est certo certius, eamque omnes Catholici agnoscunt in hoc rerum ordine, qui est ordo gratiæ, respectu animæ rationalis; Deus enim decreuit, & nobis reuelauit animam rationalem nunquam defecturam, vt nimirum haberemus certitudinem non solum physicam, quæ nascitur ex notitia animę suapté natura immortalis, sed etiã metaphysicam, quæ nascitur ex voluntate Dei promittentis nunquam à se destruendam animam, quam cæteroquin posset destruere, non obstante ipsius immortalitate: supposito hoc decreto non minus repugnat deficere animam, quam repugnet deficere Deum, quia eadem repugnantia, qua repugnat Deum mentiri, & promissis non stare, qua in re fundatur certitudo nostræ fidei, quæ falsificari

ri non potest. Ex quo fit durationem indiuisibilem, & permanentem esse solam durationem Dei, qui nimirum est ens essentialiter indefectibile.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum aliquid possit esse, & nunquam esse?

1. Videtur posse primò: Nulla res, quæ existit, vel potest existere, essentialiter connectitur cum hac, vel illa determinata duratione: ergo cum nulla connectitur, ergo potest aliquid esse, & nunquam esse.

2. Secundò. Duratio est distincta a re durante, ergo res, quæ durat, potest separari ab omni duratione, licet duratio non possit, cum hæc sit natura entis modalis.

3. Tertiò: non est essentiale rei existenti aliquando existere, ergo potest aliquid esse, & nunquam esse. Antecedens probatur. Est accidentale rei existenti nunc existere, ergo est eidem accidentale aliquando existere, ergo non est essentiale.

4. Respondetur implicat in terminis rem aliquam esse, & nunquam esse. Ratio est, quia rem esse, & nunquam esse est formalissimé rem existere, & Deo non coexistere, siué non esse præsentem diuinæ æternitati, quia coexistentia non præscindit à duratione, sed repugnat rem existere, & Deo non coexistere ergo &c. Min: prob: Repugnat rem aliquam existere, quæ á Deo non accipiat existere; repugnat autem aliquam rem accipere esse ab illo ente, cui non coexistit; tùm quia necesse est causam coexistere effectui; tùm quia id, á quo aliquid accipit esse; debet esse præsens illi rei, ne-

que

que enim poteſt res futura, vel præterita dare eſse, niſi ſit præſens, ergo &c.

5. Præterea repugnat rem aliquam exiſtere, quæ non participet diuinam æternitatem, quia repugnet rem eſse, & non participare infinitum eſse Dei, ſed infinitum eſse Dei eſt formaliſsimé eſse, quod ſemper eſt, adeoq; eſse æternum, ergo repupugnat rem aliquam eſse, quæ diuinam æternitatem non participet, adeoque non duret.

6. Ad primum: conc: antec: & nego conſequens. Æquiuocatio conſiſtit in tranſitu à ſenſu diſtributiuo ad collectiuum, vt pluribus exemplis patet. Si quatuor nauės exiſtant in portu, de ſingulis poſsum dicere: *hæc non eſt neceſſaria*, neque tamen poſsum inferre, ergo nulla eſt neceſsaria: prætérea materia prima poteſt eſse ſine qualibet forma determinatá, non proindé poteſt naturaliter eſse ſine omni forma: rurſus Petrus poteſt exiſtere quin determinatè currat, & poteſt exiſtere, quin determinaté non currat, non proindé ſequitur, ergo poteſt neq; currere, neq; non currere, quia nimirū non valet conſequentia á diſtributiuo ad collectiuum.

7. Ad ſecundùm: conc: ant: & nego conſequentiam. Diſtinctio durationis probat quidem poſse rem exiſtere ſine qualibet determinata duratione, at non probat poſse exiſtere ſine omni duratione quia res exiſtens vt demonſtratum éſt nu. 4. & 5. habet neceſsitatem alicuius durationis.

8. Ad tertium: nego ant: Ad eius probationem: conc: ant:, & diſt. conſ: ergo eſt accidentale aliquando determinaté exiſtere: conc: conſ: aliquando indeterminaté: ne: conſ: Ratio eſt, quia res exiſtens habet neſsitatem alicuius durationis indeterminatæ, non habet neceſs itatem alicuius durationis determinatæ,

DI-

DISPVTATIO DECIMASEXTA.

De infinito.

AGit Aristoles de infinito in lib. 3. Physic. Text. 24. Nos eiusdem Philosophi vestigijs inhærendo vniuersam de infinito disputationem hic inserimus, postquam ea fuerunt discussa, quæ spectabant ad intelligendam loci, & temporis naturam.

QVAESTO I.

Quid, & quotuplex sit infinitum.

1. EA, quæ spectant ad intelligendam naturam infiniti sequentibus propositionibus exponam, quas iuuat diligenter attendere, quia sunt fundamentum omnium, quæ circa infinitum erunt disputanda.

2. Prima propositio. Infinitum non est id cuius nihil est extra accipere.

3. In hunc modum fuit ab antiquis Philophis definitum infinitum, quos ibidem redarguit Aristoteles: euidens est infinitum, & totum non esse terminos conuertibiles, sed euidens est totum esse id, extra quod nihil est, vt patet consideranti, ergo euidens est infinitum non bené definiri esse, id,

id, extra quod nihil est, ergo &c. Maior est euidens, quia licet infinitum sit áliquod totum, non tamen est verum quodlibet totum esse infinitum, vt patet ex ijs rebus, quæ habent rationem totius, & non habent rationem infiniti: Præterea totum finitum est aliquod totum, sed totum finitum non est infinitum, ergo datur aliquod totum non infinitum.

3. Secunda propositio. Infinitum non benè definitur esse id, quod finem non habet.

4. Ratio est, quia non habere finem licet conueniat omni, & soli infinito, non explicat essentiam infiniti, túm quia infinitum non debet definiri per negationem, id enim potius conuenit rei finitæ; tùm quia exponi debet illud prædicatum, ex quo nascitur, vt infinitum careat fine. Hinc est, quod ratio entis infiniti est formalissimè ratio entis positiui licet à nobis explicetur per conceptum negatiuum.

5. Tertiá propositio. Infinitum benè definitur á Philosopho loco citato esse illud, cuius secundùm quantitatem accipientibus, est semper aliud extra accipere.

6. Veritas huius definitionis redditur perspicua intelligentibus terminos, & opposita via philosophantibus de finito, vt constat inductione, quæ intellectum manuducit ad conceptus vniuersales formandos. Fingamus ærarium alicuius Principis esse finitum, adeo vt contineat certam, & numeratam pecuniam, nimirum centum aureorum millia; nemo est, qui non intelligat hoc ærarium exhauriendum; si quis hodie accipiát centum aureos, crastina die alios centum, & sic deinceps; idem dico de fonte, & exercitu maximo quidem, sed finito, de magnitudine finitis palmis constante.

Ex

Ex alia parte concipiamus Ærarium infinite opulentum: fontem innumeris aquis redundantem: exercitum ex infinitis militibus compositum: magnitudinem in infinitum protensam: quis enim ambigere potest an ærarium inexhaustũ semper hauriendo aliquando exhauriatur? an deficiat aqua potantié fonte non defecturo? an cadentibus in dies militibus infinitus cadat exercitus?

7. Quarta propositio. Quantitas secundúm quam semper accipientibus est aliquid extra accipere, alia est formalis, alia virtualis.

8. Nomine quantitatis formalis intelligitur quantitas non solum discreta, quæ consistit in numero, sed etiam continua in plures partes diuisibilis. Nomine quantitatis virtualis significatur id, quod licet sit indiuisibile, æquiuaiet pluribus. Hinc est, quod illa quantitas, de qua sermo fuit in definitione infiniti, complectitur æque formalem, ac virtualem: ideó ratio formalis infiniti habet locũm in illo ente, vbi ratione infinitæ simplicitatis nullum habet locum quantitas formalis.

9. Quinta propositio. Implicat contradictionem infinitum, quod habet terminum in ratione, qua est infinitum.

10. Veritas huius propositionis, quæ mihi videtur euidentissima, vocatur in dubíum á nonnullis Philosophis infinitum impugnantibus. Repugnantia infiniti terminati suadetur tũm ex natura infiniti, cui repugnat finis; tům ex duratione infinita á parte post, quæ est duratio æterna animæ rationalis finem non habentis, & duratione infinita á parte ante, quæ est duratio diuina existens ab æterno, adeoque excludens principium durationis.

11. Præterea demonstratur esse chimæram infini-

finitum terminatum, philosophando de quolibet infinito, quod in nostram mentem venire potest, abstrahendo ab eius impossibilitate; In primis infinitum in perfectione continet in se quamcumque perfectionem, ergo infinitum in perfectione, & simul limitatum in perfectione includit rationes oppositas, ergo &c.

12. Eodem argumento demonstrátur repugnantia infinitæ durationis vtrinque terminatæ. Repugnat fuisse primum annum, inter quem, & præsentem infiniti anni effluxerint, ergo repugnat duratio infinita á parte ante habens principium, ergo similiter repugnat duratio infinita à parte post habens finem; ergo repugnat duratio infinita vtrinque terminata. Antecedens probatur. Si est possibile fuisse primum annum, est possibile Petrum fuisse creatum illo anno, itá vt deueniendo ad annum præsentem vixerit infinitos annos, sed repugnat Petrum, qui ab illo primo anno vsque ad præseutem durauit, vixisse infinitos annos: quia id si non repugnat Petro, neque repugnabit Paulum, qui modò nascitur, viuere infinitos annos, & tandem mori. Hoc autem euidenter repugnat aliter Deus posset nobis promittere vitam æternam quæ tamen ad vltimum diem perueniret.

13. Demonstratur repugnare infinitum in magnitudine vtrinque terminatum. Si hoc non repugnat, existat linea infinité extensa, vbi sit primus, & vltimus palmus, inter quos medij sunt infiniti palmi: facta huiusmodi hypothesi, itá arguo. Existente huiusmodi linea, vel sequitur finitum euadere infinitum per additionem finiti, vel sequitur infinitum, quod conceditur terminatum, non esse terminatum; vtrumque euidenter repugnat, ergo hypothesis repugnat. Probo sequelam. Existen-

te prædicta linea verum est existere aliquos palmos infinite distantes á primó, & alios solum finite, quia vltimus infinitè distat, cum inter primum, & vltimum sint infiniti palmi, tertius veró incipiendo á primo distat finité, quia inter primum & tertium palmum, est secundùs, qui est finitus. Quæró nunc: palmi, qui distant finitè, sunt ne ne finiti, an infiniti? Si dicis finitos, ergo finitum additum finito euadit infinitum, quod repugnat. Probo consequentiam ostensiuè. Palmi distántes finite si sunt finiti, sint centum: centesimus distat finitè á primó, centesimus primus distat infinite, ergo distantia finita euadit infinita addito vno palmo finito. Quod si dicis palmos, qui distant finite, esse infinitos, quæro vlterius, an numerus infinitus palmorum distantium finite á primo, habeant vltimum, vel non: si primum dicis: redit argùmentum de finito, quod additum finito euadit infinitum, si secundùm, ergo concedis infinitum terminatum, quod simul non est terminatum, quia hoc infinitum, quod tu fingis, admittis, non habere vltimum, adeoque tibi contradics.

14. Hinc patet ex omni capite euidenter ostendi infinitum clausum terminis non esse infinitum, adeoque inuoluere infinitas chimæras: Hæc argumenta sunt diligenter notanda, in ijs enim fundatur repugnantia infiniti, vt inferus demonstrabitur.

15. Sexta propositio. Repugnat in terminis infinitum figuratum.

16. Ratio est, quia repugnat infinitum clausum terminis, vt ostensum est num. 12. & 13. sed habere figuram formalissime est claudi terminis, quia figura definitur ab Euclide, quæ sub aliquibus terminis continetur, ergo &c.

17. Septima propositio. Infinitum aliud est in essentia, siue perfectione, aliud in numero, siue multitudine, aliud in magnitudine, siue extensione, aliud in qualitate, siue intẽsione, aliud in duratione.

18. Ratio est, quia tot modis potest intellectus concipere id, ex quo accipientibus semper sit aliquid extra accipere nimirum in numero, duratione, perfectione.

19. Octaua propositio. Hæc omnia infinita de quibus fuit sermo, diuiduntur in infinitum cathegorematicum, quod est actu infinitum, & syncathegorematicum, quod semper est actu finitum, potentia verò infinitum.

20. Ratio est, quia dupliciter possumus fingere aliquod infinitum. Primò concipiendo esse totum actu in rerum natura: huiusmodi infinitum vocat Philosophus infinitum actu, & vulgó appellatur cathegorematicum: secundo concipiendo partim actu, & partim potentiá, quod vocatur syncathegorematicum.

21. Vltima propositio. Partes secundùm quas accipientibus semper est aliud accipere, in infinito cathegorematico, debent esse æquales vni certæ, quæ vocantur aliquotæ: non proportionales, quæ vocantur aliquantæ.

22. Ratio est, quia magnitudo àliqua continua, vt sit infinita simpliciter, debet posse diuidi in partes infinitas æquales vni certæ, & aliquotas; nimirum in palmos infinitos, & infinitos semipalmos. Hinc est, quod magnitudo centum palmorum est simpliciter finita, quia diuidi non potest in palmos infinitos, vel infinitos semipalmos, esto diuidi possit in partes minores & minores in infinitum iuxta sententiam Aristotelis de compositione continui, à qua in præsenti præscindimus.

QVAESTIO II.

Vtrum aliquod infinitum in rerum natura existat.

1. VT distinctè, & ordinatè procedámus, primó inuestigandum est, an in rerum natura complectendo etiam ens increatum, & à se existat aliquod infinitum cathegorematicum, quod est infinitum actu: secundo an in rerum natura excludendo ens increatum, & a se existat infinitum cathegorematicum, vel syncathegorematicum, quod est infinitum in potentia.

2. Dico 1. Euidens est lumine rationis, & certum lumine fidei existere in rerum natura, complectendo ens increatum, infinitum in perfectione, & essentia, siuè infinitum cathegorematicum.

3. Probatur. Euidens est lumine rationis, & certum lumine fidei existère Deum, siué ens perfectissimum carens omni defectu, & in se continens quamcumque perfectionem, adeoque dicitur esse id, quo nihil melius fingi aut cogitari potest: sed existere ens perfectissimum est existere infinitum cathegorematicum in essentia, & perfectione, vt patet, ergo euidens est lumine rationis, & certum lumine fidei existere in rerum natura infinitum cathegorematicum. Maior probatur, quia eadem argumenta, quæ demonstrant existentiam Dei, siuè entis a se, & improducti, demonstrant existentiam entis perfectissimi, vt nos obiter insinuauimus, & ex professò demonstrabimus in Metaph. tom. 4.

4. Dico secundò. Euidens est lumine rationis,

nis , & certum lumine fidei exiſtere in rerum naturam infinitum ſyncathegorematicum .

5. Probatur . Euidens eſt lumine rationis , & certum lumine fidei animā rationalem eſſe æternã , vt docebimus in lib. de Anima tomo 3. ſed æternitas animæ rationalis eſt duratio ſyncathegorematicé infinita , nimirum actu finita , & potentia infinita , ſiue ſemper futura finitè in infinitum , quia nulla erit temporis differentia in toto ſpatio fluentis æternitatis , in quo ſit vera hæc propoſitio : *anima rationalis durauit infinitos annos* , ſiue quod in idem recidit : *à primò huius animæ creatæ die vſque in hodiernam diem fluxerunt anni infiniti* , ergo eſt euidens lumine rationis , & certum lumine fidei eſſe in rerum naturam infinitum ſyncathegorematicum .

6. Dico tertio . Præſcindendo ab ente increato nullum infinitum cathegorematicum exiſtit in rerum naturâ .

7. Probatur inductione . Non exiſtit infinitum in eſsentia , & duratione : quia nihil eſt á Deo diſtinctum , quod fuerit , & omnem habeat perfectionem . Ratio á priori eſt , quia hoc ens diſtinctum à Deo habens omnem perfectionem , vel eſt pars mundi, vel eſt totus mundus: non pars mundi,quia quælibet pars eſt imperfecta , cum totum ſit perfectius ; non totus mundus , quia Deus poteſt creare nouum mundum perfectiorem iſto .

8. Non exiſtit infinitum in magnitudine;quia omnis magnitudo,quæ exiſtit in rerũ natura eſt,figurata adeoq;terminata,õnis enim figura clauditur terminis, adeoque non eſt infinita, repugnat enim infinitum clauſum terminis , vt conſtat ex quæſt. 1. numer. 13. & 14. non in numero , & multitudine quia corpora infinita non exiſtunt in ſpatio , neque

finito, neque infinito, ergo nusquam existunt, ergo non existunt. Antec: prob; Spatium, in quo existuntcorpora, quæ existunt, est totum hoc spatium, quod intra cœlum continetur, sed huiusmodi spatium est finitum, quia clauditur orbe cœlesti, ergo corpora infinita non sunt in spatio infinito: neque sunt in spatio finito, quia singula corpora debent occupare locū distinctum, sed corpora infinita, quæ occupant spatium distinctum, non possunt occupare spatium finitum, vt patet ex terminis, ergo &c.

9. Præterea multitudo Angelorum non est actu infinita, tùm quia si Angeli essent infiniti occuparent infinitum locum, cum singnli Angeli singula occupent loca, licet plures possint eundem occupare, tum quia essent infiitæ Angelorum species, cum omnes Angeli specie differant, vt docui in Logica tomo 1. disp. 7. qu. vlt. adeoque Deus non posset producere alium Angelum, quia vnum Infinitum non potest esse maius alio, alioquin daretur infinitum terminatum, quod repugnat.

10. Infinitum in intensione non existit, quia qualitates, quæ possunt intendi, sunt virtùs naturalis corporis, sed nullum corpus est infinitum in virtute, quia infinitum in virtute est infinitum in essentia, ergo &c. Eodem modo demonstratur non esse infinitum in intensione respectu qualitatis immaterialis, nimirum cognitionis, quia nulla cognitio creata est infinita in cognoscendo.

11. Hinc est, quod Deus omnia in numeró, pondere, & mensura condidit, vt dicitur sapient. 11. quia nimirum omnia à Deo condita constituunt certum, & determinatum numerum, qui potest semper augeri. An veró Deus possit creare in-

infinitam rerum multitudinem in præsenti non definimus, id enim spectabit ad sequentem quæstionem.

11. Aduersus hanc doctrinam arguitur prmò: meritum Christi est aliquid creatum, sed meritum Christi est infinitum cathegorematicum, quia nullum est præmium, quod huic meritò non debeatur, ergo in genere entis creati existit infinitum cathegorematicum.

13. Secundò. Peccatum mortale habet malitiam infinitam, cum sit offensa infinita, ergo existit malum infinitum, ergo &c. Antec. prob: tum quia offensa eò est maior, quò maior est persona, quæ offenditur, sed persona, quæ offenditur, est infinita, nimirum Deus, ergo &c. tum quia pœna debita peccato mortali est infinita, nimirum pœna æterna. Idem dico de satisfactione, quæ non potest extingere offensam, nisi sit infinita, qualis fuit satisfactio Chisti.

14 Tertio. Per modum mirabilem argumentandi probatur existere infinitum ex eo quod non existit, in hunc modum. Non existit nunc infinitus numerus Angelorum, ergo existit nunc infinitus numerus negationum, quæ negant infinitos Angelos existere, ergo &c. conseq: prob: quia tot debent esse negationes, quot sunt res, quæ negantur: sed Angeli, qui negantur, sunt infiniti, ergo negationes sunt infinitæ.

15. Ad primum resp: dist: ma: meritum Christi secundùm id pro quo supponit. est aliquid creatum: ne: ma: secundum id, quod significat: conc: ma: & dist: mi: meritum Christi est infinitum secundum id, pro quo supponit: conc: min: secundum id, quod tantum significat: nego mi: & consequentiam. Christus constat ex Verbo, & humanitate,

ſupponit tantum pro Verbo, quod proinde ſignificatur in recto. Eodem pacto meritum Chriſti conſtat ex Verbo, quod ſignificat omnes actus meritorios Chriſti, & illo actu, quem Deo gratum elicit natura humana Verbo vnita. Hoc meritum ſupponit pro ſolo Verbo, quod eſt infinitum in genere entis, & perfectionis, adeoque non eſt mirum, ſi meritum Chriſti ſecundum id, pro quo ſupponit, ſit actu infinitum: inde eſt merita Chriſti denominari ſimpliciter infinità, licet operationes, quas exercebat natura humana Verbo vnita, eſsent ſimpliciter finitæ.

16. Ad ſecundum: diſt: ant: habet malitiam ſimpliciter infinitam: ne: ant: infinitam ſecundum quid: con. ant: & ne: conſeq: Malitia, quam habet peccatum mortale, eſt infinita ſecundum quid, cum ſit offenſa Dei infiniti, ſicuti viſio beata eſt ſecũdum quid infinita, quia pro termino habet Deum infinitum, non eſt ſimpliciter infinita, tum quia honor debitus Deo, quo Deum defraudat culpa, non eſt infinitus; alioquin honor debitus eſset chimæricus, adeoque indebitus, quod repugnat in terminis: tum quia cognitio, quæ repræſentat oſtenſori dignitatem Dei offenſi, eſt finita. Addo peccata in genere offenſæ eſse inæqualia, quod non contingeret, ſi eſsent infinita, quia vnum infinitum non poteſt eſse maius alio. Neque obſtat Perſonam quæ offenditur, eſse infinitam, quia hæc non refundit malitiam infinitam in peccatum, etiamſi creſcat offenſa creſcente Perſona, quæ offenditur, quia huiuſmodi incrementum non fit arithmetice, ſed ſolum geometrice. Pæna debita peccato non eſt infinita intenſiue, ſed ſolum extenſiue, adeoq; proportionata culpæ, quæ eſt intenſiue finita, & extenſiue infinita, nimirum æterna æternitate inuo-

uoluente durationem syncathegorematicé infinitam. Hinc est, quod necessitas satisfactionis simpliciter infinitæ ad culpam delendam arguit offensam infinitam secundum quid, arguit enim dignitatem infinitam Personæ offensæ, quia vt acuté docet S. Thomas, ex quo Persona offensa est infinita, debet Persona, quæ satisfacit, esse infinita, vt satisfactio æqué crescat in genere satisfactionis, ac offensa in genere offensæ, adeóque tanta sit satisfactio in genere satisfactionis, quanta fuit offensa in genere offensæ.

17. Ad tertium, hoc argumento nos non vrgemur, qui docemus negationes esse indistinctas ab ente positiuo: vt constat ex nostra Metaph. in tom.4. qui docet oppositum videat quomodo non sequatur infinitum ex infinito non existente; itaque iuxta nostram doctrinam quam ibi tradimus de ente positiuo, á quo non distinguitur quælibet negatio actiua, nulla potest esse difficultas, quia numerus infinitus, qui negatur, vel est infinitus cathegorematicé, vel syncathecorematicé; si primum: res negata est chimæra, adeòque eius negatio est necessaria, nimirum indistincta á Deo, qui est infinitus in perfectione; si secundum: res negata est contingens, ideó eius negatio est contingens indistincta á decreto, quo Deus liberé decreuit se nolle creare rem aliquam distinctam á rebus præteritis, præsentibus & futuris. Quod si Deus voluisset, sicuti potuit velle creare alium Angelum, tunc habuisset loco istius decreti aliud decretum, quod non esset negatio huius Angeli.

QVAESTIO III.

Vtrum repugnet in rebus creatis infinitum cathegorematicum.

1. VIdetur non repugnare. Primo infinitum cathegorematicum non repugnat rationi entis in genere, alioquin ens increatum non esset actu infinitum in genere perfectionis, neque repugnat rationi entis in specie, nimirum entis creati, quia non repugnat enti in genere, cum omnis repugnantia consistat in veritate huius principij: *repugnat idem simul esse, & non esse*, quod fasificari non potest respectu cuiuscumque entis.

2. Secundo. Non repugnat totum, quod infinitis constat partibus, esse æquale parti, ergo infinitum non repugnat. Consequentia patet, quia potissimum caput, ex quo infinitum repugnat, est repugnantia totius æqualis parti. Ant. prob. quia hoc principium, quod esse manifestum ex terminis constat, *totum est maius sua parte*, habet locum in rebus finitis, non habet in rebus infinitis, ideo illud totum quod constat ex Verbo Diuino,& natura humana,non est maius,neque profectius vna parte, nimirum solo Verbo, & illud totum, quod constat ex Deo, & Mundo, non est perfectius solo Deo; quia Deus est perinde perfectus cùm rebus creatis, quám sine rebus creatis: ergo &c.

3. Tertio. Ideó totum finitum est maius sua parte, quia nulla pars adæquat totum: sed in quantitate infinita nulla est pars, quæ non adæquet totum, ergo totum finitum debet esse maius parte, non infinitum, ergo, &c. Min: prob: quia quælibet

pars

pars quantitatis infinitæ est infinita, vnum autem infinitum est æquale alteri, ergo, &c,

4. Quarto. Non est mirum, quod hoc principium *totum est maius sua parte*, euidentissimum respectu quantitatis finitæ, sit falsum respectu infinitæ: Primo quia infinitum distat infinite à finito: ergo opposito modo philosophandum est de vtroque: Secundo non est minus notum ex terminis hoc principium: *quæ sunt eadem vni tertio sunt idem inter se*, quam sit ex terminis notum omne totum esse maius parte, sed hoc principium est falsum respectu entis infiniti, quia Pater, & Filius sunt vnus, & indistinctus Deus, non sunt vna, & indistincta Persona, ergo, &c.

5. Respondetur. Non est in præsenti sermo de infinito in essentia, siué in perfectione; quod an repugnet enti creato, ibi definiendum erit, vbi agetur de creatura perfectissima: infinitum in quantitate continua, & discreta, hoc est in magnitudine, & multitudine, quod ostensum est non existere, in qu.2. num.8. non repugnare vt existat docet Ochamus in 2.dist.13.qu.vnicáGregor.Arim.in 1 dist.43. qu.1. Arriaga cum alijs recentioribus. Oppositum docet S. Thomas in 1. par. qu.7. art 3. S. Bonau. in 1. dist.43. qu.3. Ricard. ibidem qu.5. & 6. Durand. qu.2. Scot. in 2. dist.1. qu.3. Caiet. Tolet. cum pluribus ex Philosophis modernis Aristotelem sequentibus.

6. Dico infinitum cathegorematicum in quantitate continua, & discreta repugnare.

7. Probatur primo: Totum æquale parti repugnat; sed infinitum cathegorematicum in quantitate continua,& discreta est totum æquale parti: ergo repugnat. Minor probatur, si existeret infinitus numerus Angelorum, & hominum in duas medie-

tates

tates diuisus, vtique vna medietas esset pars totius multitudinis; sed eidem esset æqualis, quia vt est indubitatum, esset infinita, aliter duplex multitudo finita componeret vnam infinitam; quod repugnat; vnum autem infinitum debet esse æquale alteri, alioquin non esset infinitum, quod enim est minus, exceditur á maiori, quod veró exceditur, est terminatum, adeóque non est infinitum: vt constat ex qu. 1.

8. Probatur secundo. Repugnat duas quantitates esse eiusdem speciei, & simul non esse eiusdem speciei, sed duæ quantitates infinitæ sunt huiusmodi, ergo repugnant. Minor probatur. Ponamus existere duas multitudines infinitas, vnam hominum, & aliam Angelorum. Demonstro has multitudines esse eiusdem speciei, & simul non esse eiusdem speciei in ratione numeri, siué in ratione quantitatis discretæ: Certum est multitudinem Angelorum esse eiusdem speciei in ratione numeri cum multitudine hominum, vtraque enim est infinita, adeòque vna alteri congruit, & sicuti multitudo Angelorum continet infinitos Angelos, itá multitudo hominum continet infinitos homines. Detrahantur ex infinita Angelorum multitudine decem Angeli; hæc multitudo non potest esse eiusdem speciei cum multitudine hominum, ex qua nullus homo detrahitur; quia repugnat numeros æquales, à quorum vno aliquid detrahitur, & ab alio nihil detrahitur, non fieri inæquales, adeòque non differre specie; est enim de ratione numeri, vt excessus, vel defectus vnius vnitatis ponat diuersitatem specficam: itá numerus binarius differt specie á ternario, & sic de singulis. Rursus eadem multitudo Angelorum, quam ostensum est euadere diuersam specie à multitudine hominum, debet esse eiusdém

spe-

speciei cum eadem multitudine, quiá ab infinita Angelorum multitudine detractis decem Angelis numerus, qui remánet, est infinitus, adeóque æqualis, & consequenter eiusdem speciei cum numero hominum.

9. Confirmatur idem argumentum. Repugnát numerum A æqualem numero B remanere æqualem, etiamsi á numero A detrahantur plurimæ, immó infinitæ vnitates, & á numero B nullæ vnitates auferantur, vt est euidentissimum; sed ex numero infinito hoc sequitur, quia nullus est numerus infinitus, in quo numerus finitus non contineatur infinité, adeóque non contineantur infinitæ vnitates, infinita binaria, & sic discurrendo per alios numeros. Existat igitur infinitus Angelorum numerus: in hoc numero vtique sunt infinitæ vnitates, & infiniti numeri binarij: quia numerus infinitus constat ex infinitis vnitatibus, infinitis binarijs, &c. indè est, quòd si detrahantur infinitæ vnitates adhuc remanebit infinitus Angelorum numerus; quia veró vnus numerus infinitus est æqualis cuilibet alteri numero infinito, ideó numerus infinitus Angelorum remanebit æqualis infinito numero hominum, etiamsi per totam æternitatem á numero Angelorum noui & noui Angeli, immò infiniti auferantur, quod euidenter repugnat.

10. Quod autem vnus numerus, á quo detrahuntur infinitæ vnitates, remaneat æqualis alteri numero, vndè nihil detrahitur, euidenter demonstratur, quia hic numerus non potest else minor, neque maior, ergo est æqualis. Antec: prob: non maior, vt est certum, non minor, quia si est minor, non est infinitus, habet enim terminum, adeóque patur vltimum, quod infinito repugnat. Dari autem terminum in numero, qui est minor alio numero

faci-

facilè ostenditur, túm quia vbi datur excedens, & excessum, in eo quod exceditur aliquid datur, vltra quod nihil potest accipi, tùm quia si Angeli singuli, qui componunt numerum minorem numero hominum, associentur cum singulis hominibus, necessse est vt nullus sit homo, qui non habeat Angelum sibi socium, aliter in multitudine infinita existeret vltimus homo, qui non foret sociatus, quod repugnat.

11. Probatur tertio. Si potest existere infinita magnitudo, possunt ab eodem puncto duci duæ lineæ infinitæ, vna versus Orientem, alia versus Occidentem; sed hoc repugnat, ergo, &c. Min: prob: Non possunt istæ lineæ extendi in infinitum, nisi distent infinitè, quia experientia patet, & Mathematici demonstrant duas lineas ab eodem puncto ductas quanto magis producuntur, tanto magis distare; sed est euidens non posse infinité distare, cum spatium, quod clauditur duabus lineis, non possit esse infinitum propter repugnantiam infiniti terminati, ergo, &c. Præterea potest ab vna ad aliam partem, ex quá distant infinité istæ lineæ, duci linea transuersalis, quæ procul dubio erit infinita, quia Mathematici demonstrant posse á puncto ad alium punctum duci lineam rectam, sed huiusmodi linea est vtrinque terminata, vt patet, ergo non est infinita, ergo est simul finita, & infinitá, quod repugnat.

12. Hinc est, quòd omnia argumenta, quibus hucusq; probatum est infinitum cathegorematicum repugnare quantitati continuæ, & discretæ, probant idem repugnare qualitati diuisibili, nimirum calori infinito, qui constat ex infinitis gradibus, vt est omnibus perspicuum, nec licet in re adeò clara diutius immorari. Quia vero infinitum in perfectio-

ne

ne aliunde repugnat enti creato, vt ostendetur suo loco, ideo nullum aliud infinitum cathegorematicum potest existere præter infinitum in essentia, & perfectione, quod essentialiter existit, & est infinitum in duratione, sapientia, bonitate, nimirùm ens æternum, immensum, &c. Huiusmodi est Deus, qui in nullo geuere est limitatus, cum cætera à Deo distincta habeant limites, vt vlterius demonstrabitur ex capite Diuinæ Potentiæ, in sequentibus quæstionibus.

13. Ad primum: infinitum in essentia non repugnat enti in genere, sed tantum enti creato, vt constabit, dum repugnantiam creaturæ perfectissimæ demonstrabimus; infinitum in magnitudine, & multitudine repugnat enti in genere, quia repugnat alicui principio metaphysico, quod in rebus omnibus habet locum, nimirùm *totum est maius sua parte*, cuius principij veritas fundatur in veritate alterius principij: *repugnat idem simul esse, & non esse*, vt mox demonstrabo.

14. Ad secundum: Nego antec: Hoc principium *totum est maius sua parte* est euidens metaphysicé, adeoq; falsificari diuinitus non potest, nititur enim in veritate huius principij *repugnat idem simul esse, & non esse*. Ratio est, quia totum quatenus totum excedit suam partem; quatenus æquale non excedit; æqualia enim sunt illa, quæ neque excedunt, neque exceduntur; sed excedere, & non excedere est idem formalissimé, ac idem esse, & non esse, ergo repugnat totum esse æquale parti repugnantia fundata in eo, quod idem non potest esse, & simul non esse.

15. Hinc est illud totum, sicuti est totum infinitum, quod est talis naturæ vt pars in ea ratione, in qua est pars coæquetur toti esse manifestam

chi-

chimæram; neque huic veritati ex terminis manifestæ opponitur exemplum petitum ex illo complexo, quod constat ex Verbo Diuino, & natura humana; ex Deo, & Mundo, quia Verbum non est æquale toti complexo in ea ratione in qua est pars: idem dicendũ de Deo relate ad complexum ex Deo & Mundo, quia Deus est æqualis toti complexo in ratione diuersa ab illa ratione, in qua est pars. Ratio á priori est, quia Deus est pars illius complexi, quod constat ex Deo & Mundo in ratione numeri: in hac ratione Deus non est æqualis toti complexo; quia in toto complexo inuenitur numerus, vt est satis manifestum, adeoque dum additur Mundus Deo, non adiungitur Deo aliqua perfectio in ordine ad faciendum aliquod totum perfectius, sed adiungitur illi summæ vnitati, quæ est in Deo, fere innumerabilis multitudo vnitatum in ordine ad faciendum numerum, qui resultat ex Mundo & Deo.

16. Ad tertium. Argumentum demonstrat ostensiuè repugnantiam infiniti cathegorematici, cum manifestum sit illud totum repugnare, ex quo nascitur falsitas huius principij: *totum est maius sua parte*, indé est infinito existente partem infiniti non esse æqualẽ toti infinito quatenus partem; & tamen esse æqualem, quatenus infinitam: vt autem liquidó constet hoc arguendi modo probari repugnantiam infiniti, formo in hunc modum argumentum ad probandam non repugnantiam Chimeræ, nimirum Hircocerui: hoc principium *repugnat idem simul esse, & non esse*, locum non habet respectu Hircocerui, qui eam habet naturam, vt Ceruus ex quo constat, neget Hircum, ex quo pariter constat, ergo non repugnat Hircoceruus. Quis non videat euidentem consequentiæ falsitatem? Ex quo enim

Hir-

Hircoceruus talis est, vt eo existente necesse sit falsificari hoc principium: *Idem non potest esse, & non esse*, bene infertur eius repugnantia, ergo ex quo infinitum est tale, vt eo existente, necesse sit falsificari *aliud* principium: *totum est maius sua parte*, bene infertur infiniti repugnantia.

17. Ad quartum. Ostensum est argui repugnantiam quantitatis infinitæ ex falsitate prædicti principij, quod necesse est verificari in omni quantitate non obstante infinita distátia finiti ab infinito. Ratio est euidens, quia licet opposito modo philosophandum sit de finito, ac infinito, id contingere non potest in principijs metaphysicis, quæ sunt lumine naturæ notissima, inter quæ recensetur hoc principium: *totum est maius sua parte*.

18. Nullum principium, quod est notum lumine naturæ falsificatur respectu entis infiniti in essentia. Ideo Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, hoc est Deus vnus in essentia, & trinus in Personis optime cohæret cum omnibus principijs metaphysicis, quæ naturæ lumine innotescunt, veritas enim veritati repugnare non potest. Principium illud, quod constat ex terminis, *quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se*, non solum non repugnat veritati reuelátæ circa distinctionem personarum cum identitate naturæ, sed illi maxime cohæret, eadem enim identitate, qua Pater, & Filius sunt idem cum vno tertio, sunt idem inter se: Quoniam verò identitas, quam habet Pater, & Filius cum vno tertio est identitas faciens vnum Deum, & duas personas, idcirco identitas, quam habent inter se Pater, & Filius, est identitas, qua Pater est vnus Deus cum filio, sed non est vna Persona cum filiò. Ratio á priori est, quia vt inferatur identitas Patris, & filij excludens quamcumque distinctionem, debet

bet Pater, & filius habere identitatem cum vno tertio excludentem omnem distinctionem realem in se, vel in tertio, quæ est distinctio virtualis intrinseca formalitatum habentium realem identitatem, vt dictum est in logica; sed identitas, quam habet Paternitas, & Filiatio cum natura Diuina est identitas coniuncta cum reali distinctone in tertio, ergò ex identitate Patris, & filij cum vno Deo inferri non potest identitas Patris cum filio excludens omnem realem distinctionem.

QVAESTIO IV.

Vtrum infinitum Syncathegorematicum inferat non repugnantiam Cathegorematici.

1. Videtur inferre primo, quia totum æquale parti æquè sequitur in Cathegorematico, ac Syncathegorematico, ergo vtrumque vel neutrum repugnat. Antec: probatur, omnes cognitiones, quas vnus Angelus habebit per totam æternitatem, sunt æquales cognitionibus, quas habebit alius Angelus, quia vterque supponitur singulis diebus singulas exercere cognitiones; sed etiamsi á cognitionibus vnius Angeli, quem voco Angelum A, detrahantur decem cognitiones, quæ non detrahuntur à cognitionibus Angeli B, adhuc cognitiones Angeli A sunt æquales cognitionibus Angeli B, quia cognitiones vtriusque Angeli nullum habent finem, ergo totum est æquale parti respectu infiniti Syncathegorematici; collectio enim cognitionum Angeli B est totum respectu collectionis cognitionū Angeli A: Idem argumentum vrgeri potest in ea hypothesi, in qua Deus singulis die-

bus

bus æternitatis creare velit Angelum simul & hominem, itá tamen vt prius cæperit creare Angelos, quàm homines.

2. Secundó. Neque dicas accipi non posse totam collectionem cognitionum, quę sunt futurę per totam æternitatem, quia potest accipi collectio cognitionum distincta á collectione cognitionum purè possibilium; sed collectio huiusmodi cognitionum, quarum prima incidit in diem hodiernam, est æqualis collectioni, quarum prima erit crastina, ergo argumentum de toto, quod est æquale parti, semper recurrit. Confirmatur: cognitiones, quas habebit Angelus per totam æternitatem, non sunt cognitiones puré possibiles, cum illæ sint futuræ, istæ non sint futuræ, sed tota collectio cognitionum non puré possibilium est æqualis parti, ergo &c.

3. Tertio. Infinitum cathegoremticum differt á syncathegorematico, quia illud est totum actu, hoc partim actu, partim in potentia; sed numerus infinitus cognitionum, quas habebit Angelus per totam æternitatem, non erit partim actu, & partim in potentia, ergo erit totus actu, ergo est infinitus cathegorematicé. Minor probatur. Illud est partim actu, partim in potentia, quod habet esse partim actuale, & partim possibile, sed huiusmodi cognitionum numerus non habet esse partim actuale, & partim possibile, quia est contradistinctus á cognitionibus tantum possibilibus, ergo, &c,

4. Quarto. Sunt possibiles infiniti, siué omnes Angeli distributiué accepti: ergo sunt possibiles collectiué. Consequentia probatur. Nullus est Angelus, qui non sit possibilis, ergo omnes collectiué sunt possibiles.

5. Quinto. Quia nullus est Discipulus, qui non studeat,

ſtudeat, omnes collectiué ſtudent, ergo quia nullus eſt Angelus, qui non ſit poſſibilis, omnes collectiué ſunt poſſibiles. Conſequentia probatur, tùm à pari, tùm à priori; ideo omnes collectiué ſtudent omnibus diſtributiué ſtudentibus, quia ſtudium non ceſſat per coniunctionem vnius, qui ſtudet, cum alio, qui ſtudet; ſed neque poſſibilitas ceſſat per coniunctionem vnius, qui eſt poſſibilis cum alio, qui eſt poſſibilis, ergo, &c.

6. Sextò: repugnat, vt rebus poſſibilibus infinité creſcentibus tota multitudo ſit impoſsibilis, ſed creſcenſibus in infinitum Angelis creſcunt infinitè res poſſibiles, quia ſinguli ſunt poſſibiles, ergo repugnat, vt infinita Angelorum multitudo ſit impoſſibilis.

7. Septimo. Repugnat, vt ſingulæ creaturæ habeant indigentiam alterius rei ad exiſtendum, & tota collectio rerum creatarum non habeat hanc indigentiam, quia omnes collectiué ſibi non ſufficiunt, ſi omnes diſtributiué ſibi non ſufficiunt, ergo repugnat, vt ſinguli Angeli ſint poſſibilis; & tota collectio non ſit poſſibilis.

8. Vltimo. Nullus Angelus eſt incompoſſibilis cum alio angelo, ergo omnes collectiué ſunt poſſibiles. Conſequentia eſt euidens, quia ratio cur aliqua ſint poſsibilia diſtributiué, & ſint impoſſibilia cullectiué eſt incompoſsibilitas, vt patet exemplo aſſenſus, & diſſenſus, amoris, & odij. Antecedens probatur. Res poſsibiles, quarum vna non excludit aliam, ſunt compoſsibiles, ſed nullus Angelus excludit alium, ergo omnes Angeli ſunt compoſsibiles.

5. Reſpondetur. Falſum ex verò non ſequitur, vt oſtenſum eſt in lib. Analyt. tom. 1. diſp. vlt. qu. 3. quia falſum frequenter repugnat falſo, verum cum

vero

vero pugnare nunquam poteſt, quia verò oſtenſum eſt infinitũ ſyncathegorematicum non repugnare, cathegorematicũ verò repugnare, ideò hæ duæ veritates pugnare inuicem non poſſunt, adeòque ex infinito ſyncathegorematico non poteſt inferri non repugnantia cathegorematici. Notandum tamen in præſenti eſt, ad ſoluenda argumenta partis oppoſitæ, quod eſt potiſſimum huius quæſtionis inſtitutum, omnia argumenta peccare in tranſitu á ſenſu diſtributiuo ad collectiuum, quia id, quod eſt verum de omnibus conſtituentibus numerum ſyncathegorematicé infinitum diſtributiuè acceptis, eſt falſum de omnibus collectiuè acceptis, cum infinitum ſyncathegorematicum talem habeat naturam, vt actu totum eſſe non poſſit, adeóque accipi nequeat per modum vnius collectionis, quia collectiones, quæ accipi poſſunt in infinito ſyncathegorematico, ſunt tantum finitæ, ità tamen vt poſſint vlterius in infinitum accipi.

10. Ad primum: nego antec: Ad eius probationem: diſt: ma: omnes cognitiones vnius Angeli collectiué acceptæ ſunt æquales omnibus cognitionibus collectiué acceptis alterius Angeli: nego ſuppoſitum; omnes diſtributiué: conc:ma: & nego min: Ratio cur ex infinito cathegorematico ſequatur æqualitas partis cum toto, eaque non ſequatur ex ſyncathegorematico, eſt euidens, quia illud poteſt accipi ſub vna determinata collectione, iſtud non poteſt, ideò poſſum comparare numerum Angelorum cathegorematicé infinitum cum numero hominum cathegorematice infinito, & ſemper inuenire vnum æquale alteri, étiamſi ab vno multum, ab alio nihil detrahatur, & nunquam poſſum comparare duplicem numerum ſyncathegorematicé infinitum ſub duplici collectione, quia hoc

repugnat naturæ infiniti syncathegorematici. Hinc est, quod si post annos centum comparentur omnes collectiué cognitiones, quas habuit Angelus hodie productus, cum cognitionibus Angeli, qui crastina die existet, vtique plures erunt cognitiones primi Angeli: quia veró huiusmodi collectiones finitæ possunt semper in infinitum accipi respectu æternitatis excludentis vltimam cognitionem, ideò quæcumque collectio distributiué accepta, adeóque collectio finita cognitionum pertinentium ad primum Angelum, erit semper maior cognitionibus distributiuè acceptis ad secundum spectantibus. Quod si velis omnes cognitiones vtriusque Angeli per modum duplicis collectionis comparare, dico id fieri non posse, quia repugnat in terminis tota collectio cognitionum, quæ sunt cathegorematicé infinitæ.

11. Ad secundum: nego similiter suppositum maioris. Ratio est, quia cognitiones non puré possibiles, quas habebit Angelus per totam æternitatem, componunt numerum syncathegorematicè infinitum, nec constituunt vnam totam collectionem, ergo repugnat vt in cognitionibus non puré possibilibus existat tota collectio. Hinc patet ad confirmationem, quæ falso supposito laborat.

12. Ad tertium: Conc: ma: & dist: min: non erit partim in potentia potentialitate excludente esse actuale, tam præsens, quám futurum: conc: mi: excludente esse actuale præsens, vel præteritum: nego mi: & conseq. Certum est nullam esse cognitionem Angeli æternúm druaturi, quæ habeat esse meré possibile, quia nulla est, quæ non sit futura; si ergo sumatur esse potentiale quatenùs excludit præsens, præteritum, & futurum, euidens est numerum huiusmodi cognitionum non habere esse

par-

partim actuale, & partim potentiale, non propterea sequitur non esse infinitum syncathegorematicé, quia ad componendam multitudinem infinitam syncathegorematicè, satis est si nunquam dici possit omnes cognitiones fuisse, nullamque superesse, sed hoc nunquam poterit dici de cognitionibus formandis ab Angelo, cum repugnet cognitiones semper futuras aliquando omnes fuisse. Cognitiones igitur Angelicæ etiamsi non habeant esse puré possibile, constituunt numerum infinitum syncathegorematicé, cui nimirum repugnat accipi totum sub vna collectione. Moneo itáque ad soluenda omnia sophismata retinendum esse legitimum æternitatis semper futuræ conceptum, qui talis esse debet, vt nunquam verificari possit hæc propositio: *alius dies futurus non restat*: si enim á falsitate huius propositionis præscindas, necesse est, vt á conceptu æternitatis præscindas: indé est in toto æternitatis decursu inueniri illud esse potentiale, quod requiritur ad numerum indeterminaté, & syncathegorematicé infinitum.

13. Ad quartum: Conc. antec: & nego conseq. Sicuti non valet consequentia: *nulla pars est, quæ non sit incompleta, ergo omnes collectiuè sunt incompletæ*, itá non valet: *nullus est Angelus, qui non sit possibilis, ergo omnes collectiuè sunt possibiles*. Ratio vtrobique est eadem, quia summulisticé loquendo *nullus non* idem significat ac *omnis* in suppositione distributiua, non collectiua: ideó valet consequentia formali: nullus est Angelus, qui non sit possibilis, ergo omnes distributiué sunt possibiles, non valet: nullus est Angelus, qui non sit possibilis, ergo omnes collestiué sunt possibiles. Ratio á priori est, quia in genere fieri potest vt aliquid conueniat singulis partibus constituentibus totum,

quod toti non conueniat, vt in præsenti contingit, esse enim possibile conuenit singulis Angelis, non conuenit omnibus collectiuè, eo quod omnes collectiué sunt infinitum cathegorematicum, quod repugnat repugnantia fundata in æqualitate partis cùm toto.

14. Ad quintum: dist: antec: ly *quia* appellante consequentiam formalem: nego antec: materialem: conc: antec: & nego consequentiam. Ratio, cur valeat in subiecta materia consequentia á distributiuo ad collectiuum, non valeat in omni materia, est, quia studium non repugnat toti collectioni discipulorum existentium, possibilitas veró repugnat toti collectioni Angelorum, sicuti esse incompletum repugnat toti collectioni partium.

15. Ad sextum: dist: ma: repugnat, vt infinité crescentibus rebus possibilibus, & compossibilibus euadat impossibilis tota multitudo: conc: ma: rebus possibilibus, & incompossibilibus: nego ma: & dist: min: crescentibus infinité Angelis crescunt infinitè res possibiles, & compossibiles: nego min: posſibiles, & incomposſibiles: conc: min: & nego consequentiam. Non potest esse dubium, quin res posſibiles, & incomposſibiles euadant imposſibiles, si existant simul, quia aliquando contingit, vt simultas rerum posſibilium sit imposſibilis, vt innumeris patet exemplis. Amor est possibilis, odium etiam est possibile; amor tamen existens simul cum odio est impossibilis, quia totum complexum ex odio, & amore repugnat. Prætereá est possibile Petrum nunc currere, & est possibile Petrum nunc non currere; non est tamen possibile Petrum currere simul, & non currere; adeoque cursus repugnat, si coniungatur cum negatione cursus. Angeli ita multiplicati, vt componant multitudinem actu infi-

infinitam, euadunt impoſſibiles, quia iſta multitudo componitur ex rebus poſſibilibus, ſed incompoſſibilibus, adeóque factis impoſſibilibus, ſi ſimul exiſtant. Ratio à priori, cur vnus Angelus ſit compoſſibilis cum alijs multiplicatis finité, & ſit incompoſſibilis cum alijs multiplicatis infinité, eſt, quia quælibet res creata poteſt eſſe pars multitudinis finitæ; nulla poteſt eſſe pars multitudinis infinitæ; cum multitudo finita non repugnet, ſicuti repugnat infinita, ideo vnus Angelus eſt compoſſibilis cum alijs multiplicatis finité in infinitum, eſt incompoſſibilis cum alijs multiplicatis infinité. Hic diſcurſus fundatur in alio principio metaphyſico; quod nimirum nulla res poſsibilis eſt compoſsibilis cum chimæra, adeoque ſi chimæra exiſteret, poſsibile fieret impoſsibile: hinc ſinguli Angeli, qui ſunt poſsibiles, non ſunt infiniti cathegorematicé, adeóque ſunt compoſsibiles, iſti verò ſunt incompoſsibiles cum Angelis actu infinitis, quia Angeli actu infiniti ſunt chimæra.

16. Ad ſeptimum: conc: antec: & nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia indigentia, quam habet quælibet res creata alterius entis à ſe diſtincti ad exiſtendum, non tollitur per exiſtentiam aliorum ſimiliter indigentium, póſsibilitas veró Angelorum, qui ſeorſum accepti ſunt poſsibiles, tollitur per hoc præcisé, quod omnes collectiuè accepti ſint poſsibiles, quia ſunt incompoſsibiles in ordine ad faciendum numerum cathegorematicé infinitum. Ratio autem, cur poſsibilitas Angelorum tollatur per exiſtentiam omnium, eſt, quia actu exiſtentibus omnibus ſingillatim poſsibilibus, exiſtit actu infinitus numerus Angelorum; ſed exiſtentia huiuſmodi numeri eſt repugnantia ſingulorum, cum ea ſit natura rei repugnantis, vt eius exi-

ſtentia ſit repugnantia rerum cæteroquin non repugnantium, quod apud omnes eſt indubitatum, apud nos certiſsimum, qui nimirum docemus eſſe poſsibilitatem omnium poſsibilium: vt conſtat ex noſtra Metaph. in tom 4.

17. Ad vltimum: diſt. antec. nullus Angelus eſt incompoſsibilis cum alio reſpectu numeri finiti; conc: antec: reſpectu infiniti: nego antec.& conſeq. Singuli Angeli ſunt compoſsibiles cum omnibus acceptis collectiuè, quia tota collectio Angelorum poſsibilium eſt impoſsibilis: indé eſt, quod vnus Angelus non excludit alios Angelos, cum quibus facit numerum finitum, excludit verò Angelos infinitos, quia ſicuti neceſſe eſt ſingulos eſſe poſsibiles, ita neceſſe eſt ſingulos non coniungi cum tota Angelorum collectione, ea enim exiſtente ſinguli fierent impoſsibiles, eo pacto, quo ſingulæ partes incompletæ ſunt compoſſibiles cum ſingulis incompletis, ſunt veró incompoſſibiles cum omnibus incompletis collectiué acceptis, totum enim incompletum eſt chimæra. In forma ad probationem conſequentiæ: conc: ma: & diſt. min: nullus diſtributiué Angelus excludit alium: conc: min: nullus collectiuè: nego min: & diſt. conſeq. ergo omnes diſtributiué ſunt compoſſibilès: concedo conſequentiam; omnes collectiué: nego conſeq.

QVAESTIO V.

Vtrum Omnipotentia Dei inferat non repugnari infiniti cathegorematici.

1. VIdetur inferre. Primo virtus infinita poteſt facere effectum infinitum; ſed Omnipoten-

tentia Dei est virtus infinita, ego potest facere effectum infinitum. Minor probatur, quia virtus, quæ non potest facere nisi effectum finitum, est finita.

2. Secundo. Omnipotentia Dei est virtus infinita cathegorematicé, ergo potest facere effectum infinitum cathegorematicé. Consequentia probatur; túm quia virtuti actu infinitæ debet respondere effectus actu infinitus; túm quia virtus finita potest producere effectum syncathegorematicé infinitum.

3. Tertio. Deus si actu produceret quidquid potest producere; produceret infinitum actu; sed non repugnat, vt Deus producat actu quidquid potest actu producere; ergo non repugnat, vt Deus producat infinitum actu. Ma: prob: quia numerus rerum possibilium nullum habet terminum. Min: prob: Deus potest actu producere omne id, quod potest actu producere, vt est euidentissimum, ergo non repugnat, vt Deus actu producat quidquid potest actu producere.

4. Quarto. Si Deus produceret numerum Angelorum maximum, quem nunc producere potest, produceret numerum actu infinitum, sed potest producere numerum maximum, ergo, &c.

5. Quinto. Deus potest nunc producere numerum Angelorum maiorem omni numero finito, sed numerus maior omni numero finito est infinitus, ergo Deus potest nunc producere numerum infinitum. Ma: prob: quia nullus est assignabilis numerus, quo maiorem non possit Deus producere, si enim designetur centesimus, potest millesimum, si millesimum, potest maiorem, & sic in infinitum. Minor est certa, quia numerus infinitus excedit omnem finitum, sed numerus maior omni finito excedit omnem finitum, ergo, &c.

6. Vlti-

6. Vltimo. Ex eo, quod Deus poteſt producere infinitum actu, non exhauritur Theſaurus Omnipotentiæ Diuinæ, ergo poteſt. Antec: prob: tùm quia productis infinitis Angelis poteſt vlteriùs producere infinitos homines, tùm quia etiamſi productis omnibus poſsibilibus nihil poſsit produci, non proindè Deus eſt imperfectus, ſicuti non eſt imperfectus, quia Petrum ſemel productum non poteſt iterum producere.

7. Reſp. Omnipotentia Dei licet ſit virtus infinita non ſolum non infert repugnantiàm infiniti cathegorematici, ſed potiùs infert eius repugnantiam, adeóque ex capite Diuinæ Omnipotentiæ, quæ eſt actualis repugnantia omnium repugnantium, demonſtratur repugnare infinitum cathegorematicum.

8. Id autem in hunc modum demonſtratur. Repugnat ex capite Diuinæ Omnipotentiæ tot produci creaturas, quibus productis nihil remaneat producendum, ergo ex capite Diuinæ Omnipotentiæ repugnat infinitum actu. Conſequentia eſt euidens; exiſtere enim actu infinitos homines, & non poſſe alium hominem produci ſunt termini conuertibiles, tùm quia non poteſt vnum infinitum eſſe maius alio, tùm quia exiſtentibus actu infinitis hominibus exiſtunt quotquot poſſunt exiſtere, ſed exiſtentibus quotquot poſſunt exiſtere non poſſunt alij exiſtere, ergo repugnat exiſtere actu infinitos homines, & ſimul alios poſſe exiſtere, ergo ex eodem capite, ex quo repugnat non poſſe produci tot homines quibus productis alij homines produci non poſsint, repugnat actu produci infinitos homines; quod autem dicitur de hominibus, dicendum proportionaliter de cæteris rebus poſsibilibus. Antecedens, quod poteſt controuerti, probatur

batur hoc discursu, quo vtitur S. Thomas ad ostendendum Deum intra se operantem non posse producere nisi vnicam imaginem sui; extra se operantem posse plures, & plures in infinitum.

9. Certum est Deum per suam fæcunditatem, operari non solum extra se, sed etiam intra se, sicuti enim lumen naturæ docet Deum esse omnipotentem, adeoque primum conditorem rerum omnium, ita lumen fidei ostendit vnam Personam ab alia procedere, quia Deus operando intra se producit Verbum diuinum, quod est imago producta ad imitationem producentis, & operando extra se producit creaturas, quæ á diuino artifice sunt factæ ad imitationem suæ naturæ; Deus enim cum sit summe bonus, adeoque diffusiuus sui ab infinita inclinatione se communicandi mouetur ad operandum extra se, hoc est ad communicandum se finite rebus creatis, quę sunt imperfecti mẽtis diuinæ partus. Hinc nascitur discrimen inter fæcunditatem Dei ad intra, & fæcunditatem ad extra: illa enim est æterna, & necessaria propter necessitatem, quam habet Pater generandi filium; ista est libera, & temporaria, quia mundum libere, & non semper condidit. Præterea, quia imago producta per fæcunditatem ad intra est perfectissima in ratione imagini; est enim facta ad perfectissimam imitationem sui exemplaris: imago verò producta per fœcunditatem ad extra est imperfecta in ratione imaginis, quia imperfecte imitatur perfectionem exemplaris, ad cuius imitationem est facta. Ratio á priori est, quia imago, quam Deus pro ducit fœcundus ad extra, est creatura; imago verò, quam producit ad intra, est Verbum Dei, sed esse diuinũ in Verbo Dei est identice propter identitatem, quam habent in natura Personæ diuinæ, in

re-

rebus creatis est participatiue per quandam similitudinem, quiá nulla res creata est Deus, ergo &c.

10. Ex hoc discursu, qui est nobilissimus S. Thom. acuté infert imaginem; quam Deus intra se producit, esse tantum vnicam; imaginem verò quam extra se producit, essentialiter esse multiplicem. Ratio vtriusque partis est, quia finis, quem habet Deus operando ad intra, est producere perfectam imaginem ad imitationem sui; sed Pater communicando se totum Verbo, producit imaginem, quæ itá perfecté repræsentat principium, á quo procedit, vt nihil fingi possit, quod melius repræsentet, ergo vnica tantum imago producta ad intra est possibilis: ex alia parte nulla res creata perfecte repræsentat diuinum esse, etiamsi fiat ad imitationem diuini esse, ideò necesse est non esse possibilem vnicam tantum imaginem productam ad extra, sed esse possibiles plures, & plures in infinitum, itá vt illa perfectio, quæ ab vna imagine non exprimitur, ab aliá repræsentetur. Indé est fieri non posse, vt tot producantur á Deo creaturæ, vt aliæ producendæ non remaneant, quia repugnat tot produci creaturas, vt Deus non possit perfectius repræsentari, omnis enim numerus licet maximus rerum creatarum distat infinité á diuina perfectione, adeoque infinitè deficit á repræsentatione suæ ideæ, & sui exemplaris.

11. Hinc colliges primó ad infinitam Dei perfectionem pertinere repugnantiam infiniti cathegorematici, quia ad infinitam perfectionem omnipotentiæ diuinæ spectat posse producere nouas, & nouas creaturas in infinitum, & non posse tot producere, quibus productis nullam aliam possit producere, vndé sequitur repugnare creaturas cathegorematicé infinitas.

12. Col-

12. Colliges secundó Deum esse omnipotentem, quia est esse, quod habet omne esse, cum enim modus operandi sequatur modum essendi, Deus veró non sit hoc determinatum esse, sed sit omne esse, quia est ens illimitatum, ideò potentia Dei debet esse illimitata, quæ nimirum se extendat non tantum ad hoc determinatum esse, sed ad quodlibet indeterminaté, itá vt nullum sit ens, quod non possit à Deo accipere existentiam.

13. Colliges tertiò. Omnipotentiam Dei, quæ in genere potentiæ, est perfectissima potentia, vt poté quæ extenditur ad omne id, quod non inuoluit contradictionem, esse subiectam in operando diuinæ voluntati, ad quam spectat decernere res producendas non solum, quoad substantiam, sed etiam, quoad numerum, pendet enim à libera Dei voluntate tot potiús, quam plures res eligere: Qua in re magnopere relucet perfectissimum Dei dominium nulla re à se distincta indigentis ad existendum. Hinc facilé est obiecta dissoluere.

14. Ad primum: dist: ma: virtus infinita potest producere effectum cathegoremaricé infinitum: nego ma: syncathegorematicé infinitum: conc: ma: & min: & dist: eodem modo consequens.

15. Ad secundùm: conc: ant: & nego consequentiam. Omnipotentiá Dei est virtus actu infinita, adeoque sicuti est ratio, cur Deus operando intra se communicet se infinité, itá est ratio cur operando extra se non posfit producere aliquid habens tantam perfectionem, quantam habet prinpium producens, id enim maximè consonat virtuti infinitæ, quæ est causa æquiuoca, adeoque longè perfectior, quam sit effectus. Cæterum virtus infinita distat infinitè à virtùté finita, licet vtraque faciat effectum syncathegorematicé infinitum. Primó

mò quia virtus infinita potest facere effectum syncathegorematicé infinitum in omni genere, quem finita non potest: secundò quia virtus infinita est adæquata sufficientia sui effectus, secus infinita: tertiò virtus infinita non pendet ab alia virtute, sicuti finita: quartò virtus infinita non est perfectior intensiuè cum effectu producto: qui operandi modus arguit infinitam perfectionem operantis: id autem virtuti finitæ conuenire non potest.

16. Ad tertium: dist: ma: si Deus actu produceret quid quid collectiuè potest producere, in finitum actu produceret: conc: ma: quidquid potest distributiuè: nego ma: & dist: mi; non repugnat, vt Deus actu producat quidquid potest collectiuè producere: nego suppositum minoris: quidquid potest distributiuè; concedo minorem: & nego consequent: Hoc argumentum est apertè sophisticum, cum gradum faciat ab omni eo, quod potest Deus distributiuè, ad omne id, quod potest collectiué; sicuti enim facultas libera amandi potest amare, & potest non amare; non tamen potest amare simul, & non amare, quia non potest collectiuè facere omne id, quod potest distributiuè: ita omnipotentia Dei, quæ est subiecta liberæ Dei voluntati eligentis vnum potiùs, quam alium rerum agendarum numerum, non potest omnia simul facere, quæ simul potest, cum habeat simultatem potentiæ, non potentiám simultatis: ideó opus est distinguere huiusmodi propositiones: *Deus potest facere quidquid potest facere*, & similes, quæ sunt ambiguæ, licet videantur identicæ, si enim supponant distributiuè, sunt veræ, sed nihil probant, quia non probant producto aliquo numero non posse pruduci maiorem, quod probare debent: si collectiuè, sunt falsæ, quia supponunt falsum, ex quo

pa-

patet, hoc argumentum, cui videtur fidere Arriaga, esse imbecillum.

17. Ad quartum: conc: ma: & nego suppositum minoris, quæ vt conducat ad finem arguentis, debet supponere collectiuè, ideò falsum supponit, quia demonstratum est numerum rerum creatarum, quo maiorem Deus facere non potest, esse chimæricum: indé est hanc propositionem: *Faciat nunc Deus numerum maiorem, quem potest nunc facere*, si supponit collectiuè, vt debet supponere, esse falsam, assumit enim, quod est probandum, nimirum fieri numerum, quò maior non sit possibilis. Vt autem videas hunc modum arguendi esse captiosum, ostendo euidenter variata materià, & inuariata forma arguendi concludi falsum. Præscindo in præsenti, an infinitum sit possibile: certum est numerum finitum esse posibilem, & numerum finitum maximum esse impossibilem, vt omnes concedunt, & ego tibi demonstro, quia numerus maximus est ille, quo maior inueniri non potest, sed repugnat numerus finitus, quo maior inueniri non possit, alioquin numerus finitus per additionem finiti euaderet infinitus, quod repugnat, ergo repugnat numerus finitus maximus. Reformo nunc idem argumentum, quod formauit arguens ád probandum esse possibilem numerum finitum maximum. Faciat nunc Deus numerum maiorem, quem potest nunc facere: iste numerus est maximus, quia hoc numero inueniri non potest numerus finitus maior: alioquin Deus non fecisset numerum finitum maiorem, quem potest facere, contra hypotesim, ergo numerus finitus maximus non repugnat. Præterea idem vrgetur ad probandam possibilem vltimam diuisionam continui, quæ est euidenter impossibilis, si continuum est

sem-

ſemper iuxta Philoſophum diuiſibile: faciat Deus diuiſionem continui minorem, quam poteſt nunc facere, iſta diuiſio eſt vltima, quia ſi non eſt vltima, poſſ dari alia minor contra hypotheſim. Vides igitur an poſſit infinitum probari eo arguendi modo, quo probatur res euidenter falſa: ratio á priori cur ſit ineptus hic modus arguendi, eſt quia vel ſupponit id, quod eſt in quæſtione, vel nihil probat; vel enim ſupponit á Deo fieri numerum, quo maior fieri non poſſit, adeoque numerum maiorem omnibus acceptis collectiuè, quod falsò aſſumitur: vel tantum ſupponit á Deo fieri numerum maiorem omnibus diſtributiuè acceptis, id autem nihil probat, quia non poteſt inferri non poſse fieri numerum maiorem, infertur enim oppoſitum.

18. Ad quintum di: ma: Deus poteſt facere numerum maiorem quolibet finito determinaté: conc: ma: quolibet finito indeterminaté: nego ma: & diſtincta mi: nego conſequentiam, Numerus infinitus eſt maior quolibet finito indeterminaté, non quolibet determinatè, ſicuti meritum infinitum, quale eſt meritum Chriſti, eſt meritum, quod habet ius ad quodlibet indeterminaté præmium finitum: huiuſmodi numerus repugnat, ſicuti repugnat numerus actu infinitus: numerus vero maior quocumque finito determinaté non repugnat, hic autem non eſt numerus infinitus, alioquin numerus maior centenario, vel millenario eſset infinitus. Cáuenda eſt æquiuocatio á numeró maiori quolibet numero determinatè ad numerum maiorem quolibet indeterminate, ille enim non repugnat, iſte repugnat.

19. Ad vltimum: nego ant. quia Theſaurum omnipotentiæ exhauriri eſt nihil poſse produci præter ea quæ ſunt producta, quod euidenter ſequi-

quitur, si est possibile infinitum actu, vt ostensum est. Ex eo, quod Deus non possit iterum producere Petrum semel productum, non sequitur Deum esse imperfectum, quia producto Petro potest producere aliam imaginem perfectius imitantem diuinum exemplar: quod si nullam creaturam possit amplius producere, sequitur esse imperfectum, quia non potest producere aliam imaginem perfectius imitantem illud exemplar, ad cuius imitationem cætera sunt facta: hoc autem repugnat infinitæ perfectioni illius exemplaris, quod nulla imago potest itá imitari, vt aliæ non posśint pefectius imitari.

QVAESTIO VI.

Vtrum scientia Dei inferat non repugnantiam infiniti cathegorematici.

1. Videtur inferre. Primò, quia Deus per scientiam, quam Theologi appellant visionis, actu cognoscit omnes dies æternitatis, & omnes cgnitiones formandas ab Angelo Gabriele singulis diebus æternitatis: rursus per scientiam, quam vocant simplicis intelligentię, cognoscit áctu omnia posśibilia, sed omnes dies æternitatis sunt infiniti, alioquin dabitur vltima dies æternitatis, quod æternitati repugnat, ergo ex diuina scientiá arguitur non repugnáre infinitũ cathegorematicũ.

2. Secundó. Deus cognoscit omnes dies æternitatis collectiué acceptos, ergo cognoscit dies cathegorematicè infinitos. Antecedens probatur, quia cognoscere omnes dies æternitatis collectiué ac-

acceptos est cognoscere simul omnes dies æternitatis, quia diuinus intellectus non cognoscit successiuè, ergo &c.

3. Tertiò. Nulla est dies futura in æternitate, quam in præsenti Deus non cognoscat. Rursus nulla est creatura, quam Deus actu non cognoscat possibilem, ergo in diuina cognitione continentur omnes dies æternitatis, & omnes creaturæ possibiles.

4. Quartò. Eo modo sunt futuri omnes dies æternitatis, & sunt possibiles creaturæ, quo Deus cognoscit: sed cognoscit actu, & simul omnes dies æternitatis,& omnes creaturas possibiles,ergo omnes dies æternitatis sunt actu,& simul futuri,& omnes creaturæ sunt actu & simul possibiles, ergo & c.

5. Vltimo. Si Deus non habet in mente omnes dies æternitatis per modum vnius collectionis obiectiuæ, Deus non potest facere hoc decretum: *Nolo punire Petrum pœna æterna*: conseq: est falsum, ergo etiam antecedens. Sequela probatur, quia licet falsificetur decretum, quo Deus decernit determinatam diem, qua Petrus non punietur, non falsificatur decretum, quo statuit se nolle punire Petrum pœna æterna, vt patet, quia Petrus etiamsi torqueatur post annum millesimum, idem dico de quolibet alio determinato anno, adhuc potest torqueri pœna non æterna, ergo Deus non potest verificare hoc decretum: *Nolo punire Petrum pœna æterna*, nisi habeat in mente totam collectionem annorum componentium æternitatem.

6. Respondetur. Dubium esse non potest, quin sapientissimus Dei intellectus, qui est simplicissimus intelligendi actus, habeat rerum omnium perfectissimam intelligentiam, cum melius sit nihil, quam aliquid ignorare, vt aperte constat: infini-

finitum ſiquidem lumen diuinæ mentis, Deū illuminat, atque determinat ad habendam ſcientiam, hoc eſt clariſsimam, & infallibilem notitiam præſentis, præteriti, futuri tum abſolute, tum conditionaté, poſsibilis, & impoſsibilis. Hinc partiri ſolent omnes Theologi hanc ſcientiam Dei iuxta varias partitiones rerum cadentium ſub diuinam ſcientiam, quia enim veritates, quæ à Deo ſciuntur, aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ contingentes, & veritates contingentes aliæ abſolutè, aliæ conditionate futuræ; ideó alia eſt ſcientia, qua Deus nouit veritates neceſsarias, alia qua nouit veritates contingentes abſolutas, alia, qua neuit contingentes conditionatas. Primam vocant ſimplicis intelligentiæ, ſecundam viſionis, tertiam ſcientiam mediam Scientia ſimplicis intelligentiæ Deus nouit exiſtentiam ſui, & omnia poſsibilia, & impoſsibilia: & ſcientia viſionis intuetur omne id, quod exiſtit à ſe diſtinctum æternitati ſuæ præſens: ſcientia media intelligit ea, quæ contingenter, & liberè forent, exiſtente aliqua conditione, quæ nunquam erit.

7. Certum prætereá eſt hanc triplicem ſcientiam, quæ diſtinguitur formaliter, non realiter, eſse infinitam ſubiectiuè eo modo, quo eſt infinitus Deus, quia nihil eſt in Deo diſtinctum à Deo. An verò ſit infinita obiectiuè poteſt eſse dubium: de ſcientiá quidem ſimplicis intelligentiæ dubitari non poteſt, an ſit obiectiuè infinita, quia obiectum huius ſcientiæ eſt Deus cathegorematicé infinitus: ſcientia viſionis, & media non eſt obiectiuè actu infinita, quia obiectum huiuſmodi ſcientiæ non eſt aliquid cathegorematicé infinitum, quod requiritur, vt aliqua ſcientia ſit obiectiuè infinita. Ratio á priori eſt, quia Deus cognoſcit res,

eo modo: quo erunt, essent, vel possunt esse, sed nulla multitudo erit, esset, vel potest esse actu infinita, vt alibi ostensum est, ergo Deus per nullam scientiam cognoscit res actu infinitas absolutè, vel conditionatè futuras. Inde est, ex capité diuinæ scientiæ non posse argui possibilitatatem infiniti cathegorematici. Iuuat autem, antequam accedamus ad argumenta soluenda, præmonere longé diuersum esse modum, quo obiectum existit in se physicè, à modo, quo existit logicè in cognitione præsertim diuina, cum Deus propter infinitam sui perfectionem cognoscat simplicissimè, & immaterialiter res cæteroquin materiales, & compositas: vndè argui non potest à modo, quo Deus cognoscit res futuras, vel possibiles, ad modum, quo res sunt futuræ, vel possibiles: tota enim æquiuocatio originem trahit ex falsa intelligentia illius principij: *cognitum debet esse in seipso, sicuti est in cognoscente*: quod principium in quo sensu sit intelligendum, satis superque demonstráuimus in nostra Logica in tractatu de vniuersalibus tomo 1. disp. 4. quæst. 3.

8. Ad primum: dist. ma: cognoscit Deus omnes dies æternitatis collectiuè acceptos: nego suppositum maioris: omnes dies æternitatis distributiuè acceptos: conc: ma: & dist: min: dies æternitàtis sunt infiniti syncathegorematicé con: mi: cathegorematicé ne: mi: & cons: Mirum est ab aliquibus Authoribus adhiberi hoc argumentum ad probandam non repugnantiam infiniti, cathegorematici, quasi Deus essentialiter determinatus ad cognoscēdum omne verum, & prospiciens ab altissimo vertice nunquam labentis æternitatis multitudinem rerum decedentium, & succedentium, possit per scientiam visionis intueri res futuras, aliter ac sunt

fu-

futuræ. Quia verò dies æternitatis non sunt itá futuri, vt omnes sint collectiué futuri, ideò Deus itá videt futuros dies æternitatis, vt non videat omnes collectiué futuros, alioquin falsum vidèret. Quid ergo videt dum veré videt futuros omnes dies æternitatis? Videt futuros omnes distributiue, at non videt omnes collectiuè futuros, quia non videt chimæram futuram, esse enim futuram totam collectionem dierum æternitatis, & futuram esse chimæram idem formalissimé sunt, quia tota collectio dierum æternitatis, præter quā nullus dies supersit, repugnat æternitati futuræ; quæ itá est futura, vt quocumque die præterito alius dies sit futúrus, quocumque anno, alius annus, quocumque sæculo aliud sæculum, & sic in infinitum, quia æternitas componitur ex diebus finitis in infinitum, ex annis finitis in infinitum, ex sæculis finitis in infinitum, cum dies, auni & sæcula in æternitate sint futura non tot, quia plura duratio enim, quæ aliquando tota effluxit; æternitati repugnat. Cum ergo Deus videat totam æternitatem, & omnes dies futuros eo modo, quo tota æternitas est futura, consequens est, vt Deus videndo æternitatem futuram, eam itá videat futuram, vt nunquam sit futura collectiuè tota, sed tantum tota distributiué.

9. Ad secundum; nego antecedens. Ad eius probationem: dist: ma: cognoscere omnes dies æternitatis collectiué acceptos est simul cognoscere omnes dies æternitatis simultate cognitionis: nc: ma: cognitione simultatis, siué simultate obiecti: conc: ma: & dist: min: Deus cognoscit simul simultáte cognitionis omnes dies æternitatis: con: mi: cognitione simultatis, vel simultate obiecti: nego mi: & consequentiam. Deus quando cogno-

ſcit diem hodiernum, cognoſcit craſtinum, quia non priús cognoſcit hodiernum, quam craſtinum, quod autem dico de hodierno, & craſtino, dicendum de reliquis in æternitate futuris; non propterea Deus cognoſcit diem craſtinum futurum, quãdo exiſtit hódiernus, aliter falſum cognoſceret, quod repugnat infinitæ ſapientiæ: indé eſt poſſe diem hodiernum, & craſtinum ſimul cognoſci ſimultate cognitionis, quin ſimul cognoſcantur cognitione ſimultatis, illa enim decet intellectum diuinum omnia ſucceſſiue futura ſine ſucceſſione ſpeculantem, iſta non decet, vtpote falſa. Qua in re opus eſt de ſcientia Dei philoſophari, ſicuti de ipſius potentia, Deus enim quemadmodum poteſt facere ſingulos dies æternitatis ſimul ſimultate potentiæ, non potentia ſimultatis, itá cognoſcit ſimul ſimultate ſcientiæ, non ſcientia ſimultatis, quæ repugnat.

10. Ad tertium: conc. antec. & diſt. conſ. ergo omnes collectiue continentur in cognitione diuina: nego ſuppoſitum: omnes diſtriibutiue concedo conſequentiam. Continentia dierum æternitatis in diuina ſcientia eſt ſimilis continentiæ, qua in ſpeculo continetur res à ſpeculo repræſentata, ſicuti enim ſpeculum rem non aliter repræſentat, ac exiſtit extra ſpeculum, ita dies æternitatis eo modo continentur in diuino intellectu, quo exiſtent extra diuinum intellectum, ſed extra diuinum intellectum non exiſtent omnes collectiue, cum æternitati futuræ repugnet itá aliquando fuiſſe, vt infiniti dies fuerint, ergo in diuino intellectu non continentur omnes collectiue collectione inquam rei cognitæ, quia de collectione cognitionis non eſt dubium, cum Deus vna cognitione omnia cognoſcat.

11. Ad

11. Ad quartum: dist: ma: eo modo sunt futuri dies æternitatis, quo cognoscit Deus esse futuros: conc: ma: quo cognoscit Deus non esse futuros: nego ma: & dist: min: Deus cognoscit actu, & simul dies æternitatis actualitate, & simultate cognitionis: conc: min: actualitate, & simultate obiecti, siuè cognitione simultatis; nego min: & consequentiam. Veritas indefectibilis cognitionis diuinæ non arguit rem cognitam existere in se, sicuti existit in cognoscente, id enim repugnat, cum materialia existant in se materialiter, in cognoscente immaterialiter, sed arguit rem existere eo modo, quo cognoscitur existere, id enim habet cognitio infallibilis; vt res existant eo modo, quo eas esse cognoscit. In hoc sensu verissimum est dies æternitatis eo modo esse futuros, quo Deus præuidet futuros, quia verò præuidet futuros omnes distributiuè non collectiuè, ideò erunt omnes distributiue, non collectiuè.

12. Ad vltimum: nego ma: Hæc duo decreta: *volo punire Petrum pæna æterna; volo punire Petrum pæna non æterna* opponuntur, quia inferunt propositiones contradictorie oppositas, nimirum *Petrus punietur pæna æterna; Petrus punietur pæna non æterna*, quæ æquiualent istis: *Petrus semper punietur, Petrus non semper punietur*: inde est quod formale verificatiuum vnius decreti est formale falsificatiuum alterius decreti, sicuti formale verificatiuum propositionis, quæ infertur ex vno decreto, est formale falsificatiuum propositionis contradictoriæ. Quia verò minus requiritur ad verificandam hanc propositionem: *Petrus nō semper punietur* quā ad eam falsificandam, si enim Petrus cessabit á pæna post mille annos, erit vera, si post mille annos adhuc torquebitur, non proinde erit falsa, ideò

minus requiritur ad verificandum, quam ad falsificandum hoc decretum: *volo punire Petrum pœna non æterna*. Ex quo aperte sequitur posse Petrum post annum millesimum torqueri, & adhuc post alium millesimum torqueri, eodem modo discurrendo de quocumq;millesimo determinate sumpto; quin euadat falsum decretum prædictum. Ad hoc inconueniens vitandum, necesse est vt Deus, qui decernit punire Petrum pœna non æterna, simul definiat tempus, quo Petrus à pœna cessabit, aliter Deus posset aliquid promittere, & in nulla temporis differentia stare promissis, quod repugnat fidelitati diuinæ. Deus igitur quando decernit punire Petrum pœna non æterna, simul decernit punire Petrum ad certum annum,nimirum vsq;ad annum millesimum, adeoque idem est dicere: *Petrus aliquando non punietur* ly *aliquando* supponente determinate, ac dicere: *Petrus post annum millesimum non punietur*, & consequenter non plus requiritur ad falsificandum, quám ad verificandum hoc decretum. Neque propterea negari debet, quin Deus volens punire Petrum pœna non æterna, sit liber ad decernendam hanc vel illam diem totiùs æternitatis post quam non torquebitur: ad hoc præstandum satis est, si Deus videat omnes dies æternitatis distributiuè futuros, sicuti ad eligendam hanc potiús, quam aliam rerum creatarum multitudinem, satis est si diuino intellectui proponantur omnes creaturæ distributiuè acceptæ.

QVÆ-

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum repugnet creatura perfectissima.

1. Videtur non repugnare. Primò Deus potest producere creaturam perfectiorem omni ea, quam potest producere, sed huiusmodi creatura est perfectissima, ergo Deus potest producere creaturam perfectissimam.

2. Secundò. Non repugnat Creatura optima, ergo nec perfectissima. Antécedens probatur. Ratio boni non repugnat enti créato, ergo neque repugnat enti creato ratio optimi.

3. Tertió. Repugnat ens possibile euadere impossibile, quia euadit optimum, ergo ens creatum optimum non repugnat. Consequentia patet, quia ens creatum bonum est possibile, ergo si ens creatum optimum est impossibile, bonũ fit impossibile, quia fit optimum. Ant: prob:. Repugnat bonũ fieri pessimum per hoc, quod fiat optimum: sed ens possibile eo ipso, quod fit impossibile euadit pessimum, quia chimæra est pessima, ergo repugnat ens possibile euadere impossibile, quia euadit optimũ.

4. Quartó. Ens optimum, & perfectissimum non repugnat, ergo ens creatum perfectissimum non repugnat. Consequentia probatur. Ideó non repugnatur optimum, quia ex vna parte optimum est id, quod est summe amabile: ex alia parte repugnat esse impossibile id, quod est summe amabile, sed ex eodem capite repugnat esse impossibile ens creatum optimum, ergo &c.

7. Quinto. Ratio entis creati est ratio entis essentialiter indigentis, sed ratio entis essentialiter indi-

indigentis non repugnat enti optimo, ergo &c. Minor probatur. Non repugnat enti essentialiter indigenti accipere omne bonum ab ente essentialiter opulento, ergo &c.

6. Vltimò: non repugnat species subalterna, quæ non habet aliam perfectiorem, ergo non repugnat species infima, quæ non habet aliam perfectiorem: sed huiusmodi species infima, quæ non habet aliam perfectiorem, est creatura perfectissima, ergo non repugnat creatura perfectissima. Antecedens probatur, quia species subalterna est genus, quod contrahitur ad alias species, sed datur genus entis intellectiui, quod est perfectissimum genus, ergo &c.

7. Respondetur. Deum, qui est infinitus in essentia, siue perfectione, vt ostensum est operantem intra se infinite se communicare termino, quem producit est indubitatum, quia per intellectum producit Verbum, & per voluntatem Spiritum Sanctum, amorem nimirum reciprocum Patris, & filij, quibus communicat identice naturam diuinam. Dubium in præsenti est, an operando extra se posit se infinite communicare, vel in genere entis creati, adeoque an repugnet creatura perfectissima in genere entis, vel in genere entis limitati.

8. Dico 1. Repugnat in terminis creatura perfectissima in genere entis, adeoque excludens omnem imperfectionem. Hac veritas de qua nemo vnqnam dubitauit, demonstratur á priori ex conceptu entis creati. Creatura perfectissima nō est Creatura, ergo repugnat. Ant: prob: Creatura perfectissima in genere entis habet esse á se, sed creatura, quæ habet esse à se non est Creatura, quia esse creatum est formalissime ens dependens, contingens, & ab alio ergo &c. Maior probatur, tum quia esse perfectissi-

mum

mum in genere entis est habere omnem perfectionem non repugnantem enti, sed enti non repugnat esse á se, alioquin ens á se esset chimæra, quod repugnat, ergo &c. tùm quia esse perfectissimum in genere entis est habere omnem puram perfectionem, quæ nimirum est melior ipsa, quam non ipsa, sed perfectio aseitatis est melior ipsa, quam non ipsa, cum melius sit esse independens, quam esse dependens, ergo &c.

9. Dico secundò. Repugnat creatura perfectissima in genere entis creati. Probatur primó. Repugnat ens compositum ex infinitis perfectionibus realiter distinctis, quia repugnat infinitum actu in quantitate, sed creatura perfectissima in genere entis creati est ens compositum ex infinitis perfectionibus realiter distinctis, ergo repugnat. Minor probatur, quia ens infinite perfectum perfectionibus realiter indistinctis est ens infinite perfectum in genere entis, ergo ens infinite perfectū, si aliquod est, debet esse infinite perfectū perfectionibus realiter indistinctis. Antecedens probatur, quia ens infinite perfectum pefectionibus realiter indistinctis est ens independens, & á se; cum ens dependens discernatur ab ente independente, eo quod istud habet realem identitatem cum omni sua perfectione, quam illud non habet. Præterea ens, quod habet omnem perfectionem realiter á se indistinctā est ens intelligens per intellectionem realiter indistinctam, sed ens intelligens per intellectionem realiter indistinctam est ens á se, adeoque infinitum in genere entis, vt alibi demonstratum est, ergo &c.

10. Probatur secundò. Nulla res creata potest differre ab alia, differentia pure negatiua, siue defectu perfectionis, vt ostendimus in logica agen-

tes de differentia specifica, ergo nulla res creata differt ab alia præcise ex defectu perfectionis, necesse est enim in singulis rebus creatis esse aliquam perfectionem, quæ in alia non existit, indé est quod licet vna sit perfectior alia, adeoque eminenter contineat perfectionem alterius, nihilominus reperiri potest aliquis gradus perfectionis in re minus perfecta, qui non est in re magis perfecta, vt patet in homine respectu brutorum, in sole respectu mineralium; & ratio á priori est, qui a nulla est res creata, quæ non sit intensiuè perfectior cum alia re creata, quam sine alia re, itá est perfectior homo cum equo, quam homo sine equo, ergo nulla est res creata, quæ ab alia non discernatur per aliquem gradum perfectionis in ipsa existentis id enim est proproprium solius entis increati, vt quælibet res á Deo distincta differat differentia puré negatiua, hoc est differat non perfectione sed defectu perfectionis, cum fieri non possit, vt aliquid existat, & habeat perfectionem, quam Deus non habet: quod si repugnat creatura, quæ ab alijs differat per hoc præcisè quod habeat perfectionem in alijs non existentem, euidens est repugnare creaturam omnium perfectissimam, quia creatúra omnium perfectissima est creatura, in qua continentur omnes perfectiones, quæ possunt inueniri in rebus creatis, sicuti ens perfectissimum est illud ens, quod in se continet quidquid perfectionis conuenit enti; sed repugnat huiusmodi creatura, eo ipso, quod repugnat creatura itá perfecta, vt posśit existere aliud ens creatum, quod ab ipsa differat solum defectu perfectionis, ergo &c.

11. Probatur vltimo. Nulla creatura est ita perfecta, vt non posśit Deus producere perfectiorem, ergo repugnat creatura perfectisśima.

An-

Antecedens prob: Nulla creatura itá participat diuinam perfectionem, vt alia non possit magis participare. Ratio huius á priori est, quia omnis creatura distat infinité à diuina perfectione, eo quod nulla est possibilis creatura æque perfecta, ac Deus; quod si nulla est possibilis creatura, quæ non distet infinitè à perfectione diuina, nulla est possibilis creatura, quæ ita paticipet perfectionem diuinam, vt non remaneat perfectio magis participanda: sicuti enim quia nulla est possibilis imago, quæ perfectisimé imitetur illud exemplar, ad cuius imitationem est producta, necesse est nullam imaginem esse posibilem, qua non sit posibilis melior, & perfectior, itá quia nulla est posibilis creatura, quæ participet perfectisimé diuinam perfectionem, hoc est tantum participet, quantum est participabilis, necesse est nullam esse posibilem creaturam, quæ itá participet, vt alia non posit magis participare.

12. Confirmatur idem argumentum. Repugnat creatura, quæ distat infinitè á nihilo, ergo repugnat creatura itá perfecta, vt perfectior dari non posit. Antecedens probatur, quia illud ens distat infinite á non ente, quod nullatenus constat ex non ente, sed repugnat ens creatum nihil habens non entis, quia omne ens creatum debet esse ex nihilo, ergo &c. Consequentia probatur. Creatura itá perfecta, vt repugnet perfectior, itá distat á nihilo, vt repugnet creatura magis distans á nihilo: sed creatura itá distans á nihilo vt repugnet magis distans, est creatura infinité distans à nihilo, ergo creatura itá perfectá, vt repugnet perfectior, infiniè distat á nihilo: sed repugnat creatura infinité distans a nihilo, ergo repugnat creatura itá perfecta, vt repugnet perfectior, quod erat ostendendum.

13. Ad

13. Ad 1. dist: ma: potest Deus producere creaturam perfectiorem omni ea distributiuè, quã potest producere: concedo ma: collectiuè: nego suppositum, & dist: mi: Creatura perfectior omni ea distributiuè, quæ potest produci est perfectissima: nego mi: collectiuè: conc: mi: & nego consequentiam. Verum est omnes creaturas distributiuè, & syncathegorematicé acceptas esse tales, vt semper sit possibilis alia perfectior, non proinde sequitúr eodem modo esse discurrendum de omnibus collectiué acceptis, quia tota collectio rerum possibilium ést chimæra.

14. Ad secundum:nego ant. Ad eius probationem: conc: ant: & ne:consequentiam. Disparitas est euidens, quia bonum in aliquo genere bonitatis non opponitur malo, sed bonum in omni genere boni optimum opponitur malo, sicuti calor remissus non opponitur cuicumque frigori, adeoque potest esse in subiecto frigido, vt patet in aqua tepida; calor veró summus opponitur cuicumque frigori,adeoque non potest esse in subiecto frigido: ratio entis creati est formalissimé ratio entis imperfecti, huic rationi non opponitur ratio entis, nec ratio boni, quia non repugnat, vt aliquod ens habeat vnam perfectionem coniunctam cum defectu alterius perfectionis,ideò est possibile ens creatum, quod habet aliquam bonitatem, & perfectionem: quia verò rationi entis imperfecti opponitur ratio summi boni, ideó repugnat ens creatum, quod sit summum ens & summè bonum.

15. Ad tertium:conc: ant: & nego consequentiam. Ens creatum perfectissimum non ideó est chimæra, quia si existeret, esset ens optimum, sed quia esset ens pessimum: ratio est euidens, quia illud, quod si existeret, esset simul optimum, & non

non esset optimum, est impossibile, non quia est optimum: sed quia est pessimum, sed creatura perfectissima si existeret, eo ipso foret optima, & non foret optima, quia ratio creaturæ negat rationem entis optimi, & ratio entis creati rationem optimi, ergo creatura perfectissima non est impossibilis, quia optima, sed quia pessima. Neque mihi opponas: perfectissimum, est optimum, ergo creatura, quæ est impossibilis, quia perfectissima, est impossibilis, quia optima, dist: enim. Antec: perfectissimum, quod est tantum perfectissimum conc: antec: perfectissimum, quod est perfectissimum, & simul non est perfectissimum, est optimum: ne: antec: & consequentiam. Quid est melius, non esse perfectissimum, & esse perfectum, an esse perfectissimum, & simul non esse perfectissimum? vtique est melius non esse perfectissimum, & simul esse perfectum: ens creatum perfectissimum est ens perfectissimum, quod simul nō est perfectissimum; ens veró creatum non perfectissimum, siuè quo perfectius dari potest, est éns perfectum, & non perfectissimum, ergo est melius ens creatum non perfectissimum, quam perfectissimum, ergo ens creatum perfectissimum non repugnat, quia est optimum, sed quia est pessimum. Ratio á priori est, quia licet perfectissimum sit optimum, perfectissimum, tamen quod non est perfectissimum, non est optimum, sed pessimum, quia pessimum est illud, quod inuoluit contradictoria, vt ostensum est, sed creatura perfectissima est simul non perfectissima, vt pariter demonstratum est, ergo creatura perfectissima non est optima, sed pessima, adeoque repugnat.

16. Ad quartum: concedo antecedens: & nego consequentiam. Ratio pro ente perfectissimo,

&

& ente creato perfectißimo, non eſt vtrobique eadem: immó eſt oppoſita, quia ratio perfectiſsimi non excludit rationem entis increati. Cæterum non valet arguere á genere ád ſpeciem; ideo ratio optimi licet non opponatur rationi boni in genere opponi poteſt bono in ſpecie, ſicuti ratio hinnibilis non opponitur animali in genere, opponitur tamen animali in ſpecie, nimirum homini.

13. Ad quintum: conc: ma: & nego mi: Ad aius probationem: diſt: ant: non repugnat enti indigenti accipere omne bonum collectiue acceptum: nego ſuppoſitum, omne bonum diſtributiue: conc: ant: & negò conſ. Ratio cur ens eſſentialiter indigum non poſſit accipere ab ente eſſentialiter opulento omne eſſe, & omne bonum, eſt euidens: quia ens eſſentialiter indigum debet poſſe itá accipere, vt ſemper maneat indigum; aliter non foret eſſentialiter indigum, quod repugnat hypotheſi, ſed ſi acciperet omne bonum collectiue, non remaneret indigum; quia nihil eſſet, quod iterum poſſet accipere: ergo &c.

14. Ad vltimum: conc: ant: & nego conſeq; Diſparitas eſt, quia ex eo, quod datur ſpecies ſubalterna, qua perfectior dari non poſſit, non ſequitur exiſtere ens creatum perfectiſſimum, ſed ſolum ſequitur exiſtere ens increatnm perfectiſſimum, quod eſt citra controuerſiam. Quod ſi daretur ſpecies infima, qua perfectior dari non poſſet, daretur ens creatum perfectiſſimum, quod oſtenſum eſt repugnare. Id autem ſequi eſt manifeſtum, quia ſpecies ſubalterna perfectiſſima nihil eſt aliud, quam genus inuoluens in ſuo conceptu formali perfectionem purā: hoc datur, quia datur in rerum natura ens diuinum, quo perfectius cogitari non poteſt. Ex oppoſito ſi daretur ſpecies infima,

ma, qua perfectior dari non posset, daretur ens creatum perfectissimum, quia Deus non posset facere aliam essentiam perfectiorem. Præterea ex eo; quod non posit existere aliquid perfectiús ente intellectiuo, sequitur esse aliquod intellectiuum perfectissimum, quod est indubitatũ; sed nõ sequitur esse aliquod intellectiuũ creatũ perfectissimum. Quod si in genere entis intellectiui daretur aliqua species entis creati, qua Deus non posset facere perfectiorem, daretur intellectus creatus, qui haberet omnẽ perfectionem intelligendi, quod repugnat. Species igitur subalterna perfectissima non repugnat, quia arguit conuenientiam analogicam rei creatæ cum ente perfectissimo, quod non solum non repugnat, sed est necessarium; species infima perfectissima repugnat, quia arguit identitatem rei creatæ cum ente perfectissimo, quod repugnat.

15. Hinc colliges nullum aliud infinitum cathegorematicum esse possibile, quam illud, quod necesse est existere, nimirum infinitum in perfectione, qui est Deus habens infinitum esse, infinitum intellectum, infinitam sapientiam, infinitam sanctitatem, & infinitam durationem.

DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

De compositione continui.

POtissimum discrimen rerum, quæ componuntur ex materia, & forma á rebus materia, & forma carentibus, est quātitas formalis, quia magnitudo, & paruitas, quæ vel est ipsa formalis quantitas, vel eam sequitur, rebus tantū materialibus contingit. De quantitate virtuali non est sermo, ea enim á perfectione non distinguitur adeoq; rebus omnibus cōuenit vnde in rebus, quę nihil materię habēt, maius, & melius, Augustino teste reciprocantur, & Deus dicitur maximus, quia optimus, maximus videlicet magnitudine perfectionis, non magnitudine molis. Quia verò quantitas formalis adhibetur promiscue ad significandam quantitatem continuam, & discretam, non erit nobis in præsenti sermo nisi de continua, quia discreta, quæ consistit in numeris, habet locum in rebus immaterialibus. Numerorum intelligentia spectat ad Arihtmeticam partem Mathematicæ. Circa quantitatem continuam plurima sunt, quæ inuestigari possunt, etiamsi non transiliantur limites Philosophiæ naturalis, nimirum an sit distincta, vel indistincta á materia; an in actuali, vel radicali extensione consistat, an sit subiectum susceptiuum cæterorum accidentium. De his omnibus, quæ reijcimus

mus ad lib. de Ortu, & interitu, nihil in præsenti agimus: solum disputare aggredimur de compositione quantitatis continuæ, de qua multa copiosé scripsit Aristoteles in 6. Physic. Antequam autem huius disputationis quæstiones instituamus, libet ingenuè fateri, nodum, quem pro nostris viribus soluere conabimur, esse plané insolubilem, Deo fortasse ità disponente, vt minutissimus arenæ puluis, cuius compositionem ignoramus, humanæ mentis superbiam frangeret; quæ mirum non est si Diuina & Cœlestia non assequatur, cum ignoret ea, quæ sunt ante pedes posita. Hinc menti humanæ est perindé arduum intelligere ea quæ sunt parum intelligibilia, ac ea quæ sunt multum intelligibilia; licet ex diuerso capite oriatur non posse satis intelligi, quæ sunt parum intelligibilia, in quorum numero est continuum permanens, & successiuum, ac quæ sunt multum intelligibilia, in quorum numero sunt Angeli, & Deus.

QVAESTIO I.

Vtrum continuum componatur ex indiuisibilibus finitis, vel infinitis.

1. PRo intelligentia huius quæstionis sciendum primó multum esse discrimen inter ea, quæ sunt continua, & ea, quæ sunt contigua; licet enim fieri non possit, vt ea, quæ sunt continua, non se tangant, non proindé sequitur esse continua, quæ se tangunt, vt perspicuum est in manu tangente brachium, eique continua, & in calamo, qui licet tangat manum, non est continuus manui; quia

ex manu, & calamo non fit aliquod compositum; sicuti fit ex manu, & brachio; indé est, non omne continuum esse contiguum; ea enim sunt contigua, quæ se tangunt; ea veró sunt continua, quæ non solum se tangunt, sed habent inuicem aliquem nexum, & vnionem. Ratio autem á priori, cur differat continuum á contiguo, est, quia ad constituendam vnam rem alteri contiguam sufficit sola duarum rerum indistantia, siué propinquitas, quæ, vt diximus agentes de loco, consistit formaliter in vbicationibus, itá Petrus constituitur Paulo contiguus ex eo præcisé, quód nullam habeat á Paulo distantiam, adeóque nullum corpus inter vtrumque interiaceat, præcisa enim quacumque vnione Petri cum Paulo, & intellecta vtriusque vbicatione, intelligitur Petrus tangens Paulum, vt est indubitatum. E contrarió non intellecto aliquo nexu, siué vnione vnius rei cum alia, etiamsi intelligatur indistantia, non intelligitur vna res cum altera continuata, vt patet, tùm á posteriori, quiá manus brachio continuata habet aliam vnionem cum eodem brachio præter vnionem indistantiæ, túm á priori, quia vbi datur continuum, ibi datur compositum, vbi autem datur compositum, ibi datur vnio vnius partis componentis cum alia præter indistantiam vnius partis ab alia, ergo, &c.

2. Sciendum secundò, ad constituendum continuum requiri, vt ea, quæ formant continuum, diuersa occupent loca, quia illud formalissimé constituit quantitatem continuam, quod constituit magnitudinem, siuè rem localiter extensam: sed repugnat constitui rem localiter extensam á rebus eundem occupantibus locum, vt est euidentissimum, ergo, &c. Ideó corpora penetrata non habent extensionem localem maiorem, quàm habeat vni-

vnicum corpus: indè eſt non omne compoſitum eſſe continuum; licet omne continuum ſit compoſitum. Ratio eſt, quia non omne compoſitum conſtat ex partibus occupantibus locū diuerſum; ſed repugnat continuū quod conſtat ex partibus occupantibus eundem locum: ergo non omne compoſitum eſt continuum. Omne autem continuum eſſe compoſitum, eſt indubitatum, quia continuum includit formaliſsimè vnionem, quæ non poteſt præſcindere á compoſito. Hinc naſcitur celebris diuiſio compoſiti, & totius, in totum eſſentiale, & totum integrale; quæ ſunt diuerſá, licet connexa, cum exiſtere non poſsit totum eſſentiale ſine integrali, ſicuti non poteſt totum integrale ſine toto eſſentiali. Exemplum huius duplicis compoſiti habemus euidentiſsimum in homine, in quo ſi attendatur id, quod reſultat ex Anima, & corpore ſe mutuó perficientibus, habetur totum eſſentiale, ſi veró, id quod reſultat ex partibus corporis humani habetur totum integrale, quod vel eſt quantitas, vel á quantitate habet originem. Quia veró nulla eſt res materialis, quæ quanta non ſit, ideò nulla eſt ſubſtantia materialis, in qua duplex compoſitum attendi non poſsit, vnum eſſentialè, aliud integrale; immó ſi deſinat totum integrále, neceſſe eſt ſaltem ex natura rei, vt deſinat totum eſſentiale, ita capite à ceruice reuulſo, adeóque deſtructo toto integrali, deſtruitur totum eſſentiale nimirum homo.

3. Sciendum tertiò, continuum inueniri in rebus non ſolum permanentibus, ſed etiam ſucceſſiuis, quæ nimirum ſunt in perpetuo motu, & curſu, nimirum in tempore, quod ſemper fluit, vt docet ibidem Ariſtoteles. Ratio eſt, quia non minùs horę, quarum vna recedit, & alia ſuccedit, com-

ponunt diem, & dies Mensem, Menses verò annum, quàm duo palmi componant vnam magnitudinem bipalmarem, sed duo palmi, qui constiuunt magnitudinem bipalmarem, faciunt quantitatem continuam, ergo etiam horæ componentes diem hodiernam, constituunt quantitatem continuam successiuam. Idem dicendum de diebus componentibus Mensem, cum hoc tamen discrimine, vt duo palmi constituant vnã quantitatem continuam permanentem, & dies successiuam, quia nimirum duo palmi constituunt magnitudine bipalmarem; dum simul existunt; horas veró, quæ constituunt diem hodiernum, repugnat simul existere: idem planè contingit in motu, qui dicitur continuus, quando mobile mouetur motu nunquam intermisso: indé est illum motum, quo mouentur corpora Cœlestia, & suo cursu formant horas, dies, menses, & annos, esse motum continuum, quia eadem corpora á prima origine suæ conditionis moueri cæperunt, absque eo quod huiusmodi motus fuerit aliquando interpellatus.

4. Sciendum quartó, eodem modo esse philosophandum de continuo permanente, ac de successiuo, quia vtrùmque facit extensionem, & magnitudinem, illud in ordine ad locum, adeóque facit extensionem permanentem, hoc autem in ordine ad tempus, adeóque extensionem fluentem. Pluribus demonstrat Aristoteles in lib. 6. Physic. proportionem, quæ inuenitur inter magnitudinem, quæ est quantitas permanens, & motum & tempus, quæ spectant ad quantitatem successiuam, adeó vt si magnitudo sit semper diuisibilis, etiam tempus sit semper diuisibile: quod si magnitudo non semper sit diuisibilis, etiam tempus non sit semper diuisibile. Prima ratio, quæ demonstrat hanç veritatem,

tem, est, quia duplex mobile si mouéatur eadem velocitate, æquali tempore conficit æquale spacium, vt est indubitatum, cum hoc pertineat ad naturam motus æqué velocis, si ergo vnum mobile vna hora percurrat magnitudinem palmarem, necesse est, vt aliud mobile mediam horam insumat ad magnitudinem semipalmarem percurrendam, & quartam partem horæ insumat ad quartam eiusdem magnitudinis partem percurrendam; vndè constat eodem modo esse diuisibilem horam, quo est diuisibilis magnitudo, quæ vnius horæ spacio percurritur. Secundò mobile velocius conficit æqualem magnitudinem tempore minori, quàm tardius, & mobile velocius æquali tempore conficit magnitudinem maiorem, quàm tardius, vt ipsa experientia demonstrat, si enim vnius horæ spatio moueatur Testudo, & Achilles, quod est Aristoteles exemplum, vtique maius spatium conficiet Achilles, quàm Testudo, & totum vnius Scholæ spatium minori tempore absoluet Achilles, quàm Testudo. Inde est, quòd si Achilles duplo velocius moueatur per spatium vnius Scholæ, quàm Testudo, & Achilles spatio vnius horę totam Scholam percurrat, Testudo eodem tempore mediam Scholæ partem percurret. Rursùs si Testudo vnius horæ spatio mediam Scholæ partem percurrat, necesse est vt Achilles mediam Scholæ partem tempore duplo minori, hoc est spatio mediæ horæ percurrat. Et sic discurrere possumus de alia medietate eiusdem spatij, quam Achilles pertransibit tempore duplo minori, quàm pertranseat Testudo: vndè fit, debere tempus, quo mouetur aliquod mobile, esse ità diuisibile sicuti est diuisibile spatium, per quod mouetur. Tertio: idem mobile, quod vna hora conficit vnum milliare, media hora conficiet medieta-

tem milliaris, quarta horæ parte quartam milliaris partem, & sic deinceps, diuidendo semper in partes minores horas, sicuti milliare. Plurima alia argumenta possunt proponi ad ostendendam proportionem inter continuum permanens, & continuum successiuum, quantum attinet ad partes, quæ componunt vtrumque continuum, sed non vacat diutius in hac re omnibus manifesta immorari; præsertim quia erit de hac re copiosiùs disputandum, cum in vltima quæstione mentem Aristotelis inuestigabo circa partes, quæ componunt continuum.

5. His positis, quæ in hac re sunt perspicua, agitatur quæstio, an continuum tám permanens, quàm successiuum componatur ex partibus diuisibilibus, an indiuisibilibus; cum enim apud omnes constet omne continuum esse diuisibile, non constat apud omnes ea, ex quibus componitur, esse diuisibilia, plurima enim sunt argumenta, quæ vrgent sententiam asserentem quamcumque partem continui esse semper diuisibilem; videtur enim rationi, & experientiæ repugnare continuum semper diuisibile, quis enim credat non posse itá diuidi palmum, vt nunquam deueniri possit ad aliquam partem, quæ vlterius diuidi non possit? Vt ab hac difficultate se expediret Philosophus Zeno in oppositam sententiam descendit, docendo omne continuum esse quidem diuisibile, sed non omnes eius partes esse diuisibiles. Ad sententiam hanc explicandam opinabatur iste Philosophus dari in quantitate continua permanente partes indiuisibiles tám formaliter, quám æquiualenter carentes quácumque extensione, & magnitudine, quæ vocantur puncta Mathematicá, & definiuntur esse id, cuius nulla pars est, in quantitate successiua, nimirum in tempore partes similiter indiuisibiles, quæ vocan-

cantur instantia, neque possunt vlteriùs, & amplius diuidi: Hic modus explicandi continuum est facillimus: vtinam esset verus, nos enim liberaret à pluribus angustijs, quibus vrgemur, dum volumus explicare difficultatem de compositione continui; esse facillimum est manifestum, quia facilè intelligitur quid sit quantitas palmaris, & quid sit hora, quantitas enim palmaris iuxta hunc explicandi modum constat ex centum indiusibilibus, & quanto magis hæc puncta indiuisibilia multiplicantur, tanto magis crescit, & extenditur quantitas; prætęrea quartam partē horę componunt exempli gratia viginti instantia; mediam horam quadraginta, & horam octoginta. Hæc sententia, quæ sine vlla prorsùs difficultate explicat naturam quantitatis continuæ, talis est, vt ei nunquam voluerit acquiescere Aristoteles, quia argumenta, quæ eandem redarguunt falsitatis, sunt inuictissima, vt mox apparebit: vndè sequitur non esse idem verum, ac facile, non rarò enim contingit, vt falsum appareat longè facilius, quàm verum. Alij Philosophi, qui post Aristotelem floruere, intelligentes sententiam Zenonis ab Aristotele oppugnatam defendi non posse, existimarunt eam ab omni errore vindicandam, si ponerentur puncta infinita in quolibet continuo permanente, & infinita instantia in tempore quod est continuum successiuum; an id possit cum veritate componi in præsenti est disputandum; huc enim spectat præsentis controuersiæ status.

6. Dico primo. Repugnat, continuum tàm permanens, quàm successiuum componi ex partibus finitis, formaliter & æquiualenter indiuisibilibus. Hæc sententia est Aristotelis, quam omnes Peripatetici sequuntur contra Zenonem.

7. Demonstratur primo. Repugnat, continuum,

nuum, quod non est continuum; sed continuum compositum ex indiuisibilibus finitis est cõtinuum, quod non est continuum, ergo repugnat continuum componi ex partibus finitis formaliter, & æquiualenter indiuisibilibus. Minor probatur. Continuum, quod nullám habet extensionem, non ést continuum, vt patet, sed continuum, quod constat ex indiuisibilibus, nullam habet extensionem; ergo non est continuum. Quod autem nullam habeat extensionem huiusmodi continuum in hunc modum demonstratur, quia vnum indiuisibile non potest cum alio indiuisibili facere extensionem, nisi illud tangat, sed vnum indiuisibile tangendo aliud indiuisibile non facit extensionem, ergo id, quod constat ex huiusmodi indiuisibilibus, caret omni extensione. Minor probatur, quia vnum indiuisibile, quod tangit aliud indiuisibile, vel tangit secundum partem sui, vel secundum se totum: Primum repugnat; quia indiuisibile non constat partibus, quarum vna tangat, alia non tangat; ergo debet concedi vnum punctum ab alio puncto secundum se totum tangi: quod si hoc semel conceditur, euidenter constat vnũ punctum cum alio puncto nullam facere extensionem; quid enim est aliud vnum punctum tangere aliud secundum se totum, quàm duo puncta eundem locum occupare? vt est manifestum, si enim punctum A non occupat eundem locum, quem occupat punctum B, vnum punctum non tangit aliud punctum secundum se totum; sed repugnat, vt duo puncta, quæ tangunt eundem locum, adeoque penetrantur, faciant extensionem, vt satis demonstratũ est numero secundo, ergo, &c.

8. Demonstratur secundo. Repugnat, vt mobile duplo velocius non conficiat spacium duplo maius, quàm conficit mobile tardius, quod

eodem

eodem tempore mouetur; sed mobile duplo velocius non potest conficere spatium duplo maius, quàm mobile tardius, si continuum componitur ex indiuisibilibus, ergo continuum non componitur ex indiuisibilibus Mathematicis. Minor prob: ponamus mobile, videlicet Achillem spatio vnius quadrantis conficere magnitudinem trium punctorum: non potest mobile tardius, nimirum testudo conficere mediam partem talis magnitudinis, quia medietas magnitudinis, quæ constat ex tribus punctis, continet vnum punctum, & præterá medietatem puncti, medietas autem puncti euidenter repugnat, quia punctum est indiuisibile, ergo, &c.

9. Demonstratur Tertiò. Repugnat, vt indiuisibile habeat partes, ergo repugnat continuum permanens componi ex punctis indiuisibilibus, & successiuum ex instantibus indiuisibilibus. Consequentia probatur, quia si mobile velocissimum, & mobile tardissimum vnius horæ spatio, quæ constat centum instantibus, simul moueantur, vel æqualiter mouentur, vel instans indiuisibile habet partes, quia mobile velocissimum in primo instanti, in quo mouetur, non potest conficere nisi vnum punctum spatij, per quod mouetur; alijter in eodem instanti, vel simul esset in duplici puncto, adeoque in duplici loco, vel esset in secundo puncto, cum prius non fuerit in primo, quod repugnat; sed mobile tardissimum non potest conficere vnum punctum spatij, per quod mouetur, in tempore, quod sit minus vno instanti, quia instans nullam habet partem; quod autem dicitur de primo instanti, dicendum consequenter est de cæteris instantibus, quæ componunt horam, ergo vel mobile velocissimum, & mobile tardissimum temporé vnius horæ conficiunt æquale spatium, quod repugnat,

pugnat, vel indiuisibile habet partes, quod pariter repugnat.

10. Demonstratur quarto. Quando mouetur rota, manifestum est partes, quæ sunt remotiores á centro rotæ, moueri velociùs, quàm partes propinquiores centro; cum illæ maius, istæ minus spatium eodem tempore conficiant: Prætereà manifestum est partes propinquiores centro semper moueri, quando mouentur partes remotiores, alioquin eadem linea ducta á centro rotæ ad circumferentiam secundum vnam partem moueretur, secundum aliam quiesceret, adeòque non esset recta, contra hypothésim: Quòd si partes remotiores velociús mouentur, quàm partes propinquiores, manifestum est neque tempus componi ex instantibus indiuisibilibus, neque spatium, per quod transit rota dum mouetur, componi ex punctis indiuisibilibus, quia in primo instanti, in quo incipit moueri rota, partes remotiores non possunt conficere plus spatij, quam sit illud, quod occupatur ab vnico puncto: Similiter partes propinquiors non possunt in vno instanti minus spatium conficere, quam spatium occupatum ab vnico puncto, ergo, &c.

11 Demonstratur vltimo, quia repugnat lineam componi ex punctis indiuisibilibus inæqualibus, ergo repugnat lineam componi ex indiuisibilibus. Consequentiá probatur, quia vel neutrum, vel vtrumque repugnat, lineæ enim aliæ sunt æquales, aliæ inæquales alijs lineis. Antecedens probatur, quia repugnat lineám compositám ex punctis inæqualibus diuidi æqualiter in duas partes æquales; Sed omnis linea potest æqualiter diuidi in partes æquales, vt demõstrant Mathematici ex Euclide qui hanc veritatē ostensiué demonstrat, ergo, &c. Maior est manifesta, quia linea quæ constat ex punctis inæqua-

æqualibus, non potest diuidi æqualiter, nisi vnum punctū indiuisibile diuidatur in duas partes æquales; sed repugnat diuidi in duas partes æquales punctum Mathematicé indiuisibile, ergo repugnat diuidi æqualiter lineam, quæ constat ex punctis indiuisibilibus inæqualibus, ergo, &c.

12. Dico secundo Repugnat continuum componi ex indiuisibilibus actu infinitis.

13. Ratio est, tùm quia repugnat numerus actu infinitus, vt constat ex disp 16. qu.3. num.7. tùm quia vna hora si constaret ex infinitis instantibus, non posset peruenire ad finem cum repugnet, vt multitudo instantium, quę est infinita, habeat finem. Addo eadem repugnantia, qua repugnat centum indiuisibilia simul coniungi ad faciendum continuum, repugnare simul coniungi infinita; adeòque eisdem argumentis vrgetur hæc sententia, quibus vrgetur sententia Zenonis, aduersus quem militant demonstrationes hucusque ex doctrina Philosophi productæ.

13. Obijcies primo. Quantitas discreta componitur ex vnitatibus, quæ non sunt quantitas discreta, sed sunt principium quantitatis discretæ, ergo quantitas continua componitur ex partibus, quæ non sunt quantitas continua, sed sunt principiū quantitatis continuæ; sed partes, quæ non sunt quantitas continua sunt puncta indiuisibilia formaliter, & æquiualenter, ergo continuum componitur ex huiusmodi indiuisibilibus. Antecedens patet, quia quantitas discreta est numerus, omnis autem numerus componitur ex vnitatibus quæ sunt principium numeri, ipsæ autem non sunt numerus. Consequentia patet á pari.

14. Respondeo, conc: antec: & nego conseq. Disparitas est, quia hoc est discrimen inter quanti-

tatem

tatem discretam, & continuam, quod illa constat ex partibus, quarum vna separatur ab alia, vt patet in numero ternario hominum; tres enim homines inuicem separati efficiunt numerum ternarium, ista veró, nimirum quantitas continua, componitur partibus, quarum vna connectitur cum alia, vt videri potest in continuo non solum permanente, sed etiam successiuo, partes enim, quæ componunt horam, habent inuicem aliquam vnitatem. Ratio autem á priori est, quia partes, quæ componunt contiuum permanens, & successiuum, faciunt magnitudinem extensam, hæc autem fieri non potest ex partibus formaliter, & æquiualenter indiuisibilibus, eo quod vnum indiuisibile non potest cum alio facere extensionem, vt demonstratum est.

15. Obijcies secundo. Non potest continuum componi partibus semper diuisibilibus, ergo componi debet indiuisibilibus. Antecedens probatur, quia hora si componitur partibus semper diuisibilibus, nunquam potest tota transire; antequam enim transeat hora diuisibilis in duas partes, debet transire prima semihora; rursus antequam transeat prima semihora diuisibilis in duas partes, transire debet prima medietas huius semihoræ; quia veró nulla pars est, quæ non sit diuisibilis, adeóque non habeat primam medietatem; idcirco debet transire prima medietas, antequam transeat medietas secunda; ergo cum sint infinitæ medietates, infinitum autem transire non possit, tota hora nunquam transibit, quod repugnat.

16. Respondeo huic argumento, quod existimatur á Zenone insolubile, duplicem adhiberi solutionem iuxta duplicem sententiam, quæ defendi potest circa compositionem continui, vel enim defenditur sententia, quæ vulgó tribuitur Aristoteli de

li de partibus semper diuisibilibus in partes minores, & minores in infinitum, quæ vocantur partes proportionales potentiales non actuales, vel defenditur sententia de partibus actualibus indiuisibilibus formaliter, & diuisibilibus æquiualenter, quæ nimirum licet sint indiuisibiles, occupant spatium diuisibile: si prima sententia defenditur, distingui debet in hunc modum antecedens; non potest continuum componi ex partibus actualibus semper diuisibilibus: conc: antec: ex partibus potentialibus: nego antec: & conseq. Quid sint hæ partes potentiales dicendum est inferiùs, vbi de veritate huius sententiæ iudicium feremus. Si defenditur secunda opinio, concedi debet antecedens, & distingui consequens, ergo continuum componitur ex indiuisibilibus formaliter, & æquiualenter: nego consequentiam, ex indiuisibilibus formalitér, & diuisibilibus æquiualenter: concedo consequentiam. Quid sint puncta formaliter indiuisibilia, & æquiualenter diuisibilia dicendum suo loco, vbi similiter de hac sententia statuemus quid sit opinandum.

17. Obijcies vltimo. Indiuisibilia licet non possint facere extensionem, si sunt finita, possunt, si sunt infinita, ergo continuum componi ex indiuisibilibus infinitis non repugnat.

18. Respondeo primo: dist. antec. infinita possunt, & simul non possunt facere extensionem conc: antec: possunt tantum: nego antec: & conseq. Infinitum actu repugnat, adeoque si ponatur non repugnare, sicuti ponitur ab arguente, sequitur vtrumque contradictorium. Secundò: nego antec: Ratio est, quia puncta siué finita, siuè infinita non possunt facere quantitatem continuam, nisi vnum sequatur post aliud; hoc autem fieri non potest, si

sunt

sunt indiuisibilia, quia secundùm partem non possunt se tangere, secundum se totum possunt, sed extensionem non faciunt, vt demonstratum est num. 7.

QVAESTIO II.

Vtrum in continuo dentur indiuisibilia copulatiua; & terminatiua.

1. REiecta sententia Zenonis docentis partes continui esse indiuisibiles formaliter, & æquiualenter, quæritur in præsenti, an nulla indiuisibilia sint in continuo, non quidem tamquam partes componentes continuum, quia suppositis iis, quæ discussa sunt in quæstione præterita, non superest locus controuersiæ, sed tamquam partes, quæ vtrinque terminant quantitatem continuam, vel componunt vnam partem diuisibilem cum alia.

2. Suar. disp 40. sect 5 docet, in continuo permanente inueniri puncta indiuisibilia, quæ non sunt partes componentes continuum, sed tantùm sunt partes terminantes continuum. Iuxta hanc sententiam duo extrema lineæ sunt puncta Mathematica, quæ in nullas partes diuidi possunt, extrema superficiei sunt lineæ Mathematicæ, quæ nimirum habent longitudinem sine latitudine, & profunditate: extrema corporis sunt superficies similiter Mathematicæ, quæ habent longitudinem, & latitudinem sine profunditate, cum corpus habeat longitudinem, latitudinem, & profunditatem. Consequenter continuum successiuum, nimirum tempus clauditur duobus instantibus indiuisibilibus. Præterea aliqui Philosophi hanc sententiam promo-

mouentes docent vnionem, qua partes diuisibiles ita vniuntur, vt faciant continuum, esse indiuisibilem, adeoque docent in continuo præter puncta indiuisibilia terminatiua, dari puncta indiuisibilia copulatiua, quorum munus est connectere vnam partem diuisibilem cum alia.

3. Ratio dubitandi pro hac sententiâ, est, primo: Omnis magnitudo finita habet primum principium, & vltimum finem, sed continuum est magnitudo finita, ergo habet primum principium, & vltimum finem, ergo extrema continui sunt puncta indiuisibilia. Consequentia probatur. Si essent diuisibilia, haberent aliud principium, & alium finem. Confirmatur, quia in linea datur primum, & vltimum punctum: in superficie prima, & vltima linea: in corpore prima, & vltima superficies.

4. Secundo. Omne finitum clauditur terminis, quibus potest tangere aliud finitum; sed extrema, quibus se tangunt magnitudines finitæ, sunt indiuisibilia, ergo &c. Minor probatur. Duo corpora, quando se tangunt, vtique se tangunt secundum superficiem, non secundum profunditatem: alioquin penetrarentur, ergo extrema corporis sunt superficies carentes quacumque profunditate, quia repugnat, vt superficies sit profunditas, si superficies tangit, & profunditas non tangit.

5. Tertio. Columna tangit planum secundum longitudinem, non tangit secundum latitudinem, vt euidenter demonstrant Mathematici, & ratio est, quia columna secundum latitudinem est curua, & planum secundum latitudinem est rectum, curuum autem non potest congruere recto; quod enim congruit recto est similiter rectum, ergo columna vel non tangit planum, vel si tangit secundum longitudinem, non tangit secundum latitudinem, sed

id, secundum quod Columna tangit planum, distinguitur á latitudine, ergo in columna datur vltima linea carens latitudine.

6. Quarto. Sphæra tangit planum in puncto, ergo necesse est existere puncta Mathematica, quæ sunt extrema cuiuscumque lineæ. Antecedens probatur, quia vt docet Aristoteles in primo de anima & demonstrat Euclides in lib. 3. prop 6. Sphæra est curua secundum longitudinem, & latitudinem, planum verò secundum vtramque dimensionem, nimirum latitudinem, & longitudinem est rectum; sed curuum non potest coæquari recto, ergo sphæra non potest tangere planum secundum longitudinem, & latitudinem, ergo vel non tangit planum, quod repugnat experientiæ, vel tangit in puncto.

7. Quinto. In tempore debet dari aliquod instans indiuisibile, ergo tempus cum non possit componi ex instantibus indiuisibilibus, debet saltem terminari ab aliquo instanti indiuisibili. Antecedens probatur, quia præter tempus, quod est præsens ratione partis, & non ratione sui, debet dari aliquid, quod ratione sui sit præsens; sed nullum diuisibile est præsens ratione sui, vt patet in anno, qui cum sit diuisibilis in plures menses, est præsens ratione vnius mensis præsentis; in mense, qui est præsens ratione diei, in die, qui est præsens ratione horæ, ergo id, quod est præsens ratione sui, est indiuisibile. Confirmatur, quia non potest esse dubium, quin tempus includat aliquod instans indiuisibile, formæ enim substantiales, & accidentales, quæ non habent contrarium, differunt ab illis, quæ habent contrarium, quia producuntur in instanti.

8. Vltimo. Ex eo, quód dantur in continuo indiuisibilia, bené explicatur discrimen, quod inuenitur inter continuum, & contiguum, quod explica-

plicari non potest in opposita sententia, quia continua sunt, quorum extrema sunt vnum; contigua veró, quorum extrema sunt simul, duo igitur palmi, quorum vnus alteri est continuus, faciunt magnitudinem continuam, quia extrema vtriusque palmi vniuntur puncto indiuisibili, adeoque sunt vnum, duo verò palmi, quorum vnus est diuersus ab alio, sunt contigui, quia eorum extrema, nimirum puncta terminatiua sunt simul. Aduersus hanc sententiam.

9. Dico primo. In continuo permanente, & successiuo nõ dantur puncta mathematica, quę sunt extrema continui, itá docet Durand. in 2.dist.2.qu.4. Ocham. in Dialectica cap.de quantitate, Gregor.in 2. dist.2. qu.2. art.1. cum omnibus Nominalibus.

10. Probatur primo. Partes, quæ componunt continuum, non sunt puncta Mathematica, ergo neque partes, quæ terminant continuum. Antecedens est certum ex dictis in quęstione præterita; neque ab Aduersarijs controuertitur. Consequentia probatur. Per illud idem terminatur magnitudo continua, per quod constituitur in ratione magnitudinis continuæ: itá mágnitudo palmaris per illud ipsum, per quod constituitur palmaris, est magnitudo terminata, nimirum tanta, & non maior: id autem videtur manifestum ex terminis, cur enim vna magnitudo non extenditur vltra spatium palmare, adeoque est magnitudo limitata, nisi quia est palmaris? idem dicendum est de qualibet magnitudine habente terminum. Nulla verò magnitudo constituitur in ratione magnitudinis continuę per puncta Mathematica, quia repugnat, vt huiusmodi puncta faciant magnitudinem extensam, ergo nulla magnitudo constituitur in ratione magnitudinis terminatę per puncta Mathematica.

11. Confirmatur idem argumentum. Principium adæquatum, quod constituit rem in esse rei, est principium, quod distinguit eandem rem ab omni non ipsa, ergo illud ipsum, quod componit magnitudinem palmarem, eandem terminat, adeoque ipsam constituit minorem magnitudine bipalmari; sed indiuisibilia non componunt magnitudinem palmarem, ergo eam non terminant.

12. Prob: secundo. Per illud formalissimé intelligitur magnitudo terminata, per quod intelligitur magnitudo maior, vel minor alia magnitudine; sed præcisa quacumque parte indiuisibili, & intellectis partibus diuisibilibus intelligitur magnitudo minor vna magnitudine, & maior alia, ergo præcisa quacumque parte indiuisibili intelligitur magnitudo terminata: ergo, &c. Minor probatur. Per hoc præcisè, quòd vna quantitas sit palmaris, adeòque componatur partibus diuisibilibus constituentibus palmum, ea intelligitur minor quantitate bipalmari, & maior semipalmari, vt patet, quia fieri non potest, vt intelligatur ista quantitas maior semipalmo, & minor duplici palmo, etiamsi nulla alia res intelligatur.

13. Neque mihi opponas magnitudinem, quæ intelligitur palmaris, & non intelligitur coniuncta cum puncto terminatiuo, esse terminatam fundamentaliter; non veró formaliter, contra enim euidenter est, quia tunc intelligitur terminata formaliter, quando intelligitur formale constitutiuum magnitudinis terminatæ; sed hoc intelligitur, quia intelligitur quantitas minor duplici palmo, & maior semipalmo, ergo, &c. Sicuti enim vrgentur illi Philosophi, qui docent relationem esse modum distinctum, adeoque docent duos palmos præciso modo superaddito esse æquales fundamentaliter, non

non formaliter, quia sunt formaliter æquales eo ipso, quod vnus alteri superpositus neque excedit, neque exceditur, quod vtique intelligitur intellecta duplici quantitate palmari, ita vrgendi sunt isti Philosophi, qui docent magnitudinem palmarem præcisam á puncto terminatiuo esse fundamentaliter, non formaliter terminatam.

14. Probatur tertio. Punctum Mathematicum, si est terminus lineæ palmaris, vel illam tangit, vel non tangit: si dicis secundum, infero, ergo non est terminus lineæ, quia repugnat esse terminum lineę id, quod lineam non tangit: si tangit, quæro, an secundum partem, vel secundum se totum tangat: non secundum partem, quia partem non habet: non seundum totum, alioquin esset replicatum, quia locus adæquatus huiusmodi puncto est spatium indiuisibile, ergo si tangit secundum se totum partem diuisibilem lineæ, occupat multiplex spatium indiuisibile, spatium enim occupatum á parte diuisibili est diuisibile, adeoque non est indiuisibile. Addo intelligi non posse quomodó palmus non sit maior coniunctus cum vno indiuisibili, quám separatus á quolibet indiuisibili, sed vnum indiuisibile superadditum quantitati palmari non potest illam reddere maiorem, quia punctum non facit extensionem, vt demonstratum est, ergo continuum habens indiuisibilia terminatiua est chimæra.

15. Dico secundo. In continuo permanente, & successiuo non dantur puncta Mathematica copulatiua.

16. Ratio est, quia puncta mathematica si non possunt componere continuum, neque possunt connectere vnam partem continui cum alia; sed non possunt componere, ergo néque connectere, ergo &c. Maior probatur, túm quia vnio, quæ

vnum extremum connectit cum alio extremo, debet esse eiusdem rationis cum extremis, quæ connectit, alioquin vnio Animæ cum corpore posset vnire animam corpori, etiamsi esset in terra existente anima in cœlo, quod euidenter repugnat; sed non potest ibi esse, vbi sunt duo extrema, si est indiuisibilis; quia vel sequitur in hac vnione esse partes, quarum vna tangit vnum extremum, & alia tangit aliud extremum, quod repugnat hypothesi; vel sequitur esse in duobus locis adæquatis distinctis, quod repugnat naturæ, ergo &c.

17. Ad primum; conc: totum argumentum & nego vltimam consequentiam. Ad eius probationem dico adhibendam esse duplicem solutionem iuxta duplicem sententiam, quæ potest defendi circa compositionem continui: si enim defenditur sententia, quæ docet continuum componi ex partibus minimis, quæ sunt diuisibiles finité in infinitum in alias partes potentiales, dicendum est illam partem, quæ est prima, itá esse primam, vt possit diuidi in duas partes, quarum vna sit prior alia posterior, & illam partem, quæ est vltima, itá esse vltimam, vt posit diuidi in duas partes, quarum vna sit post aliam, quia supposita hac sententia pars vltima, quæ non sit diuisibilis in alias partes, repugnat; licet non repugnet pars, quæ actu non habeat aliam partem post se; quod satis est, vt continuum sit finitum, & términatum; cum enim continuum exempli gratia palmare habeat centum partes minimas aliquotas æquales vni certæ, & actu distinctas hoc continuum dicitur finitum, quia datur centesima pars, quæ est minimum physicum non habens actu partem extra partem, licet habere posit partem extra partem. Quod si defenditur sententia de continuo composito ex

par-

partibus indiuisibilibus formaliter, & æquiualenter diuisibilibus, facilius soluitur argumentum, distinguendo consequens, ergo extrema continui sunt puncta indiuisibilia formaliter, & æquiualenter, nego consequentiam, indiuisibilia formaliter & diuisibilia æquiualenter: concedo consequentiam. Quid sit sentiendum in hac controuersia de partibus continui formaliter indiuisibilibus, & æquiualenter diuisibilibus dicam suo loco.

18. Ad confirmationem dico non dari lineam, cuius extrema sunt puncta indiuibisilia formaliter, & æquiualenter, quæ sunt puncta mathematica, extrema enim lineæ, vel sunt puncta indiuisibilia formaliter, & diuisibilia æquiualenter, vel sunt partes formaliter diuisibiles: idem dico de superficie non habente primam, & vltimam lineam mathematicam, de corpore non habente primam, & vltimam superficiem mathematicam. Quod si mathematica agit de punctis formaliter, & æquiualenter indiuisibilibus de lineis carentibus latitudine, & profunditate, de superficiebus carentibus profunditate; non indé sequitur existere huiusmodi puncta, lineas, & superficies, sed sequitur mathematicam cognoscentem puncta præscindere à partibus, cognoscentem lineas præscindere á latitudine, cognoscentem superficies præscindere á profunditate, adeoque puncta, quæ speculatur Mathematica, non habere partes præcisiué, quia non intelliguntur habere partes, non veró negatiuè, quasi veró intelligantur non habere partes.

19. Ad secundúm: conc: maiorem, & nego minorem. Ad eius probationem dico extrema, quæ se tangunt, licet se tangant secundùm aliquam profunditatem, non penetrari, quia vt duo penetrentur, debet vnum itá tangere aliud, vt omnes

partes vnius tangant omnes partes alterius: sed hóc non contingit in partibus continui se tangentibus, extrema enim sunt diuisibilia in infinitum, cum in vna parte minima non dentur partes actuales, quæ tangunt alias partes. Quia verò possunt designari in parte minima duæ partes, ideó fieri potest, vt facta disignatione vna pars tángat, & alia non tangat. Hoc argumentum nullam habet difficultatem, si sustineatur continuum componi ex indiuisibilibus formaliter, & diuisibilibus æquiualenter, vt patet, & clarius patebit, quando explicabitur hæc sententia, quam iudico longè probabiliorem, & veram: esto habeat difficultatem non exiguam in partibus semper diuisibilibus.

20. Ad tertium. Euidens est apud mathematicos columnam, quæ tángit corpus, quod est perfecte planum, tangere secundum logitudinem, non verò secundúm latitudinem: an veró huiusmodi còrpus perfectè planum existat, non est euidens apud mathematicos, qui nimirum non demonstrant eius existentiam, sed demonstrant repugnare contactum columnæ tangentis rem perfecté planam secundùm latitudinem. Quia verò repugnat corpus perfecté planum, sicuti repugnat linea carens latitudine, & superficies carens profunditate, ideò necesse est, vt columna, quæ tangit planum, illud tangat secundùm longitudinem, & latitudinem. Indè est in columna non dari vltimam lineam caréntem latitudine: illa igitur, linea, quæ est terminus columnæ, itá est vltima, vt possit diuidi in duas lineas, vnam antecedentem, & aliam consequentem; vndé patet ad argumentum in forma, si enim supponatur planum perfectum, suppositum antecedentis est falsum: quod si non supponatur, est verum suppositum, sed antecedens

est falsum, quia demonstrationes mathematicæ non procedunt de quolibet plano, sed de plano perfecto, quod repugnat.

21. Ad quartum. Sphæra perfecta est chimærica, adeoque est chimærica sphæra mathematica, quia eadem repugnantia, qua repugnat punctum, linea, & superficies mathematica, repugnat etiam sphæra perfecta: cum repugnet perfectus circulus ea nimirum figura, quæ constat ex vnica linea mathematica puncto circumducta. Quod si existeret sphæra perfecta, supra quam mathematica suas demonstrationes fabricatur, vtique tangeret planum in puncto. Quia veró hypothesis repugnat ideó repugnat contactus sphæræ in puncto.

22. Ad quintum: nego antec: Ad eius probationem;ne:ma:si tēpus constat partibus diuisibilibus in infinitū,nihil est in tempore, quod ratione sui sit pręsens, quiá id,quod est pręsēs ratione sui, tempori repugnat,ęternitati nō repugnat; quæ est duratio indiuisibilis semper præsens, sicuti ergo dies hodierna itá est præsens, vt secundum vnam horam sit præsens,secundúm aliam non sit præsens, itá hora præsens itá est nobis præsens,vt secundam vnam partem sit præsens, secundam aliam non sit præsens: quod autem dico de hora, dico de qualibet parte horæ, quæ non potest itá esse præsens, vt designari non possint duæ partes, quarum vna sit præsens, alia non sit præsens. Quod si tempus constat partibus indiuisibilibus formaliter & diuisibilibus æquiualentrr, datur aliquid, quod ratione sui est præsens, non indè tamen sequitur dari instantia formaliter, & æquiualenter indiuisibilia, sed formaliter indiuisibilia, & æquiualenter diuisibilia. Ad confirmationem dico ex generatione formarum, quæ dicūtur produci in instanti,non

argui

argui existentiam instantis indiuisibilis, quod dicitur instans mathematicum, sed argui existentiam instantis diuisibilis, quod est instans physicum, siué momentum, in quo producuntur formæ, vel carentes partibus, vel non habentes contrarium, cum cæteræ formæ indigeant pluribus momentis, vt propagentur.

23. Ad vltimum: discrimen continui à contiguo optimè declaratur, siué ponantur, siuè non ponantur indiuisibilia, contigua enim sunt quorum extrema diuisibilia sunt simul; & continua sunt, quorum extrema diuisibilia vniuntur vnione diuisibili, ideo ex hoc capite non debent admitti indiuisibilia mathematica.

QVAESTIO III.

Vtrum in continuo sint infinitæ partes proportionales actu distinctæ.

1. OStensa repugnantia indiuisibilium, quæ componunt, & terminant continuum sequitur, quodlibet continuum componi ex partibus diuisibilibus, vel saltem ex partibus indiuisibilibus formaliter, & diuisibilibus æquiualenter. Vt autem huius sententiæ iudicium feratur, notandum est partes continui alias esse aliquotas, & æquales vni certæ, alias aliquantas, & proportionales: partes aliquotæ, & æquales vni certæ sunt partes determinatæ, quæ sunt tot, & non plures: partes aliquantæ, siuè proportionales sunt partes minores, & minores in infinitum, quæ sunt determinatæ, eo quod nunquam deueniri potest ad partem vltimam, facta enim quacumque determinata

nata diuisione necesse est esse possibilem aliam diuisionem, sicuti post quemcumque determinatẽ diem æternitatis, necesse est alium diem esse futurum; itá vnus palmus dicitur pars aliquota quantitatis centum palmorum, quia vnus palmus in hac quantitate centies continetur, adeoque vltra centesimum palmum alius palmus non superest: medietas verò est pars aliquantá, siuè proportionalis, quia sicuti in quantitate centum palmorum datur medietas, itá in hac medietate inuenitur alia medietas, & nulla datur medietas, in qua non inueniatur alia medietas: huiusmodi pars dicitur proportionalis, quia sicuti se habent quinquaginta palmi ad centum, ita se habent viginti quinque ad quinquaginta, & itá discurrendum est de aliis medietatibus. Huiusmodi partes proportionales esse infinitas dubium esse non potest, si continuum non constat ex indiuisibilibus, quia nulla est pars, quæ diuidi non possit in duas partes, si enim esset aliqua pars, quæ diuidi non posset in duas partes, ista pars, esset indiuisibilis, adeoque partes continui essent indiuisibiles. Non propterea sequitur quodlibet continuum esse æquale, etiamsi in quolibet continuo sint partes proportionales infinitæ: ratio est, quia æqualitas non attenditur secundùm partes proportionales, sed secundùm partes æquales vni certæ, quæ nimirum non sunt æquales in quolibet continuo, sed sunt plures in maiori, pauciores in minori, vt videre est in palmo, & bipalmo, licet enim palmus possit diuidi in medietates infinitas syncathegorematicé, sicuti bipalmus, non proindé tot sunt semipalmi in palmo, quot sunt in bipalmo.

2. Quæritur in præsenti an partes proportiona-

na-

nales, in quas continuum supponitur diuisibile finitè in infinitum, sint actu distinctæ, adeoque in quolibet continuo dentur actu infinitæ partes proportionales. Affirmant Nominales, nimirum Gregorius in secundó dist. 2 & qu. 2. Gabriel ibidem qu. 3. quibus accessere Conimbricenses, Hurtadus, & Fonseca.

3. Argumenta, quæ videntur suadere hanc sententiám, sunt primo. Continuum etiamsi habeat infinitas actu partes proportionales, ad huc potest pertransiri, túm quia partes æquales vni certæ sunt finitæ, tum quia sicuti sunt partes infinitæ in magnitudine, itá sunt partes infinitæ in qualibet temporis parte, ergo spatio vnius horæ continentis infinitas partes proportionales poterit pertransiri magnitudo habens infinitas partes proportionales.

4. Secundó. Vel continuum non potest diuidi in partes minores, & minores in infinitum, vel dantur in continuo partes minores, & minores: sed continuum potest diuidi, aliter partes continui essent indiuisibiles, ergo dantur partes minores, & minores: huiusmodi sunt infinitæ, quia sunt actu, & sunt non tot quin plures, ergo &c.

6. Tertió. Ideó dantur partes aliquotæ actu in continuo, quia continuum potest in eas diuidi: sed quælibet minima pars potest etiam diuidj in partes minores, siué proportionales, ergo in continuo dantur actu partes proportionales. Contra hanc sententiam.

6. Dico cum Aristotele, quem sequuntur plurimi recentiores: repugnat partes proportionales continui esse actu distinctas, adeoq; vel non dantur partes proportionales infinitæ, vel non sunt actu distinctæ.

7. Ratio est primò, quia repugnat infinitum actu;

actu; sed partes proportionales sunt infinitæ, ergò non possunt esse actu, ergo partes proportionales actu distinctæ repugnant. Secundò, quia infinitum non potest pertransiri, sed continuum potest pertransiri, ergo continuum non habet partes proportionales actu infinitas: tertiò quia si in continuo palmari essent actu infinita puncta mathematica, non posset deueniri ad finem huius continui, ergo si sunt in eodem partes proportionales actu infinitæ, non poterit ad finem deueniri, quælibet enim pars proportionalis est maior puncto mathematico.

8. Ad primum: nego antec: Ratio est, quia licet partes æquales vni certæ sint finitæ, continuum pertransiri non potest, si partes proportionales sunt actu infinitæ, cum necesse sit, vt mobile, quod pertransit aliquam magnitudinem, priús occupet partem antecedentem, quam consequentem, si ergo huiusmodi partes sunt infinitæ, quomodo poterit peruenire ad vltimam? Instantia de tempore composito ex infinitis partibus actu distinctis non soluit, sed auget difficultatem, quia hora, quæ habet partes proportionales actu infinitas, non potest tota transire, cum partes infinitæ, quarum vná antecedit aliam, omnes transire non possint.

9. Ad secundùm: dico iuxta duplicem sententiam de continuo esse respondendum; vel enim componitur ex punctis formaliter indiuisibilibus, & æquiualenter diuisibilibus, & argumentum non habet vim, quia partes proportionales finité in infinitum diuisibiles iuxta hanc sententiam, non dantur; vel componitur ex partibus minimis diuisibilibus finité in infinitum in partes minores, & minores: in hac sententia partes proportionales non sunt actuales, sed potentiales, adeòque non sunt actu; sed potentia distinctæ, cum eo modo sint di-

stin-

stinctæ, quo existunt, cum ergo existant potentia, non actu, sunt distinctæ solum potentia, non actu.

10. Ad tertium, dist: ma: ideò dantur partes aliquotæ præcisè, quia continuum potest in illas diuidi: nego ma: non præcisè: conc: ma: & min: & nego conseq. Ratio adæquata distinctionis actualis inter caput, & brachium, quæ sunt partes aliquotæ continui, non est præcisé separabilitas capitis à brachio, cum hæc non minus inueniatur in partibus proportionalibus, sed est separábilitas partium retinentium eandem actualitatem in statu sépárationis, ac in statu coniunctionis; brachium enim distinguitur actu à capite, quia separatū á capite non habet diuersam actualitatem, quàm habet vnitum capiti: contra veró pártes proportionales acquirunt actualitatem separatæ, quam non habent coniunctæ, indè est, quod separabilitas partium proportionalium non arguit actualem distinctionem. In hunc modum soluunt argumenta, qui censent omne continuum esse diuisibile in partes potentiales: de quá sententia dicam in qu. 4. Cæterum hoc argumentum non potest vrgere nisi sententiam, quæ docet continuum componi ex partibus formaliter diuisibilibus, sententiam enim docentem componi ex partibus æquiualenter diuisibilibus non vrget, vt est manifestum ex partibus æquiualenter diuisibilibus, vt patet.

**
*

QVÆ-

QVAESTIO IV.

Vtrum continuum constet ex partibus formaliter diuisibilibus in partes potentiales, non actuales.

1. EX illis sententijs, quas hucusque oppugnauimus circa naturam quantitatis continuæ, satis constat duos esse errores diligenter cauendos ab ijs, qui volunt soluere difficultatem propositam de partibus componentibus continuum: non minus enim hallucinantur illi Anthores, qui vt recedant à sententia Zenonis, docent in quolibet continuo esse partes infinitas actu distictas, quam illi, qui existimant vna cum Zenone partes continui esse indiuisibiles. Hinc nascitur maxima difficultas illius controuersiæ, quæ in præsenti agitatur de compositione continui, quia videtur necessarium, vt in vnum errorem incidat, qui alium cupit euitare, vt ostendo breui hoc dilemmate. Vel partes continui concedis esse diuisibiles, vel affirmas esse indiuisibiles. Si affirmas indiuisibiles, incidis in sententiam Zenonis euidenter falsam. Si concedis diuisibiles, cogeris admittere infinitas partes actu distinctas, adeòque in alium errorem offendis non minus detestabilem.

2. Hunc nodum conantur soluere quamplurimi recentiores, qui asserunt nullam esse necessitatem, vt sint actu distinctæ partes, quæ sunt actu separabiles, adeóque in ea sententia sunt, quod omnes partes continui sint formaliter diuisibiles in alias partes minores, & minores in infinitum, etiamsi non existant in continuo infinitæ partes,

par-

partes proportionales actu distinctæ. Huius modi Philosophi eodem pacto philosophantur de actuali distinctione earum partium, quæ componunt continuum, ac de reali separatione vnius partis ab alia, sicuti enim facta qualibet diuisione est possibilis alia diuisio, adeoque nunquam potest fieri, vt sint factæ omnes diuisiones possibiles, ita facta qualibet distinctione est possibilis ália distinctio, adeoque nunquam fieri potest, vt sint actu infinitæ partes distinctæ. Iuxta hanc sententiam in continuo tám permanente, quam successiuo nulla est pars, quæ non sit diuisibilis in alias partes, quia repugnat continuum constare ex partibus omninò indiuisibilibus; præterea in eodem continuo permanente, & successiuo non sunt actu infinitæ partes, quia diuisibilitas partium sicuti non infert possibiles diuisiones actu infinitas, ita non infert partes infinitas actu distinctas, illæ enim partes, in quas quodlibet continuum est semper diuisibile, sunt partes potentiales, non actuales, eo ferme pacto, quo diuisio vnius partis ab alia non est actualis, sed potentialis. Hinc est, quod singulæ partes ex illis centum, quæ componunt vnum palmum, vel vnam horam nullas habent partes actuales, sed solum habent partes potentiales, quæ possunt diuidi in alias partes minores, quæ propterea vocantur potentiales, non actuales, quia non sunt actu, sed possunt esse actu, eo modo, quo non sunt actu separatæ, sed possunt actu separari. Inter omnes Philosophos, qui sunt in hac sententia conuenit, in quolibet continuo partes proportionales esse potentiales, non veró actuales. De partibus æqualibus vnicertæ, quæ sunt partes non communicantes, non est eadem omnium opinio; alij enim opinantur idem iudicium esse ferendum de istis partibus, ac de partibue

tibus proportionalibus ob eamdem rationem, quæ vtrobique militat; quare huiusmodi Philosophi arbitrantur in nullo continuo esse partes actuales ante designationem, vel diuisionem, cum opus sit aliqua diuisione, vel designatione, vt aliæ partes, quæ erant potentiales euadant actuales. Hinc est nullam esse actualem distinctonem inter horas, quæ componunt diem, inter dies, qui componunt mensem, & inter menses, ex quibus constat annus: nulla est actualis distinctio, inter aquam Maris Adriatici, & aquam Maris Ligustici. Alij è contrario opinantur partes aliquotas, & æquales vnicertæ esse partes actuales & actu distinctas, partes vero proportionales esse potentiales non actuales. Iuxta hanc sententiam in quolibet continuo permanente sunt aliquæ partes certæ, & finitæ actu distinctæ, quæ vocantur minima physica: huiusmodi partes non possunt naturaliter diuidi in alias partes minores, & minores, quæ partes non sunt actuales, sed potentiales: eodem modo philosophantur huiusmodi Authores de tempore, siué continuo successiue, in quo dantur partes actu distinctæ ita exiguæ, vt non habeant alias partes actu distinctas, sed eas habere possint; huiusmodi partes vocantur momenta temporis, quæ habent nomen instantis physici, non mathematici, hoc enim repugnat.

3. Multa sunt argumenta, quæ possunt suadere partes potentiales, quæ componunt continuum semper diuisibile. Primó non repugnat existere totum actuale sine partibus actualibus, ergo non repugnat, vt continuum sit totum actu, etiam si non habeat partes actu distinctas, ergo non repugnat continuum componi ex partibus potentialibus, non actualibus, ergo nihil obstat quo minús continuum constet ex partibus formaliter diui-

fibilibus in partes potentiales. Antecedens probatur. totum diuifibile in partes potentiales eft totum actu fine partibus actu, fed non repugnat huiufmodi totum; cum nullum fit caput, vnde hoc totum repugnet, ergo, &c.

4. Secundó: Actualis feparabilitas non infert actualem diftinctionem, ergo non repugnat continuum componi ex partibus feparabilibus, quæ non funt actu diftinctæ. Confequentia eft euidens: Antecedens probatur, quia non omnis feparabilitas eft feparabilitas partium retinentium eamdem actualitatem, fed feparabilitas partium non retinentium eamdem actualitatem non infert actualem diftinctionem, ergo &c.

5. Tertiò: Diftinctio actualis fequitur actualitatem rei diftinctæ, quia illud folum eft actu diftinctum, quod actu eft; fed ante diuifionem, vel defignationem non funt actu partes in continuo: ergo neque funt partes actu diftinctæ. Minor probatur; tùm quia ante diuifionem continui non eft actualis negabilitas vnius partis de alia; tùmquia ad rationē partis fpectat negatio vlterioris extenfionis; fed ante diuifionem non datur huiufmodi negatio, hęc enim formaliffimé ponitur per ipfam diuifionē: ergo, &c.

6. Quartó: Non repugnat vt id, quod actu non habet partes æquiualeat partibus, quæ poffunt effe actu diftinctæ, fed id, quod caret partibus, & æquiualet partibus actu diftinctis, eft formaliter diuifibile in partes potentiales, non actuales: ergo non repugnat ens formaliter diuifibile in partes potentiales non actuales: ergo idem quod priùs. Maior eft certa: Minor probatur, quia ficuti mixtum componitur ex elementis, quæ non funt in mixto actu, fed potentia; ita quod non habet partes actu diftinctas, eft formaliter diuifibile.

7. Vlti-

7. Vltimo: non poteſt alio modo componi diuiſibilitas, quam eſt euidens eſſe in quolibet continuo, cum natura continui; niſi partes, quibus conſtat quantitas continua, ſint potentiales non actuales, ſi enim ſunt actuales vel continuum eſt ſemper diuiſibile, quod repugnat ex huc vſque demonſtratis, vel continuum non poteſt pertranſiri, quod etiam repugnat: ergo neceſſe eſt partes continui eſſe potentiales, non actuales.

8. Contra hanc ſententiam, quæ videtur fuiſſe Ariſtotelis, ſed falſo, vt inferius conſtabit, eamque ſequuntur recentiores.

9. Dico repugnare in terminis, vt quantitas continua conſtet ex partibus formaliter diuiſibilibus in alias partes potentiales, non actuales.

10. Ratio quæ mihi habuit ſemper perſuaſam falſitatem ſententiæ, quæ ait partes continui eſſe formaliter diuiſibiles in partes potentiales, eſt, quia huiuſmodi ſententia ſibi manifeſtè contradicit, affirmat enim exercitè, quod negat ſignatè, vt demonſtro. Dicere partes continui eſſe formaliter diuiſibiles in partes potentiales eſt negare ſignatè partes actuales, & eaſdem exercitè affirmare; ſed negare ſignatè, & affirmare exercitè partes actuales, eſt idem negare ſignatè, & ſimul affirmare exercitè: ergo dicere partes continui eſſe formaliter diuiſibiles in partes potentiales, eſt idem negare ſignatè, & ſimul affirmare exercitè, adeoque eſt ſibi contradicere; ſed hoc ipſum dicit hæc ſententia, ergo ſibi contradicit; adeòquoe eſt euidenter falſa. In hoc toto diſcurſu, qui eſt ſatis manifeſtus, neceſſe habeo probare maiorem propoſitionem, quæ fundatur in veritate huius principij apud me certiſſimi. Formalis diuiſibilitas infert eſſentialiter partes actuales, & actu diſtinctas; quo fit, vt ille,

 qui

qui affirmat formalem diuisibilitatem, affirmat exercitè actualem distinctionem partium, sicuti, qui affirmat Petrum esse hominem, exercité affirmat esse animal rationale; vnum enim ex alio sequitur. Quoniam verò de huius principij veritate dubitant, qui sunt in sententia contraria, an nimirum formalis diuisibilitas inferat essentialiter áctualem partium distinctionem; quod tamen videtur satis manifestum ex ipsa terminorum notione, iuuat rem veram, & apud me euidentem pluribus demonstrare, vt nimirum apud omnes constet, quod iudicium sit ferendum de illa sententia, quæ vt componat continuum, totam Metaphysicam euertit, eius quæ principia omnibus indubitata in dubium vocat.

11. Huius itaque principij véritas, in qua vertitur summa totius controuersiæ, nimirum *formalis diuisibilitas infert essentialiter actualem distinctionem partium*: demonstratur primo ex ipso formali conceptu formalis diuisibilitatis in hunc modum. Formalis diuisibilitas infert necessitate consequentiæ formalem compositionem: sed formalis compositio infert necessitate consequentiæ partes actu distinctas: ergo formalis diuisibilitas infert necessitate consequentiæ partes actu distinctas: ergo vbi est ista formalis diuisibilitas, ibi sunt actu partes actu distinctæ; sed singulæ partes continui habent actu formalem diuisibilitatem, vt constat ex ipsis Aduersarijs: ergo habent actu partes actu distinctas. Maior est euidens, quia tunc antecedens infert consequens; quando oppositum consequentis infert oppositum antecedentis; sed oppositum continentis infert oppositum antecedéntis, quia negatio compositionis est negatio diuisibilitatis; ideo anima rationalis, quæ non est composita, neque est

eſt diuiſibilis; idem dicendum de Angelis & potiori iure de *Deo*, qui ſummam habet ſimplicitatem, adeoque ſummam indiuiſibilitatem, quia carèt omni compoſitione: ergo antecedens infert conſequens; adeoque actualis, & formalis diuiſibilitas, quæ eſt antecedens, infert neceſſario neceſſitate conſequentiæ formalem, & actualem compoſitionem, quæ eſt conſequens. Quod autem actualis compoſitio inferat neceſſitate conſequentiæ partes actu diſtinctas eſt omnibus manifeſtum, qui nolunt in luce meridiana cæcutire, tùm quia non poteſt eſſe actu effectus formalis ſine cauſa formali: ergo non poteſt eſſe actualis compoſitio ſine vnione, quæ eſt cauſa formalis ipſius compoſiti; ſed non poteſt eſſe vnio ſine partibus actu diſtinctis, vt patet: ergo &c. tùm quia vbi non ſunt actu partes, ibi non eſt actualis compoſitio, ideò in rebus immaterialibus, in quibus non ſunt actu partes, non eſt actualis compoſitio; eſt igitur euidens formalem diuiſibilitatem non poſſe ſtare cum negatione partium actualium.

12. Demonſtratur ſecundo idem principium. Vel formalis diuiſibilitas infert partes actu diſtinctas; vel idem poteſt ſeparari á ſe ipſo; ſed idem non poteſt à ſe ipſo ſeparari, vt eſt notum doctis ſimul, & indoctis; alioquin idem poſſet eſſe ſimul, & non eſſe; anima enim quæ eſt ſeparabilis à corpore, poteſt exiſtere ſine corpore, adeoque ſi poſſet á ſe ipſa ſeparari, poſſet exiſtere ſine ſe ipſa, quod eſt idem formaliſſimé, ac exiſtere ſimul, & non exiſtere: ergo formalis diuiſibilitas infert partes actuales, & actu diſtinctas. Maior probatur, quia formalis diuiſibilitas non poteſt intelligi ſine formali ſeparabilitate; vel igitur formalis ſeparabilitas infert actualem diſtinctionem rerum ſeparabilium;

lium; vel idem potest á se ipso separari; si enim in parte minima continui, quam tu concedis actu diuisibilem, non agnoscis duas partes actuales inter se distinctas, debes necessario fateri idem á se ipso separari, quod manifesté repugnat.

13. Demonstratur tertio. Vbi non est formalis separabilitas, ibi non est formalis diuisibilitas; vbi autem non est actualis distinctio, ibi non est formalis separabilitas: ergo vbi non est actualis distinctio, ibi non est formalis diuisibilitas; sed in continuo non est actualis distinctio partium: ergo neque ést formalis diuisibilitas: ergo formalis diuisibilitas infert áctualem distinctionem, adeoque intelligere formalem distinctionem, & simul intelligere negationem actualis distinctionis est intelligere formalem diuisibilitatem, quæ nõ est formalis diuisibilitas, adeoque est intelligere chimæram. Maior est euidens. Minor probatur inductione in ijs rebus, inter quas constat non esse actualem distinctionem: anímalitas, & rationalitas, quæ constituunt hominem, non possunt vicissim separari, quia sunt vna & eadem res, carent enim actuali distinctione. Natura Diuina non potest á tribus Diuinis Personis seiungi, nec possunt é contrario tres Diuinæ Personæ á natura Diuina separari, quia inter naturam, & personam est realis identitas, quantum spectat ád Personas Diuinas. In eorum sententia, qui nullam agnoscunt realem distinctionem, inter substantiam intelligentem & intellectum, non potest intellectus ab intelligente separari, quia nulla est distinctio inter intellectum, & intelligentem: quia inter Diuinam cognitionem, & Deum nulla est realis distinctio, idcirco Deus non potest essé sine cognitione, est igitur manifestum

ſtum non poſſe ſtare cum identitate formalem ſeparabilitatem.

14. Demonſtratur quarto. Actualis ſeparabilitas eſt actualis diſtinctio; ſed nulla eſt pars continui, in qua non ſit actualis ſeparabilitas: ergo nulla eſt pars continui, in qua non ſit actualis diſtinctio: ergo nulla eſt pars continui, in qua nun ſint actu partes actu diſtinctæ. De veritate minoris propoſitionis non poſſunt dubitare Philoſophi contra quos pugnamus: hi enim docent nullam eſſe partem continui, quæ non ſit actu diuiſibilis in partes minores. Maior, quæ videtur ex terminis nota, conſtat túm ex noſtro tractatu, quem de identitate, & diſtinctione in Logica tradimus, vbi explicate docuimus nullum eſſe argumentum certius realis diſtinctionis ipſa ſeparabilitate, quia tametſi inſeparabilitas non inferat identitatem, ſeparabilitas infert realem diſtinctionem, túm quia actualis ſeparabilitas animæ á corpore eſt actualis diſtinctio animæ á corpore, fieri enim non poteſt, vt anima poſſit actu ſeparari á corpore, ſi actu non diſtinguitur á corpore: hinc actualis ſeparabilitas ſicuti infert ſeparationem, non actualem, ſed potentialem, ita è contrario infert diſtinctionem actualem, non potentialem; formalis igitur diuiſibilitas, quæ eſt in ſingulis partibus continui, non poteſt conſiſtere ſine actuali diſtinctione partium actualium.

15. Demonſtratur vltimo. Neceſſe eſt, vt illud, quod eſt formaliter diuiſibile, conſtet ex rebus actu diſtinctis: ergo formalis diuiſibilitas infert actualem diſtinctionem: ergo vel ſingulæ partes continui non ſunt formaliter diuiſibiles, vel in ſingulis partibus continui ſunt aliæ partes actuales: ergo &c. Antecedens probatur, ea quæ ſuſtinent actu prædicata contradictoria actu diſtinguuntur; ſed

illud quod est formaliter diuisibile constat ex partibus sustinentibus actu prædicata contradictoria; constat enim ex partibus, quarum vna potest esse sine alia, adeoque ex rebus, quarum vna non est alia: ergo continuum, quod est formaliter diuisibile, constat ex partibus actu distinctis.

16. Hæc argumenta adeo sunt perspicua, vt mirũ sit, quomodo potuerint Philosophi in sententiam descendere adeo pugnantem cum vno principio methaphysico, quod si non est verum, ignoro quid sit verum; videlicet actualem separabilitatem esse argumentũ actualis distinctionis. Quia tamen non est vnus, & simplex modus redarguedi sententiam falsam, ideo possumus pluribus modis falsam ostendere sententiam, quæ negat partes actuales in continuo. In primis diuidere continuum nihil est aliud, quam tollere vnionem vnius partis cum alia, tollere veró vnionem vnius partis cum alia non est ponere partes actu distinctas; sed est supponere partes actu distinctas: diuidere igitur continuum non est ponere partes actu distinctas: igitur in continuo sunt partes actu distinctæ ante omnem diuisionem, vel designationem. Deinde repugnat, vt duæ particulæ aquæ, quæ separatæ sunt áctu distinctæ, amittant actualem distinctionem, quando vicissim copulantur, quia distinctio vnius particulæ aquæ ab alia particula est identitas vnius particulæ cum se ipsa, vt alibi ostensum est; vna autem particula non amittit identitatem cum se ipsa, quando cum alia particula copulatur, alioquin vna gutta aquæ statim periret, quando coniungitur cum alia aquæ gutta, quod repugnat experientiæ & rationi, quæ nobis persuadet nullum medium esse efficacius ad conseruandam vnam particulam aquæ, quam coniunctionem cum alia

particula: ergo vna particula aquæ alteri copulatã non amittit distinctionem sui ab alia particula, licet amittat negationem vnionis. Quod autem manifestè constat in duabus aquæ particulis, locum habet in cæteris partibus, quantumuis minimis cuiuslibet continui, quæ possunt separari in duas partes: huiusmodi enim partes semel separatæ possunt iterum copulari, neque tamen copulatæ amittunt illam distinctionem, quam habebant separatæ.

17. Præterea: Vel in nullo continuo sunt partes actuales, vel in quolibet non sunt partes actuales; subest enim eadem ratio in omnibus, quia vnum perindè ac aliud est diuisibile; sed est aliquod continuum, in quo ante diuisionem sunt partes actu distinctæ, vt patet in vno ligno, quod igni proximum partim ardet, & partim non ardet: quis autem dicere audeat non esse actu distinctum lignum, quod incenditur, à ligno, quod non incenditur? in homine, in quo caput est actu distinctum à pedibus, quis enim adeo delirabit, vt dicat pedes esse caput? In aqua maris Adriatici, quæ actu est distincta ab aqua maris Ligustici; quis enim dicat Adriaticum mare nauigari ab homine sulcante aquam Ligusticam.

18. Actualis distinctio partium, quæ est satis manifesta in huiusmodi continuis permanentibus, longè euidentius demonstratur in continuo successiuo, nimirum in tempore, quia illa dies in qua olim mundus fuit conditus, nō est realiter hodierna dies, quæ in præsenti fluit, aliter verum esset mundum hodie fabricari; annus præteritus est reuera distinctus ab anno præsenti, idem dico de mense superiori, & de hoc mense, & de die hesterna, & hodierna; de hora prima, & hora vltima diei hodiernæ. Hæc omnia sine dubio sunt realiter di-

stin-

stincta, sed ista sunt partes continui successiui siue temporis: ergo partes continui successiui sunt actu distinctæ seclusa quacumque diuisione & designatione. Quod si dicas ante diuisionem, vel designationem, non esse horas, dies, menses & annos in tempore, sed solum esse vnam successionem temporis, vbi nullæ sunt partes, euidenter tibi contradicis, qui dicis hoc continuum esse successiuum diuisibile, & simul dicis carere partibus, quia non potest intelligi continuum successiuum, nisi intelligatur prius, & posterius, præsens, præteritum & futurum; sed hoc totum non potest intelligi sine actuali distinctione, quid enim est præsens nisi id, quod módo non fuit, & est, esse autem, & non esse vtique sunt actu distincta, ergo &c. Hoc argumentum apud me robustissimum euincit nullam esse partem continui sccessiui formaliter diuisibilem, in qua non inueniantur actu aliæ partes, quia singulæ partes continui successiui sunt formaliter diuisibiles, adeoque in ipsis inuenitur prius, & posterius, præsens, præteritum, & futurum, quæ omnia includunt actualem distinctionem.

19. Addo ad hæc omnia, continuum, quod est formaliter diuisibile, esse aliquod totum actuale: non potest autem consistere totum actuale sine partibus actu distinctis; igitur totum integrale, de quo hic disputatur, inuoluit partes integrales actu distinctas. Possem pluribus ostendere huius sententię apertam falsitatem, quæ, quantum ergo arbitror, est magis euidenter falsa, quam cæteræ hunc vsque oppugnatæ; sed in re adeo manifesta non vacat tempus terere; præsertim quia argumenta, quæ videntur confirmare hanc sententiam, eius infirmitatem ostendunt, vt mox patebit, cum soluere aggrediar rationes partis oppositæ, quæ non satis

distin-

distinguunt inter actualitatẽ distinctionis, & actualitatem separationis; ista enim est diuersa in partibus, cum separantur, quia ante diuisionem partes continui non habent hanc actualitatem, vt est manifestum, illa veró, siue actualitas distinctionis non est diuersa in partibus cum separantur, quia actualitas distinctionis est actualitas separabilitatis; sed hæc actualitas est eadem, siue separentur, siue non separentur partes: ergo est eadem actualitas distinctionis in statu separationis, ac in statu coniunctionis.

20. Ad primum: nego antec: quia sicuti repugnat constitutum sine constitutiuis, ita repugnat totum sine partibus, quæ constituunt ipsum totum: quare partes, quæ componunt totum actu, debent actu esse actualiter distinctæ, siue actualitate distinctionis, licet non debeant esse actuales actualitate separationis; quia non debent esse actu separatæ. Hinc est, quod potentialitas, quæ opponitur actualitati, debet esse duplex, sicuti est duplex actualitas, nimirum actualitas distinctionis, & actualitas diuisionis; ideo duplex est potentialitas, alia distinctionis, & alia diuisionis: neque vna debet cum alia confundi, sicuti facile confunditur in hac materia. Potentialitas diuisionis inuenitur in illis rebus, quæ componunt coninuum; quia continuum est totum actu diuisibile in partes actu distinctas; hinc patet quid sit dicendum ad probationem antecedentis: in forma distinguo maiorem: totum diuisibile in partes potentiales potentialitate diuisionis, est totum actu carens partibus actu: nego ma: potentialitate distinctionis, est totum carens partibus actu: conc: ma: & distin: min: non repugnat totum diuisibile in partes potentiales potentialitate diuisionis: conc: min: potentialitate distinctionis: nego min:

min:& conf. Ratio, cur repugnet totum actu diuisibile in partes potentiales potentialitate distinctionis est; quia repugnat totum, quod non est totum, & repugnat diuisibile, quod non est diuisibile.

21. Ad secundùm: est falsum antecedens, vt constat ex dictis. Ad eius probationem: dist: ma: non omnis separabilitas est separabilitas partium retinentium eamdem actualitatem distinctionis: nego ma: actualitatem diuisionis: conc: ma: & dist: mi: separabilitas partium non retinentium, eamdem actualitatem, actualitate diuisionis non infert actualem distinctionem: con:mi:actualitate distinctionis: nego suppositum mi:& conf. Mirum est, quod inueniantur Philosophi, qui existimant argumentum distinctionis actualis desumptum ex separabilitate partium posse eludi distinctione duplicis separabilitatis, quarum vna est separabilitas partium retinentium eamdem actualitatem, alia est separabilitas partium non retinentium eamdem actualitatem; argumentum enim dúm quærunt soluere, magis confirmant, & réddunt insolubile, vt ex tradita distinctione manifesté ostendo. Quid est, quod partes continui, dùm separantur, non retinent, vt inquis, éamdem actualitatem, quam priùs habebant? vnde nam habes non esse consequens, vt fuerint actu distinctæ partes, quæ actu separantur? An quiá post diuisionem sunt separatæ, quæ ante non erant separatæ, adeoque non habent eamdem actualitatem separationis; qua prius carebant? Hoc sine dubio est verissimum, quis enim dicat partes, quæ diuiduntur, ante diuisionem fuisse separatas? At quid deducis ex hac manifesta veritate? Identitatem ne, siué non distinctionem actualem partium ante earum separationem? ó mirabilem consequentiam: quasi

quaſi veró idem ſit non habere actualitatem diuiſionis, & non habere actualitatem diſtinctionis, atque adeo partes, quæ ſeparantur, & acquirunt actualitatem ſeparationis, acquirant etiám actualitatem diſtinctionis; deindé, vt aperté conſtet te tibi contradicere, qui mihi opponenti ſeparabilitatem reponis partes non retinētes eamdem actualitatem: quæro à te quandò anima diſſoluitur à corpore, an retineat eamdem actualitatem ſeparationis: vtique non retinet: quia prius non erat ſeparata; nunc verò eſt ſeparata. Non ne vides nullam eſſe ſeparabilitatem, quæ non inferat partes non retinentes eamdem actualitatem loquendo de actualitate diuiſionis? Nulla igitur ſeparabilitas inferet actualem diſtinctionem, ſi ſatis eſt ad non inferendam actualem diſtinctionem ſeparabilitas partium, quæ non retinent eamdem actualitatem: quod etiam apud te eſt falſum: an veró partes continui, dùm ſeparantur, nō retinet eamdem actualitatem diſtinctionis? At hoc eſt aperté falſum, quia cū retineāt eamdem actualitatem ſeparabilitatis, vt tu ipſe concedis, debes etiam idē concedere de actualitate diſtinctionis, quia actualitas ſeparabilitatis eſt actualitas diſtinctionis: quare vt conſtet argumentū á nobis formatū eſſe veriſſimum, & occludatur omnis aditus illud ſoluendi verbis apud me nihil ſignificātibus, opus eſt diſtinguere duplex eſſe, quod habent omnes partes ſiué componant continuum, ſiuè conſtituāt compoſitū eſſentiale, videlicet vnum intranſitiuum á ſingulis indiſtinctum, aliud tranſitiuum á ſingulis inadæquaté diſtinctum: quando huiuſmodi partes ſunt coniunctæ, habent vtrumque eſſe tranſitiuum, & intranſitiuum: quando ſeparantur amittunt eſſe tranſitiuum, quia non conſti-

tuunt

tuunt totum, retinent esse intransitiuum, quod non possunt perdere donec ipsæ perseuerant.

22. Ad tertium: est idem dicendum, quod ad secundúm diximus, eodem enim vtrumque reoluitur. Addo solam negationem vlterioris extensionis, quæ dicitur spectare ad naturam partis, & ponitur, quando partes separántur, pertinere ad naturam partis separatæ; hoc est partis habentis tantum esse intransitiuum, non verò ad naturam partis coniunctæ, adéoque habentis vtrumque esse: quod si velis dicere non esse eamdem illam rem, quæ extenditur vlterius, adeoque est simul cum alia re, ac rem, quæ non extenditur vlterius, adeoq; non est simul cum alia re, rem dicis euidentissimé falsam, quia anima est eadem in statu separátionis, ac in statu coniunctionis: vnus palmus ligni est idem siué separetur, siué non separetur ab alio palmo.

23. Ad quartum. Qui pártes potentiales ita intelligendas existimat, vt possint esse plures res, quibus vna pars continui æquiualeat, rectè sentit, quia cum nobis sentit, sed malè loquitur, quia vtitur vocibus, quæ sunt familiares authoribus, quos modo oppugnamus: sicuti igitur non est formaliter diuisibile, quod æquiualet pluribus rebus distinctis, ita continuum non est formaliter diuisibile in partes potentiales, quod enim æquiualet rebus distinctis non est formaliter diuisibile, vt constat ex terminis; debet igitur retineri legitimus sensus partium potentialium, quando sermo est de partibus, in quas continuum potest diuidi, non enim dicuntur potentiales, sicuti formæ dicuntur esse in potentia materiæ ante quam de materia educantur, quia huiusmodi formæ non habent aliud esse, nisi puré potentiale, adeoque veré producuntur, quando edu-

cun-

cuntur transeunt enim de statu possibilitatis ad statum actualitatis; hoc non potest cadere in partes continui si sunt diuisibiles, quia diuisio continui non est productio alicuius entitatis: sed solum est separatio vnius rei ab alia.

24. Ad vltimum. Etiam si nullus occurreret modus soluendæ difficultatis propositæ de compositione continui, non esset sapientis viri rem apertè falsam enunciare, satius enim duco á rebus incertis assensionem cohibere, quam falsum sentire, aut quod non satis est cognitum sine vlla dubitatione defendere. Cæterum nego aliam viam non superesse ad hunc nodum soluendum, vt mox constabit.

QVAESTIO V.

Vtrum continuum permanens constet ex partibus formaliter diuisibilibus & æquiualenter diuisibilibus.

1. VSurpandum mihi videtur, cum hanc quæstionem aggredior, vnde pendet natura continui, illud quod in secundó de natua Deorum Tullius asserere non dubitauit *facilius*, - quit, *de talibus rebus, quid non sentiam, quam quid sentiam, possem dicere; alienas siquidem sententias refellere facillimum est propriam statuere eamdemque stabilire arduum opus, & periculosum*. Sententiæ huc vsque oppugnatæ perspicué demonstrant non esse itá facile suam in hac re opinionem statuere, sicuti aliarum fundamenta conuellere, quia nihil occurrit, quod possimus in re præsenti dicere, & nobis non videatur contradicere, qui aliorum sen-

ten-

tentias acerrimis rationibus confutauimus. Quo enim vertemur? An ad partes indiuisibiles? At in Zenonis errorem labimur. An ad partes diuisibiles? At nobis occurrunt partes actuales, & potentiales validissimis argumentis à nobis hucusque oppugnatæ. Vt igitur in hac re dicam, quid ex animi sententia dicendnm censeam, ingenuè fateor nihil á me adhibendum, quod nullis vrgeatur difficultatibus; multo minus, quod sit euidenter verum: neque enim sum adeo temerarius, qui existimem nodum, quem omnes credidere insolubilem à me manifestè soluendum, vel in tanta opinionum varietate posse verum indubitanter attingi. Polliceor tamen nihil á me dicendum, quod repugnet veritatibus notissimis quales sunt iliæ, cum quibus pugnant aliorum sententiæ, nihil enim in re adeo incerta debet constitui, quod omni careat difficultate; satis est eas difficultates eludere, quæ in alijs sententijs eludi non possunt. Quare in hac materia sententiam dicam quam semper existimaui cum veritate magis consentientem;eamq,problematicé disputandam tradidi, cum alias Philosophiam docerem, veritate dissimulata magis, quam deserta: numquam enim licet verum deserere, aliquandò tamen licet, & libet verum dissimulare, quando nimirum est periculum, ne incurrat in plurimorum offensionem; quia tamen video alijs placuisse, quod olim mihi placuit, in præsenti veritatē reuelabo, quā iustis de causis olim subobscuré tradidi auditoribus meis.

2- Vt igitur ad rem nostram veniamus: huic difficultati soluendæ, quæ in continuo est maxima, viam nobis insternit Eminentissimus Cardinalis de Lugo, qui vna cum ingeniosissimis recentioribus olim docuit partes continui esse finitas, & actu

distin-

diſtinctas, neque in alias partes eſſe diuiſibiles; adeoque continuum componi ex partibus formaliter indiuiſibilibus: qua in re conuenit cum ſententia Zenonis: & æquiualenter diuiſibilibus, quod Zenoni contradicit. Nomine puncti formaliter indiuiſibilis, & æquiualenter diuiſibilis intelligitur punctum, quod nullas habens partes ſiué actuales, ſiué potentiales, occupat ſpatium diuiſibile, eò quod habet vbicationem æquiualentem duobus punctis exiſtentibus in loco minori, ſiué habentibus minorem vbicationem: fingamus enim exiſtere nunc aliquod punctum indiuiſibile occupans ſpatiũ diuiſibile, exempli gratia ſpatium vnius digiti, ſicuti Angelus, qui eſt indiuiſibilis occupat ſpatium diuiſibile; huiuſmodi punctum quare dicitur indiuiſibile formaliter? quia nimirum eſt vnum ens indiuiſum in ſe, & diuiſum á quocumque alio, quod conſtat ex pluribus vnitatibus quibus conſtat vnus palmus ligni; cur eſt diuiſibile æquiualenter? quia tantum ſpatij occupat, quantum occuparent duo puncta, quorum ſingula occuparent medietatem digiti: ſicuti vbicatio angelica eſt æquiualenter diuiſibilis, quia tantum ſpatij occupat quantum occupant corpora, quæ ſunt ipſi Angelo præſentia: hæc puncta hoc modo explicata ab imperito Philoſophorum vulgo ioco traducta vocantur inflata: quia tamen res non agitur verbis, ſed argumentis, non eſt cur, diutius in vocis intelligentia hæreamus rei naturam aſſecuti.

3. Notandum eſt pro huius ſententiæ, quæ debet magis illuſtrari, faciliori explicatione, eam eſſe rerum naturam, vt quo plus habent perfectionis, eo plus occupent loci; quod proportionali modo dicendum eſt de tempore. Hanc veritatem, quam demonſtrat á priori natura rei exiſtentis, quę

non poteſt abſolui ab omni loco, & tempore, cum neceſſe ſit, vt inter rem exiſtentem, & non exiſtentem illud interſit, quod res exiſtens alicubi, & aliquando exiſtit, res vero non exiſtens, nunquam, & nuſquam exiſtit: à poſteriori demõſtrat inductio; quæ oſtendit in rebus omnibus eo maiorem eſſe vbicationem, & durationem, quo maior eſt perfectio: Deus enim, qui eſt in ſummo perfectionis apice, eſt vbique ratione immenſitatis, & ſemper ratione æternitatis; Angeli, qui ſunt ſubſtantiæ ădæquaté immateriales occupant locum ampliorem, quam animæ rationales, quæ informant corpus, licet enim ſit indiuiſibilis tám Angelus, quám anima, eo quod carent partibus, nihilominus Angelus exigit occuparé maiorem locum, quam occupet anima: cum anima (loquor in ſtatu vnionis cum corpore, in quo ſtatu habet diuerſum modum exiſtendi, & operandi ab Angelo) tantum ſpatij debeat occupare, quantum occupat corpus informatum ab anima: Angelus veró, quia non eſt forma corporis ampliorem locum debet occupare: inter ipſos Angelos, quanto maior datur exceſſus in perfectione, tantò maior inuenitur exceſſus in occupando loco: adeoque Angeli perfectiores imitantur modo perfectiori immenſitatem diuinam, quare Deus cum ſit indiuiſibilis tantum occupat loci, quantum occupatur, & occupari poteſt à rebus omnibus, quæ exiſtunt, & poſſunt exiſtere: ità Angelus perfectior indiuiſibiliter occupat eum locum, quem occupare poſſunt duo Angeli imperfectiores. Præterea anima rationalis, quæ eſt longè perfectior omnibus formis materialibus, occupat locum maiorem, quam cæteræ formæ, quia illa eadem anima, quæ eſt in capite, eſt in pede, cum forma materialis, quæ informat vnam par-

partem materiæ, aliam non informet: inter formas materiales, quæ sunt nobiliores, occupant maiorem locum, quam ignobiliores, formæ; quæ habent vitam, maiorem occupant locum, quam formæ, quæ carent vita, quia illæ non possunt exercere suos actus in qualibet exigua parte, sicuti possunt istæ; cum enim ad vitam agendam necessaria sit multitudo organorum, consequens est, vt materia informata á forma viuente magis extendatur, quam materia informata a forma non viuente. Inter formas elementares, ex quarum mixtura generantur cæteræ formæ materiales, quæ sunt in mixtis, est perfectior forma ignis, vt potè magis actiua; huiusmodi formæ cæteris partibus debent occupare locū maiorem, quam forma terræ, forma aquæ, & forma aeris: indé est, quod ignis habet maiorem raritatem, quam cæterá elementa, vt demonstrabimus in libris de Ortu & interitu in tom. 3. quia maiorem occupat locum cæteris paribus, quam reliqua elementa. Id totum satis constat, dummodo cætera sint paria; quod iuuat iterum monere, ne quis mihi opponat solem, & alia id genus, quæ plus occupant loci, quam anima rationalis: quia dum confertur vna res cum alia relaté ad locum magis, vel minus angustum, debet ex vtraque parte accipi punctum indiuisibile; hinc est, quod punctum indiuisibile substantiæ solaris multò minorem implet locum, quam tota anima, quæ est vnica, & indiuisibilis, sicuti est vnicum & indiuisibile vnum punctum substantiæ solaris, & occupat totum corpus; si ergo vna substantia materialis confertur cum alia materiali, vnum punctum substantiæ nobilioris occupabit maiorem locum, quam vnum punctum substantiæ ignobilioris.

4. Ex hoc discursu, qui debet diligenter atten-

di, quia reddit probabilem à priori sententiam, quæ docet continuum componi ex punctis formaliter indiuisibilibus, & æquiualenter diuisibilibus, sequitur nullam esse rem, quæ occupet locum adeo exiguum, vt non possit alia minorem occupare. Ratio a priori est, quia nihil est adeo imperfectum, quo nihil possit esse imperfectius, sicuti enim repugnat creatura perfectissima, ita etiam repugnat creatura imperfectissima: sed ea est natura rei magis perfectæ, vt occupet locum maiorem, quam res minus perfecta, ergo nihil potest esse, quod occupet locum adeo exiguum, vt minorem non possit alia res ocupare. Infero vlterius non solum posse, sed etiam debere aliquam rem esse indiuisibilem formaliter, quin sit æquiualēter indiuisibilis: patet hæc consequentia explicatis terminis. Potest, & debet quælibet res esse vna, adeoque indiuisa in se, & diuisa à quolibet alio; id enim spectat ad conceptum formalem vnitatis; quia etiam si detur aliquod vnum vnitate compositionis, sicuti est corpus naturale, vel vnitate ordinis sicuti exercitus; necesse tamen est, vt illæ partes, quæ componunt hoc totum, habeant vnitatem propriam, propter quam sint indiuisæ in se, & diuisæ a quolibet alio; cum in omni multitudine necesse sit deuenire ad aliquam vnitatem, quæ magis vel minus multiplicata facit numerum maiorem, vel minorem: potest igitur, & debet quælibet res esse formaliter indiuisibilis: non propterea debet esse æquiualenter indiuisibilis: quia quælibet res debet occupare locum æquiualentem duplici loco occupando a duabus rebus habentibus minorem perfectiorem, cum res perfectior occupet locum maiorem, quam imperfectior, & nulla sit res adeo imperfecta, qua imperfectior dari non pos-

possit, vt fuit demonstratum, ergo &c.

5. Declarata, & demonstrata quantum demonstrari potest huiusmodi formali indiuisibilitate, & æquiualenti diuisibilitate, facile est ostendere quo modo componatur continuum permanens, de quo est sermo in hac quæst: Lignũ palmare, quod est continuum permanens, constat exempli gratia centum punctis actu distinctis materiæ informatæ forma ligni, quæ puncta cum habeant suam vnitatem, non possunt diuidi in alia puncta, sunt enim indiuisibilia formaliter: huiusmodi puncta occupant locum diuisibilem, non indiuisibilem, quia singula puncta sunt in loco per vbicationem indiuisibilem duplo maiorem illa vbicatione qua sunt in loco puncta materiæ informatæ forma duplo minus perfecta: huiusmodi puncta etiamsi nullas habeant partes, in quas possint vlterius diuidi, faciunt quantitatém continuam, & extensam, quia nimirum singula occupant locum diuisibilem, adeoque duo puncta possunt se tangere sine penetratione, cum penetratio non possit ibi contingere, vbi corpora non occupant eundem locum: punctum ergo indiuisibile, quod occupat spatium v. g. digitale potest tangere aliud punctum, cui est coniunctum secundùm vnam partem spatij; & non secundúm aliam; quatenus eius vbicatio æquiualet duabus vbicationibus minoribus, quæ si existerent, vna esset proxima, alia non esset proxima, adeoque hoc punctum tangit aliud punctum secundum se totum, sed non totaliter. Eodem modo discurrendum est de linea composita ex septem punctis, hæc enim potest diuidi in duas partes æquales, quia cum spatium a singulis punctis occupatum sit diuisibile, fieri potest, vt

ſpatium, quod occupant quatuor puncta ſit æquale ſpatio, quod occupant tria puncta. Præterea redditur ratio, quare mobile duplo velocius æquali tempore percurrat ſpatium duplo maius, quam mobile tardius, quia ſpatium, quod occupatur à puncto indiuiſibili, eſt diuiſibile; fieri ergo poteſt, vt mobile tardius non occupet totum ſpatium ab vno puncto occupatum, quando illud occupat mobile velocius, adeoque omnia argumenta, quæ in ſententia Zenonis non poſſunt ſolui, in hac ſententia facillimè ſoluuntur, quod eſt certum argumentum ipſius veritatis.

6. Hinc patet veritas huius ſententiæ, quam hic ſequimur de partibus continui permanentis, quæ ſunt puncta formaliter indiuiſibilia, & æquiualenter diuiſibilia, euadit enim ſcopulos inſuparabilium difficultatum, in quos offendit vtraque ſententia, tam Zenonis, qui docuit partes continui eſſe indiuiſibiles formaliter, & æquiualenter, quam eorum, qui docent partes continui eſſe formaliter diuiſibiles. Reliquum eſt, vt ſoluamus argumenta, quæ poſſunt proponi, tum ex capite entis materialis, tum ex capite ſpatij diuiſibilis occupati à puncto indiuiſibili, ad hanc ſententiam oppugnandam, ea enim conducunt ad meliorem eiuſdem intelligentiam.

7. Arguitur primò: Sententia, quæ docet componi continuum ex punctis æquiualenter diuiſibilibus, ponit partes potentiales in ſpatio, quas negat in continuo, ergo falſa. Antecedens probatur, punctum æquiualenter diuiſibile eſt formaliſſimè punctum, quod occupat ſpatium diuiſibile; ſed ſpatium diuiſibile habet partes potentiales, ſicuti continuum diuiſibile, ergo &c. Confirmatur, quia iuxta ſententiam, quæ docet in continuo eſſe par-

tes

tes potentiales, quælibet minima pars æquiualet duabus medietatibus potentialibus non actualibus; ſicuti iuxta ſententiam docentem puncta æquiualenter diuiſibilia, vbicatio cuiuslibet pūcti ęquiualet duabus vbicationibus potentialibus, non actualibus.

8. Secundò: continuum eſt diuiſibile, ſicuti eſt diuiſibile ſpatium, quod occupat: ſed hoc eſt ſemper diuiſibile, ergo partes continui, vel ſunt formaliter diuiſibiles, vel æquiualenter indiuiſibiles. Maior probatur, quia ſicuti eſt diuiſibile ſpatium occupatum á palmo in duplex ſpatium ſemipalmare, itá palmus eſt diuiſibilis in duos ſemipalmos, ergo ſi ſpatium digitale occupatum ab vna parte continui eſt diuiſibile in duas medietates, etiam pars continui erit diuiſibilis.

9. Tertió. Punctum indiuiſibile, quod occupat ſpatium diuiſibile, debet eſſe totum in toto, & totum in qualibet eius parte: ſed repugnat continuū componi ex punctis, quæ ſunt tota in toto, & tota in qualibet parte ſpatij, ergo &c. Ma: eſt euidens, quia punctum indiuiſibile caret partibus, adeoque ſi occupat ſpatium diuiſibile, eſt totum in toto, & totum in qualibet eius parte. Maior probatur, quia eſſe in loco per præſentiam definitiuam eſt proprium rerum immaterialium, adeoque non poteſt conuenire huiuſmodi punctis, quæ ſunt materialia.

10. Quartò. Lignum palmare non poteſt naturaliter eſſe totum in toto, & totum in qualibet parte ſpatij, ergo nulla pars, quæ componit hoc lignum poteſt naturaliter eſſe tota in toto, & tota in qualibet ſpatij parte. Conſequentia probatur. Ideó lignum palmare non poteſt, quia eſt quantum: ſed quælibet pars ligni eſt quanta, cum ſit materialis ergo &c.

11. Quintó. Præsentia rei immaterialis est diuersa á præsentia rei materialis; sed res immaterialis est tota in toto, & tota in qualibet parte spatij; ergo res materialis non est tota in toto, & tota in qualibet parte spatij: sed nulla est pars continui, quæ non sit materialis, ergo &c. Confirmatur, quia si continuum constat huiusmodi punctis, poterit vnũ punctum existere separatum á cæteris punctis: sed huiusmodi punctum est materiale: ergo aliquod materiale potest existere totum in toto, & totum in qualibet parte spatij, sicuti Angelus, & Christus in Eucharistia, quod videtur repugnare.

12. Sexto. Est euidens lumine naturæ, totum cœlum non esse vnicum punctum materiæ cælestis occupans indiuisibiliter totum illud spatium, quod videmus á cœlo occupari: ergo est euidens naturæ lumine rem materialem non esse totam in toto, & totam in qualibet parte spatij. Consequentia probatur, quia si hoc non esset euidens, possemus dubitare, an cœlum sit vnicum punctum occupans totum hoc spatium: consequens est euidenter falsum, ergo & antecedens. Idem argumentum, quod in corporibus cœlestibus est valdè plausibile, locum habet in cæteris corporibus.

13. Respondetur. Ad primum: nego antecedens. Ad eius probationem: concedo maiorem: & nego minorem. Ratio est, quia continuum diuisibile formaliter, æquiualet duabus partibus diuisis, quæ constituunt ipsum continuum; punctum verò æquiualenter diuisibile æquiualet duabus vbicationibus, quæ nullatenus ipsum constituunt. Cæterum ex æquiualentia vnius rei respectu duarum rerum non inferri eam potentialitatem, quam agnoscunt in continuo semper diuisibili authores sententiæ contrariæ, est manifestum, quia

res perfectior æquiualet duabus perfectionibus sine aliqua necessitate ponendi partes potentiales, itá immensitas diuina æquiualet omnibus vbicationibus, & tamen quis dicat esse partes potentiales in hac Dei immenbtate? Hinc patet ad confirmationem, quæ laborat æquiuocatione fundata in hoc termino *æquiualet* cum longé diuersus sit modus æquiualendi, quo punctum indiuisibile æquiualet vbicationibus minoribus, ac pars diuisibilis æquiualeat partibus minoribus diuisis, huiusmodi enim partes ante diuisionem debent esse in illa parte, itá vt post diuisionem sint actu distinctæ, cum antea essent actu indistinctæ, quod prorsus est in intelligibile; vbicationes veró minores quibus æquiualet punctum indiuisibile, nullatenus sunt, quando est punctum indiuisibile. Ratio á priori est, quia formalis diuisibilitas debet continere ante diuisionem vnita, adeoque distincta, quæ post diuisionem sunt separata, quod non potest contingere in re æquiualenter diuisibili, si legitima huius vocis intelligentia retineatur, cum nihil aliud significet, quam duplicem vbicationem possibilem, cui æquiualet vbicatio æquiualenter diuisibilis. At hoc punctum æquiualenter diuisibile non est in spatio formaliter diuisibili, si occupat spatium, quòd supponitur digitale: dico hac super re non posse instituí nisi quæstionem de voce: certum est punctum cárere partibus, & non esse vbicatum per vbicationem compositam, ex pluribus vbicationibus, habet enim vbicationem indiuisibilem. Certum præterea est vbicationem, quam haberet aliud punctum possibile duplo imperfectius esse duplo minorem vbicatione huiusmodi puncti. Hinc est, quod si intelligatur nomine spatij formaliter diuisibilis vna vbicatio affixa spatio imaginario cui pos-

sunt

ſunt eſſe affixæ plures vbicationes poſſibiles verum eſt huiuſmodi punctum eſſe in ſpatio formaliter diuiſibili, quod ſi aliud intelligatur, quod videtur ab arguente intelligi, eſt falſum eſſe in ſpatio diuiſibili.

14. Ad ſecundùm: nego maiorem loquendo de continentia ſecundum ſingulas partes, quibus conſtat, quia iſtæ poſſunt occupare ſpatium diuiſibile, licet ſint indiuiſibiles, poſſunt enim occupare ſpatium æquiualens duabus vbicationibus poſſibilibus. Ad probationem maioris: concedo antecedens, & nego conſequentiam. Æquiuocatio conſiſtit in tranſitu á partibus continui, quæ ſingillatim faciunt continuum minus ad partes continui, quæ ſingillatim nullum faciunt continuum, illæ ſunt formaliter diuiſibiles, adeoque conſtant partibus actu diſtinctis, quia ſingulæ habent tot vbicationes diſtinctas, quot dantur partes, iſtæ ſunt formaliter indiuiſibiles, adeoque ſicuti non habent partes actu diſtinctas, itá neque habent vbicationes diſtinctas, licet habeant vbicationem æquiualentem vbicationibus minoribus: Deus enim poteſt producere duas res, quæ tantum ſpatij occupent, quantum occupant ſingulæ.

15. Ad tertium: conc. maiorem, & nego minorem: eſſe totum in qualibet parte ſpatij conuenit rebus habentibus extenſionem, ſiue non habentibus partes, quidquid ſit an habeant, vel non habeant materialitatem: itá in ſententia Thomiſtarum anima leonis licet materialis, quia indiuiſibilis, eſt tota in toto, & tota in qualibet parte corporis: indè eſt, quod huiuſmodi puncta etiam ſi ſint materialia, debent eſſe tota in toto, & tota in qualibet parte, cum partibus careant.

16. Ad quartum: concedo antecedens, & nego

go consequentiam. Ad probationem: concedo maiorem, & distinguo minorem: quælibet pars continui est quanta quantitate impenetrabilitatis: concedo minorem: quantitate extensionis iterum distinguo: est quanta intransitiué: nego minorem: transitiué concedo minorem, & nego consequentiam. Esse quantum quantitate extensionis, de quâ in præsenti est sermo, est formalissimè esse extensum, ideò quælibet res eo modo est quanta, quo est extensa, singulæ partes continui, quæ nimirum sunt puncta formaliter indiuisibilia, sunt in se indiuisa, quia non habent partes, & per consequens non sunt quantæ in se siuè intransitiué, sicuti est quantum totum continuum; quia verò componunt intrinsecé continuum, sunt enim partes continui, ideó sunt quantæ transitiué; quia se ipsas exhibendo constiuunt magnitudinem quantam, sicuti partes compositi essentialis sunt compositę intransitiué, quia transeunt in compositum; indè est quod ad componendam materialitatem cum indiuisibilitate, satis est vt partes sint quantæ ratione totius, adeoque diuisibiles transitiuè, quatenus debent facere totum quantum, extensum, & diuisibile: cæterum non est dubium, quin singulæ partes continui sint quantæ quantitate impenetrabilitatis, quia in singulis partibus materiæ sunt singula puncta quantitatis, quæ est ipsa formalis impenetrabilitas, vt dicam in lib. de Ortu, & interitu tomo 3.

17. Ad quintum: concedo maiorem, & distinguo minorem: ens immateriale habet præsentiam definitiuam transitiué, & intransitiuè: concedo minorem: intransitiuè tantum: nego minorem, & distinguo consequens: ens materiale non est in loco per præsentiam definitiuam transitiué, & intransitiué: concedo cousequentiam: intransitiuè tantum:

tùm: nego consequentiam. Hoc argumentum petit discrimen rei materialis ab immateriali, si punctum immateriale potest indiuisibiliter occupare locum diuisibilem: hoc autem discrimen est euidentissimum; si rectè intelligatur tradita distinctio, quam in nostra philosophia sæpius tradidimus. Ens immateriale hoc est Angelus, est totum in toto, & totum in qualibet parte spatij non solum intransitiuè, sed etiam transitiuè; quia nimirum non potest esse pars alicuius compositi existentis in loco circumscriptiuè. Hinc Christus in Eucharistia existit modo immateriali, quia ibi existit, sicuti existit Angelus in loco. Hoc non contingit enti materiali, nimirum punctis continui, quæ licet intransitiuè sint tota in toto, & tota in qualibet parte spatij, non sunt transitiuè tota in toto, & tota in qualibet parte spátij, quia sunt, & debent esse partes compositi, nimirum continui, quod non est totum in toto, & totum in qualibet parte spatij. Ratio á priori, quæ veritatem nostræ sententiæ reddit summè probabilem; est, quiá debemus discurrere de partibus continui; sicuti de partibus compositi, quemadmodum enim pàrtes compositi, quæ sunt substantiæ simplices incompletæ, non possunt existere, nisi constituant ens completum, quod est finis á natura intentus, adeoque nisi existant non solum intransitiuè, sed etiam transitiuè, itá partes continui, quæ debent esse materiales, non possunt existerè nisi constituant totum integrale, siue continuum: inde est, quod huiusmodi partes licet indiuisibiles, ádeoque occupantes definitiuè spatium diuisibile, non sunt immateriales, neque habentes vbicationem immaterialem, quia non possunt naturaliter existere, nisi habeant mutuam vnionem, adeoque efficiant quantitatem occupantem

têm circumscriptiue spatium diuisibile: hoc non contingit animæ rationali, quæ transit in substantiam materialem, adeoque diuisibilem, quando corpori coniungitur, quia pôtest existere materialiter à corpore separata. Hinc patet ad confirmationem, quæ laborat falso supposito: quod si vnum punctum (quod virtute diuina potest contingere) ab alio separetur, id non obstat eius materialitati, sicuti non obstat formæ materiali eiusdem existentia diuinitus separata á materiá, exemplo enim partium, quæ componunt compositnm essentiale, debemus vti ad omnia argumenta infirmanda, quibus aduersarij probant obstare materialitati partium continui indiuisibilitatem, quemadmodum enim forma substantialis est materialis, etiamsi careat illa compositione physicá, & essentiali, quam habet corpus naturale, quod essentialiter constat ex matesia, & forma, itá quælibet pars continui est materialis, etiamsi non sit diuisibilis, sicuti est diuisibile totum continuum: ratio est eadem vtrobique; quia forma substantialis est pars substantiæ compositæ, & singulæ partes continui sunt partes quantitatis formaliter diuisibilis.

18. Ad vltimum: conc: ma: & nego mi: Est euidens euidentia physica cœlum non esse vnum punctum formaliter indiuisibile, & æquiualenter diuisibile, quia euidens est esse materiale, & sensibile, quod euidens est esse diuisibile formaliter trãsitiue, vel intransitiue transitiue sicuti punctum, intransitiue sicuti totum, quod est formaliter diuisibile in tot partes, quot sunt puncta quibus componitur: hinc est, quod quicumque videt cœlum, vel aliud corpus, quod non est pars alterius corpoporis, cognoscit euidenter non esse vnum punctum æquiualenter diuisibile, quia euidenter cognoscit

hanc

hanc esse prærogatiuam rerum immaterialium, videlicet indiuisibiles possint existere separatæ á quocumque alio ente. Ratio huius euidentiæ debet peti ex discursu quo S. Thomas philosophatur circa gradns inæquales perfectionum existentium in rebus. Euidens est res perfectiores habere esse magis simplex; quàm minus perfectas, vt demonstrat inductio, quæ ab infimo ente nimirum á materia ascendit vsque ad supremum, nimirum Deum, vbi sunt indistinctè, adeoque simplicissime perfectiones diuisæ in rebus creatis, ens ergo immateriale cum sit perfectius materiali; necesse est vt habeat simplicius totum illud esse, quod minori cum simplicitate habent res materiales: inde est res materiales non esse completas, nisi sint compositæ: contra res immateriales esse completas etiam si non constent ex materia & forma: est igitur euidens rem immaterialem posse naturaliter esse, etiamsi non habeat vbicationem compositam ex pluribus vbicationibus, rem materialem non posse, quia debet habere cum defectu simplicitatis illam perfectionem, quam habet res materialis sine defectu simplicitatis.

QVAESTIO VI.

Vtrum continuum successiuum constet punctis indiuisibilibus formaliter, & diuisibilibus æquiualenter.

1. QVi cum nobis opinantur continuum permanens componi ex huiusmodi punctis nolunt eamdem sententiam ferre de continuo successiuo, eos enim deterret, quantum possum intelligere,

gere,

gere, duratio indiuisibilis permanens, quam rebus creatis repugnantem ostendimus in disp. 15. qu. 3. num. 9. An hæc sequatur, est dubium, si enim sequitur manifestum est non posse continuum successiuum constare huiusmodi punctis indiuisibilibus, cum illud non sit verum cui repugnat verum.

2. Ratio igitur in hac re dubitandi est, primò Duratio formaliter indiuisibilis, & æquiualenter diuisibilis, est duratio indiuisibilis permanens, sed repugnat rei creatæ hæc duratio, ergo etiam repugnabit duratio indiuisibilis formaliter, & diuisibilis æquiualenter, ergo continuum succesiuū non constat huiusmodi punctis. Ma: prob: quia duratio horaria coexistens duabus partibus componentibus horam, est duratio indiuisibilis permanens, æquiualet enim duabus partibus horæ, ergo duratio formaliter indiuisibilis, & æquiualenter diuisibilis est duratio indiuisibilis permanens.

3. Secundò: duratio coexistens duabus durationibus succesiue existentibus est duratio indiuisibilis, & permanens, sed duratio formaliter indiuisibilis, & æquiualenter diuisibilis coexistit duabus durationibus succesiuè existentibus, quia tantum temporis occupat, quantum occuparent duæ durationes minus perfectæ, quarum vna flueret post aliam, ergo &c.

4. Tertiò. Æternitas diuina, quæ est duratio indiuisibilis, & permanens eam ob rem est permanens, quia coexistit pluribus durationibus succesiuè fluentibus, etiamsi huiusmodi durationes non sint mensura propria diuinæ substantiæ, ergo non est necesse, vt duratio permanens coexistat duabus durationibus succesiue fluentibus, quæ sunt mensura rei durantis.

5. Quartò. Duratio coexistens duobus instantibus

tibus successiue fluentibus, existit, quando fluit vtrumq; instans, quia vtrique indiuisibiliter coexistit; sed duratio, quæ existit, quando fluit duplex instans, est duratio permanens: ergo duratio coexistens duobus instantibus successiue fluentibus est permanens. Minor probatur. Quidquid est, & non primo est, habet esse permanens; sed illa res, quæ durat per huiusmodi durationem, fluente secundo instanti, est, & non primo est, quia immediaté ante fuit, ergo &c. ergo non primo est, adeoque habet durationem permanentem.

6. Quintó. Ex duratione indiuisibili formaliter, & diuisibili æquiualenter sequitur essentialis indefectibilitas: ergo sequitur duratio indiuisibilis, & permanens. Antecedens probatur, quia res, quæ habet durationem indiuisibilem æquiualentem duabus minoribus successiue fluentibus habet Metaphysicam necessitatem occupandi totum illud tempus, in quo existerent durationes successiue fluentes.

7. Vltimo: huiusmodi necessitas non est impossibilitas existendi simul, & non existendi, quæ non arguit essentialem indefectibilitatem: ergo est essentialis indefectibilitas. Antecedens probatur, quia huiusmodi necessitas est Metaphysica necessitas coexistendi duobus instantibus, ergo &c.

8. Hæc sunt argumenta, quæ aliquibus Philosophis visa sunt adeo valida, vt partes formaliter indiuisibiles, & æquiualenter diuisibiles, quas recognoscunt in continuo permanente, non velint recognoscere in successiuo; sed omninò immeritó, & eorum pace dixerim, aperté sibi contradicunt, incidunt enim in eumdem scopulum, quem volunt declinare, quia non possunt huiusmodi partes poni in continuo permanente, quin simul ponantur in successiuo

ces-

cessiuo, vt breui demonstro. Motus localis est continuum successiuum; sed huiusmodi motus debet constare partibus indiuisibilibus formaliter, & diuisibilibus æquiualenter, si partes quæ componunt continuum permanens, sunt formaliter indiuisibiles, & æquiualenter diuisibiles: ergo vel vtrumque, vel neutrum constat partibus indiuisibilibus formaliter, & diuisibilibus æquiualenter. Minor patet, quia motus constat actionibus producentibus vbicationes fluentes, atque adeo si quis moueatur per spatium quatuor punctorum, motus, quo conficitur huiusmodi spatium, cõstat quatuor actionibus, quæ producunt quatuor vbicationes fluentes formaliter indiuisibiles, & diuisibiles æquiualenter, sed singulæ actiones sunt formaliter indiuisibiles, & æquiualenter diuisibiles, æquiualent enim duabus actionibus successiue fluentibus, quæ producerent vbicationes minores successiue fluentes; ergo illæ partes, quæ constituunt motum localem sunt indiuisibiles formaliter, quia carent partibus, & diuisibiles æquiualenter, quia æquiualent duabus partibus minoribus, quarum vna præcederet, alia succederet, si mobile acquireret duas vbicationes successiue fluentes, quibus æquiualent singulæ vbicationes, quas acquirit in singulis instantibus, in quibus mouetur per spatium diuisibile, ergo, &c. Idem argumentum vrgeri potest in ipsis vbicationibus fluentibus, quarum singulæ æquiualent vbicationibus minoribus successiue fluentibus: igitur continuum successiuum constat ex partibus indiuisibilibus formaliter, & diuisibilibus æquiualenter, si continuum permanens huiusmodi partibus componitur. Addo non posse explicari, quomodo vnum punctum temporis æquiualenter indiuisibile sit proximum alteri puncto, & cum ipso com-

ponat rem extensam si est indiuisibile, & non occupat tempus imaginarium diuisibile, sicuti punctum indiuisibile, quod non est in loco imaginario diuisibili, non potest cum alio puncto constituere quantitatem continuam. Addo, quod vel nullum continuum successiuum, vel omne continuum successiuum constat partibus indiuisibilibus formaliter, & diuisibilibus æquiualenter; quia si motus constat huiusmodi partibus, cur non constabit eisdem partibus tempus? Si enim æquiualentia rebus successiue fluentibus non ponit permanentiam in partibus, quæ componunt motum, cur eam ponet in partibus, quæ componunt tempus? necessitas coexistendi duabus rebus successiue fluentibus inuenitur in partibus motus æquiualenter diuisibilibus, ac in partibus temporis æquiualenter diuisibilibus, sicuti enim non potest non existere vnum instans æquiualenter diuisibile, quando fluunt duo instantia, quibus æquiualet, ita non potest non existere pars motus æquiualenter diuisibilis, quando fluunt duæ partes minores, quibus æquiualet; adeoque non satis intelligo, quare ex huiusmodi partibus, quæ componunt motum, non sequatur creatura essentialiter indefectibilis, quæ sequitur ex partibus diuisibilibus æquiualenter; quæ componunt tempus. Præterea fuit Aristoteli certum, & omnium ætatum opinione confirmatum, adeoque non potest in dubium verti, quod enim omnibus videtur, est verum, nimirum tempus, & quodlibet continuum fluens esse perinde diuisibile, ac permanens, vnum enim ab altero eatenus discrepat, quatenus in continuo permanenti partes simul existunt, secus in successiuo. Hinc illi Authores, qui solum continuum permanens volunt componi punctis æquiualenter indiuisibilibus, non satis sibi con-

stant,

stant, quod est in philosophando deterrimum.

9. Nostra igitur in hac re sententia est continuum successiuum constare ex punctis indiuisibilibus formaliter, & diuisibilibus æquiualenter. Ratio huius sententiæ est manifesta, tùm quia sicuti repugnat in genere loci aliquis locus adeo exiguus, vt non possit minor existere, ita in genere temporis repugnat duratio adeo modica, vt minor inueniri non possit, nihil enim est ita imperfectum, vt non possit aliquid imperfectius existere; spectat autem ad naturam rei minús perfectæ occupare locum minorem, & tempus minus, quam occupat res magis perfecta: tùm etiam quia necesse est aliquod continuum successiuum, nimirum motum constare partibus æquiualenter diuisibilibus, si spatium, quod conficitur, constat huiusmodi punctis, vt fuit hucusque demonstratum. Hinc sequitur partes, quæ componunt durationem horariam, esse centum exempli gratia instantia formaliter indiuisibilia, & æquiualenter diuisibilia, æquiualent enim duobus instantibus minus perfectis successiue fluentibus, quibus coexistunt, eo ferme pacto, quo vbicatio æquiualenter diuisibilis tantum spatij occupat, quantum occupant duæ vbicationes, quibus æquiualent. Quemadmodum ergo puncta continui permanentis sunt intransitiuè indiuisibilia, & transitiuè diuisibilia (sermo est in præsenti de formali diuisibilitate) sunt enim partes continui, adeoque partes vbicationis formaliter diuisibilis; ita puncta continui successiui intransitiuè indiuisibilia sunt transitiuè diuisibilia, atque adeo partes, quibus constat qualibet duratio creata, sunt quidem indiuisibiles, sed non sunt permaentes, quia constituunt rem diuisibilem successiuè fluentem. Ex qua doctrina habes illas durationes, quæ com-

ponunt durationem creatam, multum discrepare á duratione indiuisibili permanente, licet sint indiuisibiles formaliter, & æquiualenter diuisibiles; ratio est, quia istæ sunt diuisibiles transitiué, quod non conuenit durationi permanenti, quæ est duratio Diuina: sicuti enim vbicatio, quæ est transitiué diuisibilis, est causa, cur vbicatio materialis tametsi indiuisibilis intransitiué, differat ab immateriali, vt ostensum fuit in quæstione superiori, ita duratio diuisibilis transitiué est causa, cur duratio creata licet intransitiué indiuisibilis differat ab increata, adeoque á duratione permanente. Quare cum nomine durationis indiuisibilis permanentis intelligamus durationem transitiué, & intransitiué indiuisibilem; qualis est duratio Diuina; manifestum est, non sequi ex duratione æquiualenter diuisibili durationem permanentem indiuisibilem. Vt autem possis facile soluere, quæ nobis fuerunt opposita, notare débes, non omnem durationem æquiualentem durationibus minoribus, quibus potest coexistere, esse permanentem, quia duratio indiuisibilis transitiué, & intransitiué, quæ est duratio permanens, & duratio transitiué diuisibilis, quæ est duratio successiua, conueniunt in hac ratione abstractissima durationis coexistentis durationibus minoribus, eo pacto, quo non omne principium sentiendi est homo, quia homo, & non homo conueniunt in hac ratione abstractissima animalis: quid igitur est necessarium, vt duratio indiuisibilis sit permanens, si æquiualentia durationibus minoribus successiué fluentibus non sufficit? est necessarium, vt coexistat pluribus durationibus, quarum singulæ sunt mensura propria rei durantis, adeoque instantia propria eiusdem rei durantis. Hanc veritatem necesse habeo demonstrare: in hac

enim

enim re vertitur summa totius controuersiæ.

10. Mensura propria durationis Angelicæ est vnum instans Angelicum: mensura propria durationis humanæ est vnicum instans naturæ humanæ: eodem modo philosophandum de quacumque duratione, sicuti enim vnitas, quæ est principium numeri est mensura propria totius numeri, quia vnitas multiplicata adæquat totum numerum, ita vnum instans, quod est principium durationis humanæ, est mensura propria eiusdem, quia hoc instans multiplicatum adæquat totam humanam durationem. In rebus diuersis sunt etiam diuersæ huiusmodi mensuræ, diuersarum enim rerum diuersa sunt instantia, quia instans rei perfectioris est perfectius, quam instans rei minus perfectæ, sicuti locus puncti perfectioris est perfectior loco puncti imperfectioris, vt dictum est in quæstione præcedenti. Quia verò res perfectior debet æquiualere rebus minus perfectis, ideo vnum instans, quod est mensura propria Angeli debet æquiualere duobus instantibus, quæ sunt mensura propria rei minus perfectæ. Quo posito possumus fingere duplicem durationem Angelicam, vtramque indiuisibilem, vnam æquiualentem duabus minoribus, quæ non sunt mensura propria Angeli, alteram æquiualentem duabus durationibus successiue fluentibus, quæ sunt mensura propria Angeli. Duratio æquiualens duabus durationibus, quæ non sunt mensura propria substantiæ Angelicæ, non est duratio permanens: ratio est manifesta, quia esse, & primo esse non est permanere, vt constat ex terminis, permanere enim est esse, & non primo esse; sed Angelus, dum creatur, & habet hanc durationem, est, & primo est, immediate enim ante non fuit: ergo non habet esse permanens: ergo huiusmodi dura-

tio, per quam Angelus incipit durare, non est permanens. E contrariò duratio æquiualens duabus, quæ sunt mensura propria Angeli, est necessariò permanens, quia Angelus habens hanc durationem non solum est, sed etiam non primo est, habet enim durationem æquiualentem duabus durationibus, in quarum vna non est verum Angelum primo esse, sed secundo esse. Ratio á priori diligenter obseruunda discriminis inter durationem æquiualentem duabus, quæ sunt mensura propria vitæ Angelicæ, & durationem æquiualentem duabus, quæ non sunt propria eius mensura, est huiusmodi; quia prima duratio includit saltem æquiualenter duplicem actionem adæquatam, quæ communicat esse Angelo, vnam creantem, & aliam conseruantem: hoc non contingit in secunda, quæ includit formaliter, & æquiualenter vnicam tantum actionem adæquatam ipsius Angeli, quia tempus adæquatum existentiæ Angelicæ est vnum instans æquiualens duobus minoribus rei minus perfectæ.

11. Ex hoc discursu sequitur, durationem horariam Angeli esse diuisibilem, constat enim exempli gratia viginti instantibus, quæ sunt mensura propria vitæ Angelicæ; quia vt verum sit Angelum nunc esse, & non sit verum Angelum nunc esse, & simul non esse, debet Angelus nunc occupare tantum tempus, quantum occupat vnum instans Angelicum, quod voco mensuram vitæ Angelicæ. Quare Angelus, vt habeat durationem horariam permanentem, debet habere durationem æquiualentem istis viginti instantibus, quæ componunt durationem horariam Angeli; & quia hoc est euidenter impossibile, ideo est impossibile vt Angelus habeat durationem indiuisibilem permanentem. Controuersia igitur, quæ est inter Philosophos de

duratione creata indiuisibili permanente, est controuersia de duratione creata, quæ æquiualeat pluribus durationibus, quæ sunt mensura propria rei, durantis vt patet ex nostro tractatu de creatúra essentialiter indefectibili in disp. 15. qu. 4. hæc autem controuersia nullam habet connexionem cum ista controuersia de continuo succesiuo, vbi quæritur, quid sit illud nunc, quod componit continuum succesiuum, & consequenter est mensura propria illius rei, quæ succesiue durat: ratio est satis manifesta, quia quidquid sit an hoc *nunc*, quod est mensura propria rei durantis, sit diuisibile, vel indiuisibile, potest dubitari, an sit posibilis duratio horaria æquiualens pluribus istis *nunc*, & consequenter sit permanens; vnde patet quid sit dicendum ad argumenta partis oppositæ.

12. Ad primum: distinguo maiorem: duratio æquiualenter diuisibilis, & formaliter indiuisibilis transitiuè est permanens: conc: ma: indiuisibilis intransitiué, sed transitiuè diuisibilis: est permanens: nego ma: & concéssa min: distin: conseq. eodem modo. Singulæ durationes, quæ componunt tempus, sunt intransitiuè indiuisibiles, quia carent partibus: sunt transitiuè diuisibiles, quia componunt durationem formaliter diuisibilem; ideo non sunt permanentes, quia sunt talis naturæ, vt vna post aliam debeat fluere: duratio Diuina est permanens, quia non est pars durationis fluentis: duratio indiuisibilis horaria, si esset posibilis, esset permenens, quia esset indiuisibilis transitiué, & intransitiué, non enim est necesse, vt duratio horaria sit pars alterius durationis, sicuti est necesse, vt duratio æquiualenter diuisibilis, quæ est pars continui succesiui, sit transitiué diuisibilis. Ratio á priori est, quia licet duratio horaria permanens

posit coniungi cum alia duratione horaria; id est omninò accidentarium huiusmodi durationi; nullam enim habet connexionem vna duratio cum alia: è contrariò necesse est, vt vnum instans cum alio coniungatur, adeoque transeat in durationem formaliter diuisibilem; quia sicuti non potest vnum punctum quantitatis permanentis esse sine alio puncto, quia debet esse pars quantitatis diuisibilis, ita non potest vnum punctum quantitatis successiuæ esse sine alio puncto, quia debet esse pars quantitatis successiuæ, & diuisibilis.

13. Ad secundum: distin: ma: duratio coexistens duabus durationibus successiuè fluentibus, quæ sunt mensura propria rei durantis, est duratio permanens: conc: ma: quæ non sunt mensura propria: nego ma: & distin: min: nego conseq. Æquiualentia durationibus successiué fluentibus non satis est, vt duratio creata sit permanens nisi durationes, quibus æquiualet, sint mensura propria rei, quæ habet durationem illis æquiualentem, vt ostensum fuit n.10. Et reuera est mihi compertum non permanere illam rem, quæ primo existit, vt liquet ex ipsa rei permanentis notione: quomodo enim dicam Angelum permanere, qui prius non fuit, & nunc est? licet illud *nunc* in quo est, æquiualeat duobus minus perfectis successiuè fluentibus; quia vt reuera sit, posito quod est, necesse est tantum tempus occupari ab Angelo, quantum occupat vnum *nunc*, quod est mensura vitæ Angelicæ.

14. Ad tertium: Quando dictum est durationi permanenti non satis esse, vt æquiualeat durationibus successiuè fluentibus, sed requiri, vt illæ durationes, quibus æquiualet, sint mensura propria, de industria facta est mentio durationis creatę, quia non

non est ferendum idem iudicium de duratione increata, hæc enim non æquiualet durationibus successiuè fluentibus quæ sint mensura propria Diuinitatis; vt est manifestum, quia eius mensura non est nisi æternitas. Cur igitur est permanens duratio increata? quia est sempiterna; est enim vnicum *nunc* carens principio, & fine: quod satis est ad permanentiam, vt ex eius conceptu tibi demonstro hoc syllogismo. Quidquid est, & non primo est, permanet; sed duratio increata, quæ semper fuit, & semper erit, est enim vndecumque æterna, est, & non primo est: ergo permanet. Hinc duratio, quæ semper fuit, est essentialiter permanens, tametsi non possit coexistere durationibus successiuè fluentibus, quæ sint mensura propria talis rei durantis: duratio verò, quæ non semper fuit, non potest esse permanens, nisi tantum valeat, quantum duæ durationes, quæ sunt mensura propria illius rei, quæ durat. Ratio est manifesta, quia de illa re, quæ non semper fuit, est aliquando verum dicere: *primo est*, vt igitur habeat durationem permanentem, debet habere tantum durationis, quantum est in duabus durationibus, quæ sunt propria eius mensura, adeoque sunt illud *nunc*, quod necessario requiritur, vt verum sit rem primo esse. Hinc illud *nunc*, quod est *nunc* Dei, vtpotè eius mensura, est *nunc* permanens, quia Diuinum esse non est primo, vel vltimo esse, sed tantum summum & infinitum esse: illud verò *nunc*, quod est mensura rei creatæ, est *nunc* fluens, cum necesse sit rem creatam transire à primo sui esse ad non primum sui esse: huiusmodi *nunc* est varium & multiplex, sicut illud *Vbi*, quod est in singulis partibus quantitatis permanentis: vnde patet magna inter locum, & tempus similitudo.

15. Ad quartum: Concedo ma: & distin: min:

Dura-

Duratio, quę exiſtit, quando fluit duplex inſtans, eſt permanens, ſi hoc inſtans eſt menſura propria, conc: min: ſi non eſt menſura propria: nego min: & conſequentiam. Coexiſtere duplici durationi ſucceſſiué fluenti non arguit durationem permanentem, id enim eſt cõmune durationi non permanenti: loquor ſemper de duratione creata, quia nullum eſt *nunc*, quod eſt menſura propria rei durantis, & idem non æquiualeat duobus *nunc*, quæ ſunt menſura alterius rei, hæc enim eſt natura vnius *nunc*, vt ſit indiuiſibile, & æquiualenter diuiſibile; quia repugnat *nunc*, quod non ſit æquiualenter diuiſibile: vt ergo videamus, an coexiſtentia inferat permanentiam, debemus obſeruare an illa duo *nunc*, quibus coexiſtit vnum *nunc* ſint menſura propria illius rei, quæ exiſtit; ſi enim ſunt menſura propria, ſine dubio inferunt permanentiam, quam non inferunt, ſi non ſunt menſura propria. Ratio á priori eſt, quia poſito, quod non ſunt menſura propria hæc duo *nunc*, neceſſe eſt, vt duobus coexiſtat illa res, de qua verificatur *nunc* primo eſſe, quia non poteſt eſſe verum idem ſimul eſſe, & non eſſe. Angelus igitur, vt primo ſit, debet nunc eſſe, & quia non poteſt nunc eſſe niſi coexiſtat duplici nunc ſucceſſiuè fluenti, ideo ne ſit, & ſimul non ſit, debet coexiſtere duobus *nunc* ſucceſſiué fluentibus. At fluente ſecundo *nunc* Angelus ita eſt, vt immediatè ante feerit: ergo non primo eſt: diſtin: antec: immediaté ante fuit in *nunc* ſibi adæquato: nego antec: inadæquato: conc: antec: & nego conſeq: Non poteſt Angelus nunc eſſe, niſi exiſtat, quando fluit duplex inſtans rei minus perfectæ, adeoque niſi vtrique coexiſtat; quando igitur fluit vnum inſtans rei minus perfectæ, Angelus quidem eſt, ſed ſimpliciter non eſt in menſura ſibi adæquata, quod ne-

necesse est, vt Angelus simpliciter existat: adeoque ita est, vt si fluente secundo instanti, non existat, non possit verificari Angelum simpliciter esse.

16. Ad secundum: ex duratione indiuisibili, & æquiualenter diuisibili non sequitur nisi necessitas existendi, quando res est: sed huiusmodi necessitas non est essentialis indefectibilitas, quia est necessitas consequens fundata in veritate huius principij: *repugnat idem simul esse, & non esse;* ergo non sequitur ex huiusmodi duratione essentialis indefectibilitas. Maior probatur, quia necessitas coexistendi duobus instantibus, quæ non sunt mensura propria Angeli, est necessitas, quam habet Angelus, vt sit quando est, quia vt Angelus sit, necesse est verificari propositionem affirmantem Angelum nunc esse, & falsificari propositionem, quæ ait Angelum nunc non esse: adeoque non potest esse verum Angelum nunc esse, & simul non esse, vt autem sit verum Angelum nunc esse necesse est Angelum esse, quando sunt duo instantia, quæ successiuè fluunt, quia illud *nunc*, quod est mensura Angeli, adeoque significatur in propositione affirmante Angelum nunc esse, amplectitur vtrumque *nunc* successiuè fluens.

17. Ad vltimum: Metaphysica necessitas, quam habet duratio æquiualenter diuisibilis, vt coexistat duob. *nunc* successiuè fluentibus, est necessitas consequens non antecedens, quia necessitas, qua necesse est rem esse, quando est, non est nisi consequens, hæc autem necessitas est huiusmodi, quia illud *nunc*, quod est mensura propria vnius Angeli, æquiualet duobus *nunc* rei minus perfectæ: est igitur necessitas consequens. Quare necessitas antecedens est necessitas existendi in alio instanti, quod est mensura propria: hæc repugnat conceptui rei creatæ,

lis hæc opinio eam ob rem malè audiuerit; quia philosophiam profitentibus non licet per nostras leges Aristotelem deserere in rebus, quæ nostræ fidei non aduersantur. Mihi certè quod est cæteris interdictum, nec licet, nec libet, ego enim sum doctrinæ Peripateticæ amantissimus ob nimiam eiusdem cum Religione Christiana concordiam, quam ipsa discordia in aliquibus rebus manifesta ostendit, quod mihi satis constat, sed non est huius loci, nec instituti demonstrare. Quare si inanimum mihi inducerem sententiam, quam hucusque docui de natura continui, pugnare cum Aristotele, nulla me argumenta impellerent ad eā tradendam, tùm ob amorem veri, tùm etiam ob reuerentiam, quam debeo summamLegislatori Sanctissimo;quia vero non modo non contrariam Aristoteli eam intelligo, sed animus inclinat ad opinandum in nulla alia sententia fuisse Aristotelem, præter illam, in qua ego sum, non possum non mirari opinioni cætera facillimæ, & simillimæ vero factum ex hoc capite præiudicium. Qui ergo in hac de Aristotelis mente controuersia opinatur contrarium, hoc argumento mouetur, quod nimirum pluribus demonstrat Philosophus esse continuum semper diuisibile,neq; posse in eius diuisione ad vltimum deueniri, vt constat potissimū ex 6. Phisicorum lib.in quo post varias,&robustas argumentationes in rem suam productas, concludit nominatim continuum non posse constare ex punctis indiuisibilibus. Quis non videat Aristoteli contradicere dicentem partes continui indiuisibiles? at nos hoc ipsum dicimus: igitur Aristoteli contradicimus.

2. Ad delendam hanc maculam nostræ sententiæ asperam necesse habeo paucis exponere, quid de Aristotelis mente in hac re censeam ex animi sen-

ſententia, libet enim certa ab incertis ſecernere, nè videar accedere ad hanc dirimendam controuerſiam animis, vt dici ſolet, occupatis, quaſi velim de mente Ariſtotelis dicere potiús ſtudio partium, quam amore veritatis. Pro certo habeo Ariſtoteli aduerſari, qui de continuo ſucceſſiuo non philoſophatur ſicuti de permanente, vt conſtat ex Phyſicorum lib. 6.

3. Non eſt itaque dubium, an Ariſtoteles in ea fuerit opinione, quod idem ſit opinandum de partibus, quæ vtrumque continuum componunt, ſucceſſiuum nimirum, & permanens; quia nihil aliud intereſt inter vnum, & aliud continuum, niſi quod illæ partes, quæ conſtituunt continuum ſucceſſiuum, tempus videlicet, & motum, non ſunt ſimul, vna enim alteri ſuccedit; é contrarió partes, quæ conſtituunt continuum permanens, ſunt ſimul, quia vna cum altera componitur, vt conſtat in partibus componentibus palmum ligni: iſtæ partes procul dubio ſibi coexiſtunt; quia vna non excludit aliam, ſicuti dies die, & momentum momento truditur. Hinc docet Ariſtoteles argumentum Zenonis ex diuiſibilitate continui deſumptum ad oppugnandum motum localem eſſe futile, quia licet illud continuum, per quod mobile mouetur, ſit ſemper diuiſibile finitè in infinitum, adeoque conſtet infinitis partibus, vel formaliter, vel æquiualenter; nihilominus poteſt tempore finito totum pertranſiri, quia vna hora, quæ inſumitur ad ſpatium vnius palmi pertranſeundum, eſt diuiſibilis finité in infinitum non minus, quàm ſit finite in infinitum diuiſibile ſpatium vnius palmi à formica pertranſeundum; præterea tot ſunt partes formaliter, vel æquiualenter in vna hora, quot in illa ſpatij quantitate, quam Formica percurrit vnius

horæ

horæ interuallo: inde est, quod in fine vnius horæ erit formica in termino spatij palmaris; etiamsi hoc spatium palmare sit semper diuisibile in partes minores, & minores finite in infinitum.

4. Vt autem omnibus constet de mente Aristoteles in hac re circa diuisibilitatem, & compositionem continui successiui perinde, vt permanentis vtrique communem, vnum libet eiusdem Philosophi textum paucis expendere, ex quo nemini licet dubiam in hac re ferre sententiam. In capitul. 5. lib. 6. Physicorum textu 37. hæc habet. *Quoniam autem omne, quod mouetur, in aliquo mouetur, & tempore quodam, & totius eius, quod mouetur; est motus, necesse est easdem esse diuisiones, & temporis, & motus, & ipsius moueri; & eius quod mouetur, & eius in quo motus est, verum non omnium similiter, in quibus motus est, sed quantitatis quidem secundùm se, qualitatis autem secundùm accidens:* Hæc Philosophi verba eius animum, & mentem satis declarant, quia nihil aliud indicant, quam eodem modo de vno continuo, ac de alio, successiuo nimirum, & permanente esse discurrendum; Quando contingit aliquid moueri, vt recte obseruat idem Philosophus, debent quinque considerari, tot enim sunt, quæ in quolibet motu repetiuntur; videlicet tempus, in quo fit motus; nullus enim motus potest esse, qui non sit in aliquo certo, & definito tempore; motus ipse, quia repugnat aliquid moueri, si nullus est motus, per quem in genere causæ formalis moueatur mobile: moueri; nimirum totum id, quod resultat ex mobili, quod mouetur, loco, & tempore, in quo mouetur mobile, & illo motu, á quo mobile determinatur ad habendum talem motum; præterea subiectum, quod mouetur, & id in quo mouetur mobile, pu-

ta locus, quantitas, & qualitas], quia mobile mouetur in loco, vel in quantitate, vel in qualitate. Dinde docet Aristoteles hæc quinque, quæ in motu reperiuntur, esse proportionaliter diuisibilia, adeoque eas partes, quæ sunt in vno, esse proportionaliter in omnibus; cum hoc tamen discrimine, vt locus, & quantitas, in quibus fit motus localis, vel motus augumenti, sint diuisibiles per se, qualitas autem, in qua fit motus alterationis, sit diuisibilis solum per accidens. Cæterum quod spectat ad diuisibilitatem, & consequenter ad illas partes, quæ componunt qualitatem, in qua fit motus alterationis, debemus perinde discurrere, ac discurrimus de diuisibilitate, & consequenter de partibus, quæ componunt locum, & quantitatem, vbi fit motus localis, vel augumentationis.

5. Hanc doctrinam traditam in textu 37. demonstrat Aristoteles in textu consequenti; vbi loquitur in hunc modum de diuisibilitate continui successiui, quæ debet esse eadem proportionaliter ac diuisibilitas continui permanentis. *Eodem autem modo, & ipsum moueri diuidetur. Sit enim, in quo C, ipsum moueri; secundùm igitur dimidium motus minus erit toto, & rursus secundùm dimidium dimidij, & sic semper. Est autem, & cum quis designauerit ipsum secundum vtrumque motum moueri, vt secundùm D C, & C E dicere quod ipsum erit secundum totum. Si enim aliud, plura erunt moueri secundum eumdem motum, sicuti determinauimus, & motum diuisibilem in partes motus esse. Accepto enim ipso moueri secundum vtrumque, continuum erit totum.* Hæc Arestotelis verba significant nullum esse discrimen inter continuum successiuum, & permanens, quantum attinet ad

par-

partes, quæ constituunt vtrumque continuum, ex quibus non credo posse in dubium verti, an longe sit á doctrina, quam Aristoteles tradidit de continuo, qui ait non esse ferendam de vtroque continuo eamdem sententiam circa partes, quæ componunt vtrumque continuum.

6. Mihi prætereá est certum pugnare cum Aristotele, qui continuum, vel permanens, vel successiuum, opinatur constare ex punctis indiuisibilibus æquiualenter, vt patet ex pluribus, quæ in eodem lib. 6. referuntur, hinc qui asserunt continuum permanens constare ex punctis æquiualenter indiuisibilibus ex duplici capite ab Aristotele discedunt. Ratio est, quia recedunt ab Aristotele in eo quod existimant non esse ferendam de continuo successiuo eamdem sententiam, quæ fertur de continuo permanente, quasi possit continuum successiuum non esse semper diuisibile, sicuti continuũ permanens, quod manifeste contradicit Aristoteli. Prætereá non conueniunt cum eodem Philosopho, in eo quod censent aliquod continuũ constare partibus formaliter, & æquiualenter indiuisibilibus, adeoque incidunt in sententiam Zenonis, quam pluribus, & quidem manifestis argmentis Aristoteles refellit. Quare cum Aristoteles in ea fuerit sententia, quod non possit intelligi continuum, siué quantitas extensa, si partes. quæ huiusmodi quantitatem componunt, non habent formaliter, vel æquiualenter alias partes, in quas possint diuidi, manifestum est eidem contradicere, quicumque dicit esse aliquod continuum, cuius partes neque constant alijs partibus, neque æquiualent rebus habentibus partes actu distinctas. Quia veró huiusmodi Authores, de quibus sermo incidit, notanter docent continuum successiuum constare pun-

ctis formaliter, & æquiualenter indiuisibilibus, nemo est, qui non videat manifestam eorum ab Arist. de compositione continui sententia discórdiam. Quare ex hoc etiam capite displicet mihi hæc opinio quam oppugnaui in quæstione præterita de continuo successiuo, quod constat ex durationibus formaliter, & æquiualenter indiuisibilibus: hæc enim est ipsa Zenonis opinio, quam sequi non licet, quibus non licet ab Aristotelis doctrina discedere.

7. Insuper est mihi certum Aristoteli expresse non contradicere cæteros, qui docent vtrumque continuum constare ex punctis formaliter diuisibilibus siue actualibus, siue potentialibus, vel constare punctis formaliter indiuisibilibus, & æquiualenter diuisibilibus; ratio, quæ hanc sententiam mihi persuadet, est quantum existimo manifesta, quia Aristoteli animus fuit necessariam demonstrare aliquam diuisibilitatem in omnibus partibus continui, adeoque Zenonis sententiam refellere de punctis indiuisibilibus occupantibus spatium indiuisibile, id enim demonstrant argumenta reuera efficacissima, quibus vtitur ad huiusmodi puncta oppugnanda. Quare necesse est ad soluenda argumenta, quibus vrget Aristoteles Zenonem, recognoscere diuisibilitatem continui finitè in infinitum vel in ordine ad entitatem partium, quæ componunt continuum, vel in ordine ad spatium quod occupant partes componentes continuum, si enim spatium, quod occupant partes continui cæteroqui indiuisibiles, sit semper diuisibile in infinitum, nihil concludunt argumenta Aristotelis, quæ probant repugnantiam, vt puncta indiuisibilia componant quantitatem exten-

tensam, siue continuum diuisibile. Inde est, quod Aristoteles, quantum potui ex eius doctrina cognoscere, nihil aliud intendit, dum excludit à compositione continui puncta indiuisilia, nisi demonstrare Metaphysicam necessitatem, vt partes continui sint diuisibiles in infinitum saltem quoad spatium, adeoque sint æquiualenter diuisibiles, licet sint formaliter indiuisibiles. Hinc aliquam diuisibilitatem dare partibus continui non est Aristoteli contradicere, sicuti contradicit, qui omnem negat, dicere autem partes continui esse diuisibiles æquiualenter est aliquam diuisibilitatem dare partibus continui, ergo hoc dicere non est Aristoteli contradicere: vnde patet ad rationem dubitandi.

8. Hæc mihi sunt certa: an veró formalem, vel æquiualentem diuisibilitatem dederit Aristoteles partibus continui, est satis incertum, quia neutrum constat ex ipsius verbis, eaque propter possunt de vtraque facile intelligi, vt patet Philosophi textum accuratè obseruantibus: quod si mihi licet in re dubia, & incerta meum iudicium interponere, in eam sententiam inclinat animus, quod Aristoles fuerit semper loquutus de æquiualenti diuisibilitate, cum ait partes continui esse semper diuisibiles: quia non est credibile, quod Aristotelis mentem perspicacem, & acutam latuerint ea argumenta, quibus huc vsque fuit demonstratum fieri non posse, vt partes continui sint formaliter diuisibiles; adeoque repugnare, vt sint actu indistincta, quæ sunt actu separabilia: & hæc satis sint in hac controuersia valde implexa, & ardua de compositione continui.

IN LIBROS

DE MVNDO, ET COELO.

DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

De Mundo.

EXistentia Mundi, cuius nomine intelligitur tota hæc vniuersitas rerum creatarum tanquam experientia notissimam assumimus non demonstramus; de eius perfectione, vnitate, ordine, atque æternitate dicere aggredimur cum Philosopho, qui post octo libros Physicorum, duos de Mundo, & Cœlo descripsit.

QVAESTIO I.

An Mundus fuerit, vel esse potuerit ab æterno.

1. NOmine rei ab æterno existentis intelligitur res, quæ semper fuit, sicuti nomine rei æternum duraturæ intelligitur res, quæ semper erit: duratio ergo æterna alia est, quæ caret principio, eaque vocatur à parte

te ante: alia, quæ caret fine, eaque dicitur æternitas à parte post. Duratio æterna á parte ante est duratio æterna ab æterno: duratio æterna á parte post est duratio æterna in æternum; hinc sicuti duratio æterna inæternum debet necessario falsificare hanc propositionem. *Res nunc est immediatè post non erit*: quia res æternum duratura semper erit; itá duratio æterna debet necessarió falsificare hanc propositionem, *res nunc est*; *immediatè ante non fuit*, quia res, quæ ab æterno fuit, semper fuit. Huiusmodi durationem Deo conuenire est indubitatum, quia sicuti repugnat enti perfectissimo aliquando non esse futurum; itá eidem repugnat aliquando non fuisse: inde est, quod quæcumque imaginaria duratio concipiatur ab intellectu, qui cognoscit infinita temporum interualla, verum est Deum tunc fuisse, & immediate ante fuisse; quia nimirum est primum rerum omnium principium carens principio, & carẽs fine. Præterea est certum apud Catholicos nihil á Deo distinctum semper fuisse, adeoque durationem mundi vt pote temporariam habuisse principium, ante quod nihil fuit distinctum á Deo. Huiusmodi veritatem antiquis Philosophis ignotam, & præsertim Aristoteli, qui causam primam necessarió operantem falso opinatus mundum credidit fuisse sempiternum; sacræ nobis paginæ reuelarunt, ex quibus aperte constat omnes res creatas originem aliquando habuisse, vt disertè testatur Concilium Lataranensem, quod Romæ celebratum fuit Innocentio III. regnante his verbis. *Creator omnium visibilium, & inuisibilium spiritualium, & corporalium, sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis vtamque condidit creaturam, spiritualem, & corporalem* Hinc annalium mundi scriptores eius ætatem a primò

iisdem exordio repetentes aiunt sex propemodum annnorum millia ab orbe condito euoluta, viginti enim sæcula lex naturæ occupauit, quæ ab Adami lapsu vsque ad Abraham credentium Patrem fuit producta, viginti alia sæcula lex scripta impleuit, quæ Moysi tradita, vsque ad fœlicissimum hominis Dei, qui hominem reparauit, aduentum perseuerauit, sexdecim verò iam sæcula effluxere, ex quo Christus legem amoris & gratiæ non lapideis in tabulis, sed mortalium in cordibus exarauit, sæculum enim, quod in præsenti agimus est nostræ salutis decimum septimum: vnde patet facta temporum supputatione mundum itá fuisse, vt aliquando non fuerit, adeoque æternum non fuisse. Quod si Aristoteles contrarium fuit opinatus, videri non debet mirum, quia ignorando Mysterium Trinitatis, quod naturæ lumen assequi non potest, non credidit possibilem in Deo aliam fœcunditatem, nisi ad extra, adeoque ne cogeretur dicere bonum summum, & infinitum, quod habet summam inclinationem se communicandi, vixisse per totam æternitatem vitam sterilem, & infœcundam asseruit Deum ab æterno extra se operantem. Fides Catholica, quæ Aristotelis errores emendauit docet hoc summum bonum non vixisse æternam vitam sterilem, etiamsi ab æterno nihil extra se produxerit, quia nimirum æuo infinito, quod ante mundi fabricam habuit fuit occupatum in generatione Verbi, & Spiritus Sancti productione.

2. Quæ cum itá sint, quæstioni locus relinquitur, an nimirum Deus mundum creauerit in tempore, quia libere noluit creare ante omnia tempora; an veró quia non potuit, eo quod Mundus ab æterno inuoluat repugnantiam terminorum.

3. Ratio dubitandi est primó. Nullum fuit tem-

tempus imaginarium, ante quod tempus non potuerit Deus creare mundum, ergo ante omne tempus potuit creare mundum. Consequentia probatur, si Deus creasset, quam primum potuit creare, creasset ab æterno; sed potuit creare, quam primũ potuit, ergo ab ęterno potuit creare mundũ.

4. Secundó. Quandocumque Deus fuit, potuit Deus creare mundum: sed Deus semper fuit; ergo potuit semper creare, ergo &c. Ma: patet, quia potentia Dei est indistincta á Deo, ergo virtus producendi mundum fuit ab æterno.

5. Tertió. Causa æterna necæssaria debet semper operari, ergo causa æterna libera potuit semper operari: sed causa mundi est causa libera æterna nimirum Deus, ergo potuit semper operari, alioquin huiusmodi potentia esset superflua: ergo potuit extra se operando facere mundum ab æterno. Prima consequentia patet, quia agens necessarium differt à libero, eo quod agens necessarium debet; & agens liberum potest operari.

6. Quartó. Ens creatum potest esse æternum á parte post, ergo potuit esse æternum a parte ante. Consequentia probatur: non minus repugnat participari diuinam ęternitatem a parte ante, quam a parte post, ergo vel vtrumque, vel neutrum potest. Confirmatur, quia si æternitas futura non infert infinitum Cathegorematicum, neque inferet æternitas elapsa; sicuti enim in æternitate futura non est dies vltima, ita in æternitate præterita non est dies prima:

7. Vltimó. Mundus est imperfectus, quia non semper fuit: ergo potuit semper esse, alioquin esset imperfectus, quia non fuit chimæra, hoc est quia non fuit ens imperfectissimum, quod repugnat. Contra hanc sententiam.

8. Dico mundum, neque rem vllam creatam potuisse fieri ab æterno & nihil ab æterno creatum ex defectu non liberæ voluntatis, sed potestatis, qui tamen defectus arguit summam potestatem.

9. Ratio huius sententiæ est, quia mundus non potuit habere durationem æternam indiuisibilem, & permanentem, quia ostendi in disp. 15 quæst. 4. num. 9. eam repugnare enti creato: neque diuisibilem, & successiuam, quia infinitum cathegorematicum repugnat, quod ex duratione diuisibili æterna à parte ante manifesté sequitur, vt breui demonstro. Si ante diem hodiernam fluxissent infiniti dies, sicuti contingeret, si mundus fuisset æternus; & singulis diebus vnum Angelum, vel vnum hominem Deus creasset; vtique essent in præsenti infiniti Angeli, & infinitæ animæ, quæ cum sint immortales, hodie simul viuerent. Præterea tota collectio dierum componentium durationem mundi sempiternam esset infinita, quæ cum tota actu fuerit, necesse est, vt fuerit infinitum actu, quod repugnat. Addo repugnantiam mundi æterni nasci ex repugnantia durationis creatæ adæquantis diuinam, qualis profecto esset duratio Angeli producti ab æterno, qui vt pote immaterialis haberet durationem carentem principio, & fine, adeoque æternitatem non participantem diuinam æternitatem, quod repugnat conceptui æternitatis participatæ, sicuti repugnat immensitati participatæ, vbique esse.

10, Hinc est, quod duratio carens principio, & duratio permanens reciprocantur; duratio igitur permanens est improducta; quia verò ens improductum est ens à se, & esse á se repugnat enti creato, non repugnat enti: ideó duratio æterna ab æterno repugnat enti creato, non repugnat enti:

ti: ex quo sequitur ea necessitate, qua necesse est vt ens aliquod semper fuerit, repugnare, vt ens limitatum semper fuerit; cum necesse sit, vt nihil Deus possit facere, cui maiorem durationem largiri non potuerit, quod sequeretur, si Angelum ab æterno creasset. Constat igitur Deum potuisse creare mundum, ante quam illum creauit finité in infinitum, non tamen infinitè, siuè ab æterno.

11. Ad Primum: dist: antecedens. Nullum est tempus determinatum, ante quod non potuerit Deus creare mundum: concedo antec: nullum indeterminate: nego suppositum antec: & distin: consequens: ergo Deus potuit creare mundum, ante omne tempus distributiue: concedo consequentiam: ante omne collectiue; nego suppositum; ad probationem distinguo maiorem: si creasset cum primum potuit, ly *primum* supponente distributi- creasset ab æterno: nego maiorem: supponente collectiuè; conc: maiorem, & distincta minori: nego consequentiam. Recolenda sunt, quæ docuimus agentes de infinito, repugnante enim ab æterno infinito repugnat tota collectio durationum, quæ talis, ac tanta est, vt maior non sit possibilis.

12. Ad secundum: distinguo maiorem: potuit æternitate potentiæ: concedo maiorem: potentia æternitatis: nego maiorem, & concessa minori, distinguo similiter consequens. Potentia Dei est æterna æternitate potentiæ, quia semper fuit: non est æterna potentia æternitatis, quia non est potentia faciendi æternitatem: sermo est de æternitate à parte ante: potentia enim Dei non est potentia faciendi alium Deum: potuit ergo Deus semper facere mundum temporaneum non æternum, potentia enim æterna respicit mundum faciendum in tem-

tempore; ſicuti ſcientia Dei de peccato craſtino eſt nunc, & tamen nunc non eſt peccatum. Quemadmodum igitur Deus nunc habet potentiam producendi diem craſtinam, & tamen non habet potentiam producendi nunc diem craſtinam, quia iſta potentia eſt nunc pro tunc, itá Deus ab æterno habuit potentiam producendi mundum, & tamen non habuit potentiam producendi mundum ab æterno, quia illa potentia, quam habuit ab æterno, fuit potentia producendi mundum in tempore.

13. Ad tertium: conc: antec: & nego conſequentiam. Diſparitas eſt, quia ex hoc antecedenti, *datur agens æternum neceſsarium* infertur conſequentia formali, *ergo terminus productus eſt infinitè perfectus*, habet enim neceſſitatem exiſtendi; quia veró ens infinité pefectum debet eſſe æternum ideó agens æternum neceſsarium debet facere effectum æternum. Indè ſequitur Deum extra ſe operantem non habere neceſſitatem operandi ſicuti habet neceſsitatem cum operatur intra ſe, quia terminus, quem producit intra ſe, eſt infinité perfectus, terminus veró, quem producit extra ſe, eſt imperfectus; vnde errauit Ariſtoteles, qui ait Deum operari ex neceſsitate naturæ: è contrarió ex hoc antecedente *datur agens æternum liberum*, non poteſt inferri, *ergo terminus productus eſt infinitè perfectus*; debet enim inferri oppoſitum, quia agens liberum poteſt non agere, adeoque terminus cauſæ liberæ eſt res contingens, res nimirum, quæ poteſt non eſſe, adeoque imperfecta: quia verò nihil contingens potuit eſſe æternum cum duratio æterna ab æterno repugnet rei contingenti; ideò cauſa libera æterna quatenus libera non poteſt facere effectum exiſtenté ab æterno, licet cauſa neceſſaria æterna, ſi eſſet poſſibilis, deberet facere ef-

fe-

fectum æternum, quia nimirum hæc faceret, illa non facit effectum perfectissimum, adeoque causa libera potest facere quidquid debet facere causa necessaria, si cætera sint paria, quæ hic non sunt paria, vt ostendi. Cæterum potentia, quam Deus habuit ab æterno non fuit otiosa, etiamsi nihil fecerit, & nihil potuerit facere ab æterno ad extra; quia Deus ab æterno per infinitam fæcunditatem, vnde habet vt sit omnipotens, seipsum communicauit intra se duplici communicatione, vna in genere cognitionis, alia in genere amoris, vtraque infinita.

14. Ad quartum: conc: ant:, & nego consequentiam. Inter æternitatem á parte ante, & æternitatem á parte post est euidens disparitas, quia illa non est possibilis, nisi sit indiuisibilis, ergo æternitas á parte ante repugnat enti creato, cui repugnat duratio indiuisibilis: æternitas á parte post non repugnat, quia eidem non repugnat duratio indiuisibilis syncathegorematicé infinita. Ratio cur duratio æterna á parte post sit possibilis, etiamsi non sit indiuisibilis, duratio veró a parte ante non sit possibilis, nisi sit indiuisibilis, est euidens posita repugnantia infiniti cathegorematici; quia duratio æterna á parte antè diuisibilis infert numerum cathegorematicé infinitum, quem non infert duratio æterna á parte post, cum ex illa sequatur fuisse dies actu infinitos, hoc est fuisse totam collectionem dierum, qui æternitatem componunt; ex ista non sequatur futuros dies actu, & cathegorematicè infinitos, sed tantum futuros finitè in infinitum hoc est infinitos syncathegorematicè. At dies æternitatis futuræ nonne erunt infiniti, sicuti fuissent infiniti dies æternitatis prætericæ? Infinitas, quæ est in diebus æternitatis futuræ, est syncathegorematica, quia æternitas futura non transierit,

rit, vt possit aliquando veré dici *tota æternitas fuit* siué quod eodem reuoluitur *fuere dies infiniti*, cum sit necesse, vt post quamcumque collectionem alia collectio sit futura; infinitas veró, quæ fuisset in debus æternitatis præteritæ, est cathegorematica, quia dies æternitatis præteritæ omnes collectiuè fuisent. Indè est, quod esse determinatum requisitum ad infinitum cathegorematicum inuenitur in æternitate præterita: cur veró non erunt omnes collectiuè dies æternitatis futuræ etiam si omnes distributiuè sint futuri, si fuisent omnes collectiuè dies æternitatis præteritæ?quia nimirum itá fuisent dies æternitatis præteritæ, vt si singulis diebus singuli Angeli fuissent creati existeret in rerum natura numerus Angelorum actu infinitus; quod nunquam continget respectu dierum æternitatis futuræ. Vnde colligi potest respectu infinitæ collectionis impertinenter se habere simultatē vnius diei cum alio, quæ simultas perindé repugnat diebus præteritis ac futuris. Hinc est, quod Deus, qui nunc videt æternitatem futuram,non videt omnes dies collectiuè, quia huiusmodi collectio nulla est in ęternitate futura; quod si fuiset mundus ab ęterno, Deus nunc videret totam collectionem dierum componentium æternitatem pręteritam, quia nimirum hęc collectio inueniri debet in æternitate præterita, hoc est in illa duratione, in qua non est prima dies, licet sit vltima dies. Ex quo fit; vt in illa multitudine dierum in qua non erit vltima dies, nunquam sit tota dierum collectiò, cum é contrario in illa multitudine, in qua non est dies prima, sed est dies vltimá, sit tota dierū collectio, adeoque hoc argumentum non modo nihil concludit, sed concludit oppositum.

16. Ad vltimum: dist: ant: mundus est imper-

fe-

fectus, quia non fuit æternus æternitate in genere entis: concedo ant: æternitate in genere entis creati: nego ant:. Æquiuocatio est ab æternitate in genere entis, quę vtique non repugnat, ad æternitatem in genere entis creati, quam repugnare ostendi: mundus igitur est imperfectus, quia non fuit æternus æternitate in genere entis, qua æternitate Deus fuit æternus, sicuti mundus est imperfectus, non quia non est creatura perfectissima, hęc enim est Chimęra: sed quia non est ens perfectissimum, quod est non solum possibile, sed etiam necessarium.

QVAESTIO II.

Vtrum Mundus sit vnus, & perfectus.

1. Videtur non esse perfectus primó, quia potest creari alius mundus perfectior, alioquin esset perfectissimus; ergo non est perfectus. Consequentia probatur. Mundus, quo perfectior dari potest, est imperfectus, vt patet, sed repugnat vt id, quod est imperfectum, sit perfectum, ergo

2. Secundò: Totum, quod constat ex partibus imperfectis, non est perfectum: sed mundus constat ex partibus imperfectis; vt patet discurrendo de singulis partibus, quæ mundum componunt, ergo totus mundus non est perfectus.

3. Tertiò, est melius mundum non ésse, quam ésse: ergo mundus non est perfectus. Antecedens probatur; mundo existente existunt peccata, quę non existerent mundo non existente, sed est longe melius peccatum non esse, quam esse: ergo est melius mundum non esse, quam esse.

4. Vi-

4. Vltimò: in mundo sunt viperæ, serpentes, dracones, & alia animalia noxia; sed huiusmodi corpora reddunt mundum imperfectum; quia esset perfectior mundus, si hęc non essent, ergo &c. Confirmatur, quia mundus non videtur bene gubernari, quia videmus frequenter vitium ascendere ad solium, virtutem ad patibulum, ergo &c.

5. Respondetur. Opera Dei sunt perfecta, quia Deus est sapientissimus, optimus, & omnipotens: quatenus sapientissimus nouit; quatenus optimus vult; quatenus omnipotens omnia potest facere eo modo, quo sunt facienda, adeoque proportionata, vt finem sibi debitum consequantur. Mundum autem esse fabricatum à Deo non potest in dubium reuocari, quia omnia per ipsum facta sunt, vt dicit scriptura aduersus Manichæos, qui negabant Deum fuisse omnium corporum conditorem eosque manifesté redarguit Augustinus, olim, & ipse Manichæus, deindé veræ religionis acerrimus propugnator, ergo mundus est perfectus.

6. Id autem, vt euidentius constet, notandum est rem perfectam posse dupliciter vsurpari; in omni genere, quatenus nulla est pefectio, quę in ea non contineatur; & in aliquo genere, quatenus omnem perfectionem, quam debet habere, habet: mundum non esse perfectum in omni genere, est indubitatum; nisi velimus nomine mundi intelligere etiam ipsum mundi conditorem. Mundum igitur esse pefectum in suo genere in hunc modum demonstro. Illud est perfectum in suo genere, quod habet quidquid habere debet ad consequendum finem suum; sed mundus hoc habet, ergo est in suo genere perfectus. Maior probatur, quia finis quem habet mundus est diuina gloria, omnia enim

propter semetipsum operatus est Deus, qui nihil aliud potest velle in suis operibus, nisi gloriam suam: ad hunc finem consequendũ mundus est optimé dispositus, quia præter innumerabiles corporum species existunt substantiæ rationales, quæ nimirum habent facultatem cognoscendi illud verum, & amandi illud bonum, quod est summum, & vniuersale bonum, videlicet Deum, ad eius cognitionem, & amorem conducente ordine, pulchritudine, varietate, & elegantia huiusmodi rerum, quas oculis vsurpamus: hinc Dei gloriam enarrat cœlum, vt regius vates testatur. Addo, in mundo inueniri omnium rerum gradus per quos possumus ad Deum ascendere, alia enim sunt, quæ existunt, & vitam non habent, alia, quæ non solum existunt, sed etiam vitam habent, ità tamen vt quædam habeant vitam vegetantẽ, sicuti plantæ, quædam sentientem, vt animalia, quædam veró intelligentem, vt homines, vndé possumus manifesté intelligere authorem mundi, ad cuius contemplationem totus mundus ordinatur, non solum existere, & viuere, sed etiam vitam agere intelligentem, & fæliciſſimam.

7. Ratio á priori, cur necesse sit mundum constare ex tot, & adeó diuersis rerum generibus, nimirum elementis, plantis, & animantibus peti debet ab homine, quem natura molita est tanquam spectatorem huius pulcherrimi spectaculi; quia homo non potest intelligere, nisi speculetur phantasmatata, necesse fuit, vt anima hominis cætera immaterialis, esset forma alicuius corporis, vnde originem habuit necessitas materiæ primæ, ex qua omnia corpora formarentur: quia veró non quod libet promiscue corpus est proportionatum nobilissimæ substantiæ nimirum animæ intelligentis domici-

micilium, sed tantum corpus perfectè elaboratum in quo nimirum esset perfecta temperies, & consonantia primarum qualitatum, quæ inesse debet omnibus corporibus; ideò fingi debuere corpora, quæ singula haberent singulas primas qualitates in summo gradu. Huiusmodi sunt quatuor elementa, de quibus agemus in tom. 3. corpora nimirum simplicia, quæ sunt materia cuiuscumq; mixti, ignis videlicet summè calidus, aqua summè frigida, terra summè sicca, & aer summè humidus. Istæ qualitates dum refrāguntur, fit mixtum, quod est eo magis perfectum, quo pefectiùs miscentur qualitates: hinc oriuntur mixta animata, & inanimata, quæ procedunt gradatim vsque ad hominem, cuius corpus habet perfectam primarum qualitatum tēperiem, & harmoniam, quæ in cæteris animalibus non est adeò perfecta. Id autem demonstratur, quia phantasmata, quæ ab homine formantur, sunt longè nobiliora, quam phantasmata cæterorum animantium, cum ordinentur ad intelligendum. Virtus igitur sentiendi, quæ huiusmodi phantasmata fabricatur, debet esse perfectior in homine quam in brutis, ergo necesse est, vt sensus tactus, in quo fundatur virtus sentiendi, sit in homine delicatior, ergo etiam necesse est, vt primæ qualitates, quæ sunt in corpore humano, reducantur ad perfectam temperiem, vnum enim ex alio sequitur, vt demonstrabimus in tomo 3. cum Philosopho in libris de anima.

8. Hinc constat mundum esse non solum perfectum, sed etiam vnum, quod non est itá intelligendum, quasi omnia, quæ componunt mundum, efficiant vnum mundum, sicuti ea, quæ componunt vnum hominem, faciunt hominém, nisi velimus delirare cum Poetis, qui solem aiunt esse animam

mun-

mundi. Vnitas igitur, quam habet mundus, est vnitas ordinis, quæ in suo genere est maxima, vt patet ex omnium partium mirabili connexione, ex dependentia corporum inferiorum á superioribus, ex temporum, & ætatum æquabili tenore, ex proportione, & pulchritudine, qua maior inueniri non potest.

9. Ad primum: conc: ant: & dist: conf: Non est perfectus in omni genere: conc: conf: in suo genere: nego conf: Ex eo quod Deus potest creare alium mundum perfectiorem, sequitur hunc mundum non esse perfectum in omni genere, quod est indubitatum.

10. Ad secundúm: dist: ma: Totum, cuius partes sunt imperfectæ, non est perfectum in omni genere: conc: ma: in suo genere: nego ma: & conc: mi: dist: similiter consequens. Totum debet esse singulis partibus perfectius, ideò ex defectu existente in singulis partibus, non debet argui defectus in toto, nisi forte defectus in genere entis, qui non cadit in præsentem controuersiam.

11. Ad tertium: nego ant: Licet mundus non sit melior ipse, quam non ipse, quia Deus, qui non est mundus, est melior mundo: adhuc tamen bonum est mundum esse. Ratio est, quia cum mundus non sit perfectus in omni genere, bonum est mundum esse Deo volente mundum esse, sicuti bonum est mundum non esse, si Deus velit mundum non esse. Ad probationem antecedentis: dist: ma: melius est peccatum non esse, quam esse intentiué: conc: ma: permissiuè: nego ma: & concessa mi: nego consequentiam. Peccatum esse intentiué est peccatum fieri, & intendi: in hoc sensu melius est peccatum non esse, quam esse: ideò de homine qui incidit in peccatum, verè dicitur id, quod de

rem necessitatem communicandi cognitionem, sui abstractiuam, quam cognitionem intuitiuam sui; sed potest non communicare cognitionem intuitiuam sui: ergo & abstractiuam.

3. Tertió: Substantia irrationalis si existeret sine rationali, non proinde euaderet chimæra: ergo potest existere. Antecedens probatur, tùm quia substantia irrationalis habet prædicata essentialia diuersa à substantia rationali, tùm quia substantia rationalis quantum est de se posset inducere substantiam rationalem ad cognitionem Dei, etiam si actu non induceret, quia substantia rationalis non esset: ergo &c.

4. Respon: Non minus repugnat aliquid existere, quod à Deo non sit factum tamquam à primo principio, quam aliquid existere, quòd propter Deum non sit factum, tamquam propter vltimum finem; cum ad infinitam perfectionem spectet esse primum rerum omnium principium, earumque vltimum finem: euidens autem est fieri non posse vt aliquid sit, quod á Deo factum non sit, tanquam á primo principio: ergo euidens est nihil fieri posse, quod non referatur ad Deum, tanquam ad vltimum finem. Id est adeo verum, vt Deus promiscuè dicatur principium, & finis rerum omnium, principium nimirum, á quo omnia procedunt, & finis, ad quem omnia iuxta suam naturam peruenire desiderant. Ratio à priori, cur necesse sit Deum esse rerum omnium principium, & finem, petenda est ab infinita eius perfectione, quæ tanta est, vt Deus sit adæquata rerum omnium sufficientia propter earumdem continentiam eminentialem, quia veró adæquata rerum omnium sufficientia est summum bonum, & bonum cum fine reciprocatur, necesse est adæquatam rerum omnium sufficientiam esse re-

rum omnium finem, & quidem vltimum, alioquin non esset summum bonum; Deus igitur, qui non potest non esse adæquata sufficicentia rerum omnium, neque potest non esse rerum omnium finis vltimus; inde est non posse aliquid á Deo fieri, quod propter Deum tanquam propter vltimum finem non fiat. Præterea est euidens Deum non esse vltimum finem vtilitatis respectu rerum creatarum, quia repugnat Deum operari ex indigentia; quasi rebus á se distinctis indigere possit, quod apertè sequitur, si aliquid á Deo factum ordinatur ad Deum tanquam ad vltimum finem vtilitatis, cum esse finem vtilitatis idem formalissimè sit, ac aliquam vtilitatem accipere; Deus igitur, qui nullam vtilitatem potest á rebus extra se productis accipere, non potest esse vltimus finis vtilitatis respectu mundi; inde est, quod debet esse finis excellentiæ, qui in eo consistit, quod omnia referantur ad Dei gloriam, hoc est ad eiusdem notitiam, gloriam enim, ait Philosophus *esse claram notitiam cum laude*, consequens igitur est, vt Deus qui debet esse finis, vltimus excellentiæ rerum, quas producit extra se, omnia debeat creare propter gloriam suam, cum omnia referre debeat ad suam perfectionem reuelandam. Quia verò separari non potest finis vltimus excellentiæ ab vltimo fine vtilitatis; ideo necesse est, vt existente mundo existat vltimus finis vtilitatis, alioquin neque existeret vltimus finis excellentiæ; vndè sequitur, fieri non posse, vt Deus operetur extra se, quin existat aliquid á Deo distinctum, ad quod tanquam ad vltimum finem vtilitatis omnia referantur. Non posse autem vltimum finem excellentiæ separari á fine vltimo vtilitatis, manifestum est, quia repugnat cognitum sine cognoscente, ergo repugnat omnia ordinari ad Deum

rit, vt possit aliquando veré dici *tota æternitas fuit* siué quod eodem reuoluitur *fuere dies infiniti*, cum sit necesse, vt post quamcumque collectionem alia collectio sit futura; infinitas veró, quæ fuisset in debus æternitatis præteritæ, est cathegorematica, quia dies æternitatis præteritæ omnes collectiué fuissent. Indé est, quod esse determinatum requisitum ad infinitum cathegorematicum inuenitur in æternitate præterita: cur veró non erunt omnes collectiué dies æternitatis futuræ etiam si omnes distributiué sint futuri, si fuissent omnes collectiué dies æternitatis præteritæ? quia nimirum itá fuissent dies æternitatis præteritæ, vt si singulis diebus singuli Angeli fuissent creati existeret in rerum natura numerus Angelorum actu infinitus; quod nunquam continget respectu dierum æternitatis futuræ. Vnde colligi potest respectu infinitæ collectionis impertinenter se habere simultaté vnius diei cum alio, quæ simultas perindé repugnat diebus præteritis ac futuris. Hinc est, quod Deus, qui nunc videt æternitatem futuram, non videt omnes dies collectiué, quia huiusmodi collectio nulla est in ęternitate futura; quod si fuisset mundus ab ęterno, Deus nunc videret totam collectionem dierum componentium æternitatem pręteritam, quia nimirum hęc collectio inueniri debet in æternitate præterita, hoc est in illa duratione, in qua non est prima dies, licet sit vltima dies. Ex quo fit; vt in illa multitudine dierum in qua non erit vltima dies, nunquam sit tota dierum collectió, cum é contrario in illa multitudine, in qua non est dies prima, sed est dies vltimá, sit tota dierũ collectio, adeoque hoc argumentum non modo nihil concludit, sed concludit oppositum.

16. Ad vltimum: dist: ant: mundus est imperfe-

fectus, quia non fuit ęternus ęternitate in genere entis: concedo ant: ęternitate in genere entis creati: nego ant:. Æquiuocatio est ab æternitate in genere entis, quę vtique non repugnat, ad ęternitatem in genere entis creati, quam repugnare ostendi: mundus igitur est imperfectus, quia non fuit ęternus ęternitate in genere entis, qua ęternitate Deus fuit æternus, sicuti mundus est imperfectus, non quia non est creatura perfectissima, hęc enim est Chimęra: sed quia non est ens perfectissimum, quod est non solum posibile, sed etiam necessarium.

QVAESTIO II.

Vtrum Mundus sit vnus, & perfectus.

1. VIdetur non esse perfectus primó, quia potest creari alius mundus perfectior, alioquin esset perfectissimus; ergo non est perfectus. Consequentia probatur. Mundus, quo perfectior dari potest, est imperfectus, vt patet, sed repugnat vt id, quod est imperfectum, sit perfectum, ergo

2. Secundò: Totum, qnod constat ex partibus imperfectis, non est perfectum: sed mundus constat ex partibus imperfectis; vt patet discurrendo de singulis partibus, quæ mundum componunt, ergo totus mundus non est perfectus.

3. Tertiò, est melius mundum non ésse, quam esse: ergo mundus non est perfectus. Antecedens probatur; mundo existente existunt peccata, quę non existerent mundo non existen te, sed est longe melius peccatum non esse, quam esse: ergo est melius mundum non esse, quam esse.

4. Vl-

4. Vltimò: in mundo sunt viperæ, serpentes, dracones, & alia animalia noxia; sed huiusmodi corpora reddunt mundum imperfectum; quia esset perfectior mundus, si hęc non essent, ergo &c. Confirmatur, quia mundus non videtur bene gubernari, quia videmus frequenter vitium ascendere ad solium, virtutem ad patibulum, ergo &c.

5. Respondetur. Opera Dei sunt perfecta, quia Deus est sapientissimus, optimus, & omnipotens: quatenus sapientissimus nouit; quatenus optimus vult; quatenus omnipotens omnia potest facere eo modo, quo sunt facienda, adeoque proportionata, vt finem sibi debitum consequantur. Mundum autem esse fabricatum à Deo non potest in dubium reuocari, quia omnia per ipsum facta sunt, vt dicit scriptura aduersus Manichæos, qui negabant Deum fuisse omnium corporum conditorem eosque manifestè redarguit Augustinus, olim, & ipse Manichæus, deindè veræ religionis acerrimus propugnator, ergo mundus est perfectus.

6. Id autem, vt euidentius constet, notandum est rem perfectam posse dupliciter vsurpari; in omni genere, quatenus nulla est pefectio, quę in ea non contineatur; & in aliquo genere, quatenus omnem perfectionem, quam debet habere, habet: mundum non esse perfectum in omni genere, est indubitatum; nisi velimus nomine mundi intelligere etiam ipsum mundi conditorem. Mundum igitur esse pefectum in suo genere in hunc modum demonstro. Illud est perfectum in suo genere, quod habet quidquid habere debet ad consequendum finem suum; sed mundus hoc habet, ergo est in suo genere perfectus. Maior probatur, quia finis quem habet mundus est diuina gloria, omnia enim

prop-

propter semetipsum operatus est Deus, qui nihil aliud potest velle in suis operibus, nisi gloriam suam: ad hunc finem consequendū mundus est optimé dispositus, quia præter innumerabiles corporum species existunt substantiæ rationales, quæ nimirum habent facultatem cognoscendi illud verum, & amandi illud bonum, quod est summum, & vniuersale bonum, videlicet Deum, ad eius cognitionem, & amorem conducente ordine, pulchritudine, varietate, & elegantia huiusmodi rerum, quas oculis vsurpamus: hinc Dei gloriam enarrat cœlum, vt regius vates testatur. Addo, in mundo inueniri omnium rerum gradus per quos possumus ad Deum ascendere, alia enim sunt, quæ existunt, & vitam non habent; alia, quæ non solum existunt, sed etiam vitam habent, itá tamen vt quædam habeant vitam vegetantē, sicuti plantæ, quædam sentientem, vt animalia, quædam veró intelligentem, vt homines, vndé possumus manifesté intelligere authorem mundi, ad cuius contemplationem totus mundus ordinatur, non solum existere, & viuere, sed etiam vitam agere intelligentem, & fælicissimam.

7. Ratio á priori, cur necesse sit mundum constare ex tot, & adeó diuersis rerum generibus, nimirum elementis, plantis, & animantibus peti debet ab homine, quem natura molita est tanquam spectatorem huius pulcherrimi spectaculi; quia homo non potest intelligere, nisi speculetur phantasmatata, necesse fuit, vt anima hominis cætera immaterialis, esset forma alicuius corporis, vnde originem habuit necessitas materiæ primæ, ex qua omnia corpora formarentur: quia veró non quod libet promiscue corpus est proportionatum nobilissimæ substantiæ nimirum animæ intelligentis domici-

micilium, sed tantum corpus perfectè elaboratum in quo nimirum esset perfecta temperies, & consonantia primarum qualitatum, quæ inesse debei omnibus corporibus; ideó fingi debuere corpora, quæ singula haberent singulas primas qualitates in summo gradu. Huiusmodi sunt quatuor elementa, de quibus agemus in tom. 3. corpora nimirum simplicia, quæ sunt materia cuiuscumq; mixti, ignis videlicet summé calidus, aqua summé frigida, terra summè sicca, & aer summè humidus. Istæ qualitates dum refrãguntur, fit mixtum, quod est eo magis perfectum, quo pefectiùs miscentur qualitates: hinc oriuntur mixta animata, & inanimata, quæ procedunt gradatim vsque ad hominem, cuius corpus habet perfectam primarum qualitatum tẽperiem, & harmoniam, quæ in cæteris animalibus non est adeó perfecta. Id autem demonstratur, quia phantasmata, quæ ab homine formantur, sunt longè nobiliora, quam phantasmata cæterorum animantium, cum ordinentur ad intelligendum. Virtus igitur sentiendi, quæ huiusmodi phantasmata fabricatur, debet esse perfectior in homine, quam in brutis, ergo necesse est, vt sensus tactus, in quo fundatur virtus sentiendi, sit in homine delicatior, ergo etiam necesse est, vt primæ qualitates, quæ sunt in corpore humano, reducantur ad perfectam temperiem, vnum enim ex alio sequitur, vt demonstrabimus in tomo 3. cum Philosopho in libris de anima.

8. Hinc constat mundum esse non solum perfectum, sed etiam vnum, quod non est itá intelligendum, quasi omnia, quæ componunt mundum, efficiant vnum mundum, sicuti ea, quæ componunt vnum hominem, faciunt hominém, nisi velimus delirare cum Poetis, qui solem aiunt esse animam mun-

mundi. Vnitas igitur, quam habet mundus, est vnitas ordinis, quæ in suo genere est maxima, vt patet ex omnium partium mirabili connexione, ex dependentia corporum inferiorum á superioribus, ex temporum, & ætatum æquabili tenore, ex proportione, & pulchritudine, qua maior inueniri non potest.

9. Ad primum: conc: ant: & dist: conf: Non est perfectus in omni genere: conc: conf: in suo genere: nego conf: Ex eo quod Deus potest creare alium mundum perfectiorem, sequitur hunc mundum non esse perfectum in omni genere, quod est indubitatum.

10. Ad secundúm: dist: ma: Totum, cuius partes sunt imperfectæ, non est perfectum in omni genere: conc: ma: in suo genere: nego ma: & conc: mi: dist: similiter consequens. Totum debet esse singulis partibus perfectius, ideò ex defectu existente in singulis partibus, non debet argui defectus in toto, nisi forte defectus in genere entis, qui non cadit in præsentem controuersiam.

11. Ad tertium: nego ant: Licet mundus non sit melior ipse, quam non ipse, quia Deus, qui non est mundus, est melior mundo: adhuc tamen bonum est mundum esse. Ratio est, quia cum mundus non sit perfectus in omni genere, bonum est mundum esse Deo volente mundum esse, sicuti bonum est mundum non esse, si Deus velit mundum non esse. Ad probationem antecedentis: dist: ma: melius est peccatum non esse, quam esse intentiué: conc: ma: permissiuè: nego ma: & concessa mi: nego consequentiam. Peccatum esse intentiué est peccatum fieri, & intendi: in hoc sensu melius est peccatum non esse, quam esse: ideò de homine qui incidit in peccatum, verè dicitur id, quod de

Iuda proditore ait veritas *melius erat ei si natus non fuisset homo ille.* Oportet igitur distinguere voluntatem, quæ peccatum intendit, adeoque peccat á voluntate, quæ permittit peccatum, cum permittere peccatum sit bonum, peccare veró malum. Ratio est, quia maioris potestatis est de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere, vt inquit Augustinus; Deus igitur, qui de malis nostris bona facere potest, non solum potest, sed etiam debet permittere peccata; neque indè argui potest mundus in suo genere imperfectus, quia illa gloria, qua videtur fraudari Deus dum offenditur, redintegratur á pęna vindicante culpam. Quid Adamó peccante nocentius? Quid Sanguine Christi, qui humanum scelus expiauit salubrius? Inde est, quod Ecclesia fęlicem appellat culpam, quam Diuinus Sanguis meruit abolere.

12. Ad vltimum: Conc: ma: & neg: min: Non est cur Mundus censeatur imperfectus, si vnâ pars alteri noceat; cum enim necesse sit, vt generatio vnius sit corruptio alterius, non potest vna forma nasci, nisi alia extinguatur. Aqua pugnat cum igne, non propterea Mundus, quem componunt aqua, & ignis, est imperfectus, quia nimirum aqua, licet non promoueat bonum ignis, promouet bonum vniuersi, quod præponderat bono partis. Animalia igitur veneno imbuta non sunt penitus inutilia, etiam si mortem nobis machinentur, quia conducunt ad conditoris potentiam reuelandam. Præter, quamquod Mors per vnum hominem intrauit in mundum, in quo omnes peccauerunt; ex quo factum est, vt inobedientiæ humanæ culpam alterius inobedientiæ pœna Deus iustissimo iudicio vindicauerit. Neque mirum debet videri, si in hoc mundo prospera succedunt improbis, & probis improspera,

spera; id enim non sine Dei consilio fieri credendum est, qui vult nobis suadere, vt ait Augustinus; illa tantum bona esse amanda, quibus soli boni fruentur; illaque mala fugienda, quibus soli mali torquebuntur: quod si videmus damnari innocentes, & absolui reos in hac vita, non est culpanda gubernantis mundum prouidentia, sed patienter expectanda iudicis iustissimi sententia, qui malis mala, bona bonis retribuet.

QVAESTIO III.

Vtrum Mundus possit esse sine substantia rationali.

1. Videtur posse primò: quia Deus potuit velle Mundum, & non velle communicare substantiæ rationali visionem sui: ergo potest velle mundum, etiam si non velit creare substantiam rationalem. Antecedens est indubitatum, quia visio Dei est supernaturalis. Consequentia probatur, quia mundus si potest esse sine perfectione maiori, potest etiam esse sine minori; sed potest esse sine perfectione maiori; nimirum sine eleuatione substantiæ rationalis ad videndum Deum: ergo potest esse sine substantia rationali cum, multo maior perfectior sit existentia visionis Dei, quam existentia substantiæ rationalis.

2 Secundò: non est necesse, vt Deus operando extra se, velit communicare cognitionem sui intuitiuam: ergo neque est necesse, vt velit communicare cognitionem sui abstractiuam: ergo potest creare mundum sine substantia rationali. Prima consequentia probatur, Deus non habet maio-

rem necessitatem communicandi cognitionem, sui abstractiuam, quam cognitionem intuitiuam sui; sed potest non communicare cognitionem intuitiuam sui: ergo & abstractiuam.

3. Tertió: Substantia irrationalis si existeret sine rationali, non proinde euaderet chimæra: ergo potest existere. Antecedens probatur, tùm quia substantia irrationalis habet prædicata essentialia diuersa à substantia rationali, tùm quia substantia rationalis quantum est de se posset inducere substantiam rationalem ad cognitionem Dei, etiam si actu non induceret, quia substantia rationalis non esset: ergo &c.

4. Respon: Non minus repugnat aliquid existere, quod à Deo non sit factum tamquam à primo principio, quam aliquid existere, quòd propter Deum non sit factum, tamquam propter vltimum finem; cum ad infinitam perfectionem spectet esse primum rerum omnium principium, earumque vltimum finem: euidens autem est fieri non posse vt aliquid sit, quod á Deo factum non sit, tanquam á primo principio: ergo euidens est nihil fieri posse, quod non referatur ad Deum, tanquam ad vltimum finem. Id est adeo verum, vt Deus promiscuè dicatur principium, & finis rerum omnium, principium nimirum, á quo omnia procedunt, & finis, ad quem omnia iuxta suam naturam peruenire desiderant. Ratio à priori, cur necesse sit Deum esse rerum omnium principium, & finem, petenda est ab infinita eius perfectione, quæ tanta est, vt Deus sit adæquata rerum omnium sufficientia propter earumdem continentiam eminentialem, quia veró adæquata rerum omnium sufficientia est summum bonum, & bonum cum fine reciprocatur, necesse est adæquatam rerum omnium sufficientiam esse re-

rum

rum omnium finem, & quidem vltimum, alioquin non esset summum bonum; Deus igitur, qui non potest non esse adæquata sufficicentia rerum omnium, neque potest non esse rerum omnium finis vltimus; inde est non posse aliquid á Deo fieri, quod propter Deum tanquam propter vltimum finem non fiat. Præterea est euidens Deum non esse vltimum finem vtilitatis respectu rerum creatarum, quia repugnat Deum operari ex indigentia, quasi rebus á se distinctis indigere possit, quod apertè sequitur, si aliquid á Deo factum ordinatur ad Deum tanquam ad vltimum finem vtilitatis, cum esse finem vtilitatis idem formalissimè sit, ac aliquam vtilitatem accipere; Deus igitur, qui nullam vtilitatem potest à rebus extra se productis accipere, non potest esse vltimus finis vtilitatis respectu mundi; inde est, quod debet esse finis excellentiæ, qui in eo consistit, quod omnia referantur ad Dei gloriam, hoc est ad eiusdem notitiam, gloriam enim, ait Philosophus *esse claram notitiam cum laude*, consequens igitur est, vt Deus qui debet esse finis, vltimus excellentiæ rerum, quas producit extra se, omnia debeat creare propter gloriam suam, cum omnia referre debeat ad suam perfectionem reuelandam. Quia verò separari non potest finis vltimus excellentiæ ab vltimo fine vtilitatis; ideo necesse est, vt existente mundo existat vltimus finis vtilitatis, alioquin neque existeret vltimus finis excellentiæ; vndè sequitur, fieri non posse, vt Deus operetur extra se, quin existat aliquid à Deo distinctum, ad quod tanquam ad vltimum finem vtilitatis omnia referantur. Non posse autem vltimum finem excellentiæ separari á fine vltimo vtilitatis, manifestum est, quia repugnat cognitum sine cognoscente, ergo repugnat omnia ordinari ad Deum

tanquam ad verum cognitum, nisi ordinentur ad aliquam substantiam cognoscentem, cui vtile sit Deum cognoscere: sed Deum esse vltimum finem excellentiæ nihil est aliud, quam omnia ad Deum ordinari, tanquam ad verum cognitum: ergo repugnat Deum esse vltimum finem excellentiæ, nisi existat substantia distincta à Deo, quæ sit finis vltimus vtilitatis.

5. Ex hoc discursu sequitur gloriam Deo resultantem ex mundo condito esse bonum creaturę potiùs quam Dei. Ratio est euidens, quia huiusmodi gloria est notitia, quæ habetur de Diuina excellentia, sed huiusmodi notitia creaturam perficit non Deum; cum fęlicitas sit creaturæ non Dei, fęlicitas enim Dei non consistit in cognitione, quam habet creatura de Deo, sed in cognitione, quam habet Deus de se ipso: ergo &c. Constat igitur gloriam Dei esse indistinctam á nostra fęlicitate, adeoque non posse creaturam studere Diuinæ gloriæ, quin fęlicitatem suam promoueat, cum ad nostram conducat fęlicitatem quidquid in Dei gloriam cedit: hanc potissimam existimo causam; cur homo iubeatur Deum, & proximum diligere, non iubeatur se diligere, quia nimirum necesse non erat præcipere huiusmodi ámorem sui, cui præcipiebatur amor Dei, cum nemo possit Deum diligere nisi se diligat. Ratio à priori est, quia Deum diligere redundat in bonum, & fęlicitatem hominis, qui diligit, non Dei, qui diligitur, Deus enim est fęlicissimus non quia diligtur á nobis, sed quia diligit se ipsum, cum nemo distinctus à Deo diligat Deum quantùm diligi meretur. Audiatur August. qui in rem nostrã hæc ingeniosissimè habet in Tract. 135. in Ioannem. *Nescio quo incxplicabili modo quisquis se ipsum non Deum amat, non se amat, & quisquis*

Deum,

Deum, non se ipsum amat, ipse se amat, qui enim non potest viuere de se, moritur, vtique diligendo se, non ergo se amat, qui ne viuat se amat. Cum vero ille diligitur de quo viuitur, non se diligendo se magis diligit, quia propterea se non diligit, vt eum diligat de quo viuit: huc vsque Augustinus.

6. Hinc patet optimè componi ea, quæ videntur in sacris literis habere inter se aliquam oppositionem, dicitur enim á Deo vniuersa operante propter semetipsum omnia fuisse facta propter electos, tanquam propter finem vtilitatis, omnia propter se tanquam propter finem excellentiæ, quæ duo tantum abest, quin opponantur, vt vnum sine altero esse non possit. Ex quo enim constituit se finem excellentiæ necesse est, vt constituat electos substantias nimirum rationales, quas prædestinauit ad gloriam, finem vtilitatis; vnde sequitur substantias irrationales ordinari ad Deum tanquam ad finem excellentiæ, & ad substantias rationales tanquam ad finem vtilitatis, non enim possunt consequi suum finem, adeoque non possunt repræsentare excellentiam sui conditoris, nisi substantia rationalis consequatur felicitatem suam, quæ vt ait Philosophus, cum sit operatio perfectissima, necesse est, vt sit cognitiò summi veri, & amor summi boni, nimirum Dei. Hac de causa diserte ait Apostolus loquens de mundo ad Rom. 8. Expectatio creaturæ reuellationē filiorum Dei expectat, vbi significatur finem, propter quam fabricatus est mundus esse felicitatem substantiæ rationalis. Quæ cum ita sint appretè constat repugnare mundum carentem omni substantia rationali, quia sine ista non existit finis vltimus vtilitatis; sed repugnat mundū existere non existente fine vltimo vtilitati, ergo &c. Maior constat ex dictis: Minor patet, quia non existente vltimo fine

vtilitatis nō existit vltimus finis excellentiæ: hi enim duo fines sunt inseparabiles, vt ostensum est; sed repugnat mundum existere non existere vltimo fine excellentiæ, quia omnia propter Deum facta sunt, tanquam propter finem excellentiæ, ergo &c.

7. Vrgetur idem argumentum: si Deus potest facere mundum sine substantia rationali, faciat: deinde quæro an talem mundum fecerit Deus propter suam gloriam, vel non fecerit: dici non potest mundum non esse factum propter gloriam Dei; aliter Deus non faceret omnia propter se, quod si fecit mundum propter gloriam suam: ergo habuit pro fine se manifestum facere. Pergo nunc: cui voluit se manifestum facere? an sibi? at nullam habuit necessitatem faciendi mundum, vt se cognosceret; an substantijs ratione carentibus? at huiusmodi substantiæ nonpossunt cognoscere Deum. An substantiæ rationali? at ista substantia, vt supponitur, non existit. Vide igitur, an Deus potuerit creare mundum sine substantia rationali, quem si creasset, insipientissimè operatus fuisset, exhibendo nimirum spectaculum, vbi nullus esset spectator, quod in Deum cadere non potest, sapientissimum videlicet mundi Artificem.

8. Ad primum: conc: antec: & nego conseq: Argumentum committit fallaciam à secundum quid ad simpliciter, non enim valet consequentia à particulari ad vniuersale. Id quod existit potest esse sine ista præsentia locali: ergo potest nullam habere præsentiam localem? Consequentia est falsa. Non igitur bene arguitur: Deus potuit velle mundum, volendo illam gloriam, quam in præsenti habet; ergo potuit velle mundum nullam gloriam volendo; quod si Deus posset velle mundum sine substantia rationali, posset velle mundum nullam volen-

volendo gloriam, quia ostensum est gloriam Dei, quæ est notitia clara cum laude, non posse haberi sine substantia rationali. Ratio autem à priori, cur Deus non debeat communicare substantiæ rationali visionem sui, debeat verò producere substantiam rationalem, si vult producere mundum, est, quia Deus sicuti est liber ad volendam, vel nolendam omnem gloriam extrinsecam sibi: eo quod gloriam extrinsecam, quam vult, non vult ex indigia, sed ex abundantia perfectionis, cum ab æterno fuerit fęlicissimus; etiam si non habuerit gloriam extrinsecam, ita est liber ad volendam maiorem, vel minorem gloriam (sermo est de gloria extrinseca) cum sit liber ad volendam maiorem, vel minorem fęlicitatem substantiæ rationalis; quia vero communicando substantiæ rationali visionem sui, maiorem gloriam eligit, quam eamdem non communicando, cum Deus longè melius cognoscatur per visionem Dei; quam per cognitionem ænigmaticam, ideo est Deus indifferens ad cômunicandam, vel non communicandam substantiæ rationali visionem sui, quæ proinde in Sacris Literis antonomastice vocatur donum Dei, & gratia Dei, quia significat gratiosam Dei voluntatem eleuantis hominem ad visionem sui. Non proinde sequitur, esse Deum liberum ad producendam, vel non producendam substantiam rationalem, posito quod mundum produxerit, quia nimirum producendo mundum non potest non velle aliquam sui gloriam; nullam autem vellet, si nollet producere substantiam rationalem, quia hæc sola est capax Deum cognoscere, eumque glorificare. Quod si Deus vellet mundum producere, & simul nollet creare substantiam rationalem, quæ sola est capax Deum cognoscere, eumque glorifi-

care,

care, vellet res inuicem pugnantes, quia vellet gloriam suam, quatenus vellet mundum, eumque simul nollet, quatenus nollet substantiam rationalem. Patet igitur non esse cætera paria respectu mundi non eleuati ad visionem Dei, & mundi carentis substantia rationali, etiam si maior perfectio sit existentia visionis Dei, quam substantiæ rationalis, quia non existente visione Dei adhuc existit aliqua Dei gloria, non existente substantia rationali nulla existit Dei gloria. Hinc ad probationem consequentiæ distin: ma: Mundus, qui potest esse sine perfectione maiori, potest esse sine minori, cæteris paribus: concedo maiorem: cæteris imparibus; nego ma: & conc: min: nego conseq:

9. Ad secundum: Conc: antec: & neg: conseq: Ad probationem: nego ma: quia Deus habet necessitatem volendi aliquam gloriam sui, facta suppositione, quod aliquid creare velit, non habet necessitatem volendi gloriam maiorem, vt dictum est.

10. Ad tertium: nego antec: Ad eius probationem, dico substantiam irrationalem esse connexam cum rationali, etiam si habeat prædicata diuersa, sicuti media sunt connexa cum fine, ideo non potest Deus velle substantiam irrationalem sine rationali, eo modo, quo media non possunt amari sine amore finis; quod autem non satis sit substantiæ irrationali existenti posse, quantum est de se, inducere substantiam rationalem in notitiam Dei; est manifestum, quia vt existat substantia irrationalis, non satis est, quod possit fieri propter gloriam Dei, debet enim fieri propter gloriam Dei: vt ergo existat substantia irrationalis, non sufficit si possit inducere substantiam rationalem in cognitionem Dei, sed necesse est, vt inducat, quod vtique præstare non potest, si substantia rationalis non existit.

QVÆ-

QVAESTIO IV.

Vtrum figura Mundi sit sphærica.

1. VIdetur non esse primo: Terra non est rotunda: ergo figura mundi nō est sphęrica. Ant: prob. quia si esset rotunda, esset vnde cumque habitabilis: consequens autem est falsum, quia nimius calor, vt refert Aristoteles, impedit, quo minus regiones, quæ sunt sub Zona torrida, possint habitari, tùm quia existerent Antipodes, homines nimirum habitantes terram nobis diametraliter oppositam, sed Antipodes non existunt, alioquin incederent capite respiciente terram, & pedibus respicientibus cœlum.

2. Secundò: si terra esset rotunda, singulæ partes essent rotundæ: conseq. est falsum: ergo & ant: Minor probatur, quia experimur singulas partes terræ esse planas, quod non contingeret, si essent rotundæ, vt videre est in Cœlo, cuius partes videmus rotundas, eo quod Cœlum est rotundum. Præterea in superficie terræ existunt montes, qui vallibus sunt eminentiores, id autem contingere non deberet, si terra esset rotunda, quia corpus rotundum non habet vnam partem alia sublimiorem, cum omnes habeat æqualiter collocatas.

3. Respondetur: figuram mundi esse sphæricam docet Aristoteles lib. 2. de Cœlo Textu 23. quem sequuntur omnes Geographi, Mathematici, & Philosophi: id autem pluribus demonstrant Mathematici, qui orbes cœlestes speculati sunt. Nos ne videamur Mathematicum agere inter Philosophos, abstinebimus ab argumentis Mathematicis, quæ videri possunt, si libet, apud Clauium, & Blancanum

num, qui de ſphæra eruditè, & ingenioſe ſcripſere: nobis ſufficit duo proponere argumenta, quibus Ariſtoteles ibidem probat mundum, quatenus complectitur corpora ſuperiora, & inferiora, habere figuram ſphæricam.

4. Primo igitur árguitur in hunc modum, deſcendendo á ſupremo corpore, vſque ad poſtremum, videlicet terram. Neceſſe eſt, vt omnia corpora ſint rotunda, ſi primum Cęlum eſt rotundum, ſed primum Cœlum eſt rotundum: ergo cætera corpora, quæ mundum componunt ſunt rotunda: ergo totus mundus debet ita eſſe fabricatus, vt corpora elementaria, & cœleſtia in orbem ſint circumducta: Maior demonſtratur, quia corpora inferiora, nimirum elementa, quæ vocantur corpora ſublunaria, ex quibus formantur cætera mixta, debent eſſe contigua ſuperioribus, nimirum corporibus cœleſtibus, vt oſtenſum eſt diſp. 14. qu. 1. debent igitur eamdem habere figuram, quam habet corpus circumductum; quod ſi primum corpus, quod cætera continet, & circumdat, eſt rotundum, conſequens eſt, vt ea, quæ mediatè, vel immediatè continentur á primo Cœlo, fiant rotonda. Minor probatur, quia inter figuras ſolidas principem locum tenet figura ſphærica, ſicuti inter planas circularis, & ratio á priori eſt vtrique communis; quia cæteræ figuræ, quæ non ſunt rotundæ, ſunt compoſitæ, conſtant enim ex pluribus lineis, vt patet inductione facta in triangulo, quadrato, & alijs id genus; figura veró rotunda deſcribitur ab vnica linea in orbem ducta, ſi eſt circularis, ſiue plana, & ab vnica ſuperficie ducta ſimiliter in orbem, ſi eſt ſphærica, ſiue ſolida. Præterea figura oualis licet contineatur intrá vnicam tantum lineam, ſicuti figura rotunda, longè tamen perfectior eſt rotunda:

quum

quum oualis, cum sit vniformior, propter æqualem distantiam cuiuslibet partis circumferentiæ à centro, quod non contingit in figura ouali. Rursus perfectum est prius imperfecto, sed figura circularis est figura perfecta, cæteræ sunt imperfectæ, circulum enim describit linea circularis, quæ est linea perfecta, eo quod nihil illi adiungi potest: Cæteræ figuræ constant ex lineis imperfectis, quales sunt lineæ rectæ, quibus proinde adiungi aliquid potest: ergo figura sphærica est prima, & perfectissima figura, quod erat demonstrandum.

5. Quia veró primo corpori, quod cætera corpora mouet, debetur prima figura, vt est manifestũ, supremum autem Cęlum est primum corpus, quod nimirum continet cætera corpora, & à nullo continetur; ideo necesse est, vt supremum Cœlum habeat figuram sphæricam, quæ est valdé proportionata ad finem primi mobilis, cum enim primum mobile habeat pro fine mouere cætera corpora cælestia motu diurno ab Oriente ad Occidentem, vt nimirum virtutem suam in omnes partes terræ diffundat, debet primum mobile habere figuram rotundam, quæ talis est, vt omnes partes circumferentiæ æqualem habeant á centro distantiam.

6. Arguitur secundò ascendendo ab vltimo corpore, nimirum à globo, qui constat ex terra, & aqua, & vocatur terraqueus, ad supremum, nimirum ad primum mobile: globus, qui constat ex terra, & aqua, est rotundus; id autem pluribus demonstratur. Primò, quia huiusmodi globus proijcit vmbram rotundam, vt patet, quando Luna defectum patitur, defectus enim orbis lunaris nascitur ex interpositu terræ, Solem inter, & Lunam: manifestum est autem non fieri vmbram rotundam, nisi à corpore rotundo; terra igitur, & aqua effi-

efficiunt globum rotundum. Secundò terra, & aquã habent figuram rotundam versus Orientem, & Occidentem; aliter eodem tempore Sol nasceretur, & occideret omnibus populis, quiã omnes populi eumdem haberent Horizontem, si terra esset plana. Præterea habet figuram rotũdam versus meridiem, & septentrionem, siue versus polos mundi, quia nauigantibus ab vno ad alium polum, nimirum à meridie ad septentrionem plurimæ stellæ semper apparent, quæ nunquam videntur nasci, nunquam occidere, eó quod semper mouentur in orbem supra Horizontem; id autem non contingeret, si terra, & aqua versus meridiem, & septentrionem rotunda non essent. Addo incrementum noctium, & dierum apud populos septentrionem, & meridiem habitantes esse manifestum signum rotunditatis terræ, quæ si esset plana, eodem tempore Sol nasceretur, & occideret illis populis, adeoque non produceret noctes, & contraheret dies certis, ac definitis temporibus. Insuper certum est, aquam maritimam esse globosam, aliter naues altum vrgentes æque paterent ijs, qui tenent portum, ac qui ex altissima turri mare prospiciunt, quod experientiæ repugnat: vnde sequitur ex aqua, & terra effici vnum globum, qui necesse est, vt sit rotundus, propter vniformem ex omni parte globositatem, vt patet, tum ex maiori, vel minori eleuatione poli iuxta maiorem, vel minorem distantiam á Septentrione, vt Astrologi & Geographi obseruant, tùm etiam ex ortu Solis anticipato apud populos, qui vergunt ad Orientem.

7. Ostenso globum ex terra, & aqua constantem esse sphæricum; facilè est ostendere, cætera elementa esse eiusdem figuræ, aer enim, qui est terræ finitimus eã vndecumq; cingit; idem dico de igne quem

quem immediatè post orbem Lunarem super aerem natura collocauit: hinc eadem est figura ignis, quæ est aeri; eadem verò aeri, quæ terræ; adeoque omnibus rotunda. Hoc argumento demonstratur Lunam esse rotundam, quam tangit ignis eidem circumductus: quia verò Lunæ contigua sunt cætera corpora cælestia vsque ad primum mobile, euidens est omnia corpora cælestia esse rotunda, adeoque mundum, qui constat ex Cœlo, & elementis, habere figuram sphæricam, quæ vt referunt Mathematici, est omnium capacissima.

8. Hinc potest colligi ordo, quem in orbe terrarum habent omnia corpora: totus iste mundus, qui nobis incurrit in oculos, est amplissima sphæra, cuius imaginem referunt horologia, Astrolabia, & alia instrumenta, quæ apud Astrologos, & Geographos sunt vsitata; vbi descriptæ videntur orbium cælestium vertigines, astrorum, & planetarum positiones, terrarum, ac regionum situs. Centrum huius sphæræ occupat elementum terræ omnium grauissimum, eamque deberent totam aquæ circumsedere, vt in primo nacentis mundi exordio contigit, eò quòd aqua est elementum minus ponderosum, quam terra: quia verò nulla mixta generarentur, nullæ plantæ adolescerent, nullaque animalia terram inambularent, si tota terra iaceret sub aquis sepulta, ideo necesse fuit, vt Diuina sapientia, quæ terram fabricauit, vt esset hominis domicilium, omnes aquas in vnum locum cogeret, quod factum est, quando Deus aquas à terra separatas, & in vnum locum congregatas appellauit maria; supra terram, & aquam est elementum aeris; supra aerem ignis, quæ duo elementa conducunt ad transmittendas influentias corporum cælestium in corpora sublunaria.

9. Ad

9. Ad primum: nego antecedens. Non sequitur terram esse rotundam, etiamsi omnes eius partes habitari non possint; cæterum probabilius est omnes partes terræ esse habitabiles; Neque hic audiendus est Aristoteles, qui opinatus est terram sub Zona torrida iacentem esse incultam, experientia enim docuit contrarium, vt constat ex ijs, qui post Aristotelis ætatem ad Indos nauigarunt; nobis enim referunt tantam in illis regionibus aquarum copiam è Cœlo descendere, vt Solis ardorem mitiget, vbi Diuina relucet prouidentia, quæ solis ardorem aquarum copia nouit temperare. Antipodes vere sunt, eosque esse testantur mundi noui inuentores: neque debemus imaginari eos ordine inuerso ambulantes, cum aer totam terram cingat, adeoque Cœlum sit supra verticem Antipodum, sicuti est supra verticem nostrum.

10. Ad secundum: Concedo ma: & nego min: Mirum non est, si nobis non videantur rotundæ partes terræ; quia cum videtur aliqua minima magnæ sphæræ particula, ea apparet plana, inde est, quod partes terræ videntur planæ, & partes cæli videntur rotundæ; etiam si omnes sint rotundæ, quia nimirum maiorem cæli, quam terræ partem vno aspectu intuemur. Quod autem montes supra valles assurgant, id probat terram, non esse totam geometricè rotundam, quod consonat ijs, quæ docuimus de continuo, vbi demonstrauimus sphæram mathematicam esse chimæram, sufficit enim si terra physicè sit rotunda, cui non repugnat montium sublimitas, quia montes comparati cum tota terra non constituunt molem valde sensibilem.

QVÆ-

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum Terra moueatur circa Cælum?

1. VIdetur moueri: primo: quia terra indiget Sole, cæterisque planetis: ergo moueri debet circa Solem, & Sol debet esse immobilis. Consequentia probatur. Ad illud corpus spectat moueri, quod habet indigentiam; cum principium motus sit indigentia; sed terra habet indigentiam: ergo &c.

2. Secundo: Terra cũ Cęlo collata est punctum: ergo terra, non cęlum mouetur. Consequentia probatur, tùm quia congruentius est moueri corpus minus, quam corpus maius: tùm quia si moueatur cęlum, requiritur maxima virtus ad mouendam tantam molem, & mouetur motu rapidissimo, qui vix intelligi potest in corpore tantæ molis; quod autem moueri debeat velocitate maxima, est manifestum; quia infinita pénè dixerim milliaria conficit spatio vnius diei.

3. Respon: Demonstrata rotunditate mundi, & demonstrato ordine corporum inferiorum cum superioribus, in illa istis agentibus, consequens est, vt vel circa terram cęlum, vel terrà circa orbes cælestes perpetuo cursu moueatur, quia non potest Sol singulas terræ partes illuminare, quod requiritur ad eius fęcunditatem, nisi terra circa Solem, vel Sol circa terram moueatur.

4. Celebris est sententia, quam olim docuit Niceta Syracusanus contra Aristotelem in secundo de Cęlo Textu 50. Archimedem, & Ptolomæum, aliosque illustrissimos Mathematicos, eamque ve-

tustate antiquatam nunc reuocauit ad lucem Nicolaus Copernicus, quem sequitur Galilæus à Galilęis, cum alijs Mathematicis, nimirum terram moueri circa Solem, & cætera corpora cælestia, quæ semper manent sine motu. Quod si opponatur illis sensibilis experientia, qua videmus Solem, Lunam, cæterósque planetas perpetua vertigine circa nos moueri, aiunt mirum non esse, quod nobis, qui terram habitamus motu velocissimo currentem, videantur moueri corpora cælestia, cæteroquin immobilia, quæ habemus ante oculos, cum id semper contingat nauigantibus, quibus videntur moueri littora, terræque circumiacentes ambulare, licet ipsi sint, qui verè mouentur: sicuti ergo nemo est, qui dicere audeat moueri littora, non moueri naues, ita nemo dicere debet moueri Solem, & terram non moueri, licet experiatur contrarium, cum debeat ratione emendari falsa oculorum apparentia.

5. Hæc sententia est omninò falsa, & temeraria, ne dicam hæreticam, contradicit enim sacris literis, quæ passim docent terram manere immotam, Solem verò moueri circa terram: in Psalmo 92. habetur. *Firmauit Orbem terræ, qui non commouebitur*, & alibi. *Fundasti terram supra stabilitatem suam, & non inclinabitur in sæculum sæculi*. Deinde in libro, qui inscribitur *Iosue* cap.x. narratur Iosue, qui gentem Hebræam in terram Abrahæ promissam introduxit pugnantibus Iudæis contra Reges Amorrhacorum Soli imperasse, ne ad occasum festinaret; sed immotus diem produceret, qui suprema clade hostes conficeret: ex quo factum fuit, vt prodigio inusitato Sol steterit immotus, donec hostes vnico & continuato funere delerentur obediente Domino voci hominis, & pugnante pro

Israel.

Israel. *Sol* (inquit Iosue) *contra Gabon ne mouearis: stetit itaque Sol in medio cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei.* Hanc veritatem de motu Solis euidentius testatur Spiritus Sanctus in lib. Ecclef. cap. 1. vbi hæc habet. *Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibi renascens pergit ad meridiem, & flectitur ad Aquilonem, lustrans vniuersa incircuitu:* quid euidentius dici potest ad ostendendum motum Solis?

6. Eadem sententia redarguitur erroris, spectato naturæ lumine: primo; quia nullam habemus experientiam, cui suffragatur id, quod experimur de motu Solis, & Lunæ: neque repugnat experientia nauigantium, qui dubitare non possunt, an nauis moueatur, cum nauis motus cadat sub experientiam: Secundo: si quis ex aliqua naui, quæ transmittit Oceanum, pilam iaculetur in partem superiorem, illa pila non reuertitur eo, vnde fuit profecta: quod est certissimum argumentum, cur moueatur nauis, ea enim si non moueretur, deberet pila in eumdem locum descendere, ex quo ascendit: oppositum contingit, si quis proijciat ex terra pilam, quæ vtique eo reuertitur, vnde fuit profecta, non alia de causa, nisi quia terra non mouetur. Tertio: terra cum sit elementum omnium grauissimum, debet esse centrum totius mundi, quia centrum sphæræ est illud punctum, quod habet distantiam æqualem ab omnibus eius partibus, quod sine dubio conuenire debet corpori grauissimo habenti necessitatem existendi sub alijs corporibus, adeoque occupandi vltimum locum. Manifestum est autem, centrum in qualibet figura circulari esse punctum immobile, circa quod ducitur in orbem linea: hic enim est modus describendi circulum, nimirum lineam centro circumductam describere;

non est igitur, cur terra moueatur circa cælum, cum debeat cęlum moueri circa terram, circumferentia nimirum circa centrum. Omitto in præsenti alia argumenta, quibus constat hæc veritas de Sistemate mundi ita fabricati, vt terra, vbi succedunt perpetuæ vicissitudines rerum nascentium, & morientium, immota permaneat, & circa terram moueantur corpora cæleſtia.

7. Ad primum: conc: antec: & nego conſeq: ad prob: diſtin: ma: illud debet moueri cæteris paribus, quod habet indigentiam: concedo ma: cæteris imparibus: nego ma: indigentia, quam ſine dubio habet terra ſuam expectans fęcunditatem à clementia cęli, eſt principium motus reſpectu rei indigentis, dummodò cætera ſint paria, quæ non ſunt in præſenti, vt nunc oſtendam; inde eſt, quod ad definiendum terra ne an cęlum moueatur, attendi non debet ſola ihdigentia: Cætera non eſſe paria ex eo conſtat, quod terra eſt domicilium illius ſubſtantiæ, cui cælum ſeruire debet, nimirum hominis, quem vtpotè ſubſtantiam rationalem finem inquam vtilitatis Deus conſtituit iuxta illud: *omnia ſubiecisti ſub pedibus eius*; quid igitur mirum ſi debeat cælum moueri circa terram, cum factum ſit propter hominem, cuius fęlicitati conducit nunquam intermiſſus cæli motus:

8. Ad ſecundum: conc: antec: & nego conſeq: Terram cęlo comparatam eſſe punctum eſt euidens, ideo Seneca Philoſophus Moralis exaggerans inſatiabilem regnandi libidinem, quæ homines accendit ad prælia ineunda ait. *Punctum eſt, in quo belligeratur*: non eſt tamen, cur terra non habeat plus ponderis, quam cęlum; cum ſit corpus omnium grauiſsimum, & quia motui non tam reſiſtit pondus, quam magnitudo corporis, quod moueri debet,

ideo

ideo est magis inepta ad motum terra, quam cęlum: Cæterum immensa planè cæli magnitudo, quæ est necessitas conficiendi breuissimo tempore spatium pænè infinitum non retardat motum, quia cælo ordinate mouendo præposuit Deus Intelligentias, mentes nimirum à corpore segregatas.

DISPVTATIO DECIMANONA.

De Cælo; & eius motu.

VNá ex præcipuis Mundi partibus est Cœlum, quod appellatur mundus cælestis, vt distinguatur ab elementari; qui ea tantum corpora complectitur, quæ perpetuis subiecta mutationibus infra orbem Lunæ collocauit natura. De corporibus cælestibus & eorum motu hic agendum, quia de luce, lumine, & influxu in mundum elementum sermo erit in vltima disp.

QVAESTIO I.

Vtrum Cælum sit corpus simplex, vel elementare.

1. IN hac controuersia de naturá corporum cœlestium, quæ nomine cœli significantur; duo possunt agitari, primo vtrum cœlum sint quinta

quidem ſubſtantiæ, quæ neque ſit elementum, neque conſtat ex elementis. Ratio dubitandi eſt, quia corpora cœleſtia habent qualitates elementares, ergo vel ſunt elementa, vel conſtant ex elementis. Antecedens probatur, quia ſunt calida, humida, frigida, & ſicca, cum habeant virtutem rarefaciendi, humectandi, & exſiccandi, vt contingit in ſole, qui calefacit aerem, & terram exſiccat, & niuem liquefacit, ergo &c.

2. Reſpondeo: Cœlum conſtare ex materia, & forma, adeoque non eſſe corpus ſimplex. Ità Ariſtoteles cum S. Thoma, quem ſequuntur omnes peripatetici. Ratio eſt, quia ſubſtantia materialis completa conſtat ex materia, & forma, ergo non eſt ſubſtantia ſimplex. Minor eſt certa, quia cœlum eſt materiale, cun ſit extenſum, & quantum. Maior enim patet, quia inter ſubſtantiam completm materialem, & immaterialem illud intereſt, quod iſta habet eſſe ſimplex, illa veró compoſitum, eum eſſe rerum immaterialium ſit ſimplicius, quam eſſe rerum materialium.

3. Huiuſmodi corpus, quod eſt cœlum, neque eſt elementum, neque conſtat ex elementis, ſed eſt quinta quædam ſubſtantia ſpecie, immò genere diuerſa tum ab elementis, tum à cæteris mixtis. Hanc ſententiam docet expreſsè Ariſtoteles in primo de cœlo textu 4.

4. Ratio eſt, quia cœlum ſemper mouetur motu circulari, vnde ſequitur hunc motum non eſſe illi violentum, cum nihil violentũ ſit durabile; ſupereſt igitur, vt ſit motus naturalis: atqui eſt manifeſtum nulli elemento, vel corpori ex elementis compoſito eſſe naturalem motũ circularem, cum illis ſit naturalis motus rectus, vel á centro ad circumferentiam, ſicuti ſunt corpora leuia, vel á circumferen-

tia

tia ad centrum, ficuti funt corpora grauia: corpora igitur cælestia non habent grauitatem, vel leuitatem, quæ sunt qualitates inclinantes ad ascensum & descensum; cum autē huiusmodi qualitates originem habeant ex primis qualitatibus, quæ sunt calor, frigus, humiditas, & siccitas; reliquum est vt corpora cælestia neque sit calida, neque frigida, neque sicca, neque humida, adeoque substantialiter diuersa ab elementis, & cæteris corporibus quæ formantur ex elementis, vnde constat falsitas sententiæ, quæ docet solem esse igneum, cum sit substantia quædam ab igne diuersa. Hinc est, quod præter corpora sublunaria, quibus est naturale ascendere, vel descendere, dantur corpora superiora, quibus est naturale moueri circa centrum, ista non debent constare ex elementis, quibus est naturale ascendere, vel descendere.

6. Ad argumentum in contrarium dico corpora cælestia esse calida virtualiter, non verò formaliter, cum sint lucida, vt contingit in sole habente virtutem calefaciendi, quia lux est principij caloris; ideo ex hoc capite non arguitur esse in huiusmodi corporibus qualitates elementares.

7. Quæritur secundò vtrum cœlum sit corruptibile. Ratio dubitandi est, primò, quia cælum in fine mundi corrumpetur, ergo est corruptibile. Antecedens probatur, quia in palmo 132. dicitur *Opera manuum tuarum sunt Cœli ipsi peribunt tu autem permanebis*, tum quia in secunda Epistola S. Petri cap. 3. dicitur *Cæli magno impetu transibunt, elementa verò calore soluentur*. Accedit authoritas Patrum docentium cœlum corruptibile.

7. Secundò, quia in cælo plurima generantur, & corrumpuntur, ergo cœlum est corruptibile,

Probatur ant: quia apparent in cœio supra orbem lunarem plurimi cometæ, quod non poteſt aliunde naſci, niſi ex noua generatione, & corruptione. ergo &c.

8. Reſpondetur cum Ariſtotele loco citato, quem ſequitur S. Thomas, cœlum eſſe incorruptibile.

9. Ratio á priori huius ſententiæ eſt, quia ſubſtantia, quæ nullum habet contrarium, non eſt corruptibilis; ſed huiuſmodi eſt cœlum, ergo non eſt corruptibile. Maior eſt certa, quia illa tantùm ſubſtantia eſt corruptibilis, quæ habet contrarium, vt patet in omnibus ſublunaribus, quas euidens eſt perpetuæ mutationi, & corruptioni eſſe ſubiectas; non enim ex alio capite moriuntur animalia, niſi quia in materiam informatam introducuntur diſpoſitiones repugnantes diſpoſitionibus ab anima requiſitis: prætereá non eſt alia ratio, cur vnum elementum in aliud conuertatur, niſi oppoſitio qualitatum vnam formam excludentium, & aliam introducentium. Minor probatur, quia prima oppoſitio eſt illa, quæ reperitur inter primas qualitates, quæ ſunt qualitates elementares: calor enim opponitur frigori, & humiditas ſiccitati, cæteræ veró qualitates, quæ oriuntur ex primis, eatenus inter ſe opponuntur, quatenus opponuntur primæ qualitates, indé eſt, quod illa, quæ non habent qualitates elementares non habent qualitates oppoſitas: corpora veró cæleſtia non habent qualitates elementares, vt oſtenſum eſt, quia licet conſtent ex materia, & forma, differunt tamen ſubſtantialiter ab elementis, cæteriſque mixtis, quæ ex elementis conſtant; corpora igitur cœleſtia, quæ non habent principium deſtructionis, non poſſunt deſtrui, adeóque cœlum eſt incorruptibile.

10. Con-

10. Confirmatur: substantia materialis, cuius materia non est susceptiua formarum oppositarum, est incorruptibilis: sed cœlum est substantia materialis, cuius materia non est susceptiua formarum oppositarum, ergo &c. Minor patet, quia oppositio vnius formæ substantialis cum alia nascitur ex oppositione qualitatum eisdem formis congruentium; materia veró corporum cælestium non potest suscipere qualitates opposi as, aliter posset suscipere calorem, frigus, humiditaem, & siccitatem, quæ sunt formarum elementarium indiuiduæ comites.

11. Ratio á posteriori eiusdem sententiæ desumitur ex præcipua corporum cælestium proprietate, quæ est motus circularis: vndé potest in hunc modum argui cælum esse incorruptibile. Illud corpus, cui conuenit motus rectus, est corruptibile, illud veró, cui cònuenit motus circularis est incorruptibile; sed corpus elementare debet moueri motu recto, corpus cæleste motu circulari, ergo illud est còrrup ibile, hoc incorruptibile. Minor probatur, quia solus motus rectus versatur inter extrema contraria, cum terminus á quo procedit mobile dum mouetur motu recto, opponatur terminó, ad quem accedit, quantó enim magis accedit ad vnum terminum; tantó magis recedit ab alio: hoc in motu circulari non contingit, qui est motus per quem mobile itá mouetur, vt eo reuertatur vnde fuit profectum, id enim est proprium motus circularis, vt principium cum fine conueniat: ex quo sequitur huiusmodi motum esse continuum, quia mobile cum non intendat peruenire ad aliquem terminum necesse est, vt moueatur semper recedendo, & semper reuertendo ad idem punctum. Quia veró omnis corruptio est motus á

contrario: in contrarium, & motus rectus est à contrario in contrarium, circularis non est á contrario in contrarium, id circo corpus, quod mouetur motu recto est subiectum corruptioni, non est subiectum corpus, quod mouetur motu circulari, adeoque cælum est incorruptibile. Addo corpus, quod mouetur motu circulari, esse principium cuiuscumque corruptionis, cum omnis generatio, quæ accidit iu rebus existentibus sub orbe lunari, originem habeat á motu circulari corporum cęlestium; principium autem actiuum cuiuscumque corruptionis debet esse incorruptibile; inde est corpora cælestia esse incorruptibilia.

12. Ex dictis constat, materiam corporum cælestium esse diuersam specie à materia sublunarium, quia materia corporum cælestium non est susceptiua alterius formæ præter illam, qua informatur; aliter posset ab vna forma transire ad aliam, adeoque corpora cælestia possent destrui; materia veró corportm sublunariam potest plurimas formas suscipere: indé est, quod forma, quæ informat materiam corporum cęlestium, totaliter explet totam eiusdem potentialitatem, forma veró, quæ informat corporum sublunarium materiam, non explet totaliter eiusdem potentialitatem, cum eam relinquat capacem suscipiendæ alterius formę: quia veró corpora, quæ habent materiam diuersæ speciei, differunt genere physico; vt in logica demonstratum est; ideo corpora superiora differunt ab inferioribus non solum specie, sed etiam genere physico, licet non differant genere logico, quia continentur sub eodem genere corporis.

13. Ad primum: nego antecedens. Circa ea quæ mundo contingent in vltima ætate, quando nimirum Christus ad humanum genus iudicandum

dum de cælo descendet variæ sunt opiniones, quas non vacat referre. S. Thomas, quem nos sequitur in artic. 3. & sequent; qu: 5, ex disputatis docet totam hanc mundi molem quatenus complectitur corpora cælestia, & elementaria semper duratura, ea enim tantum peritura sunt, quæ habent principium intrinsecum suæ corruptionis; huiusmodi sunt corpora mixta, quæ ex oppositis qualitatibus constant; á numero rerum, quæ constant ex qualitatibus contrarijs, & semper non durabunt, excludi debet corpus humanum, quod singulari Dei beneficio donabitur immortalitate. Quid ergo peribit, quándo totus iste mundus ab igne consumptus dissoluetur? peribunt temporum vicissitudines, quas suo motu efficiunt astrorum nunquam intermissæ conuersiones, peribit solis, lunæ cæterorumque corporum cælestium motus, quia vt ibidem acute discurrit Doctor Angelicus, eatenus mouentur circa mundum elementarem orbes cælestes, quatenus hic motus conducit ad ortum, & interitum rerum infra lunam existentium, quiá corporum decedentium, & succedentium motus perseuerare debet donec totus electorum numerus á Deo definitus impleatur. Omnibus itaque mixtis pereuntibus, plantis nimirum, animálibus, cæterisque mineralibus remanebunt elementa á seruitute corruptionis, vt inquit Apostolus, liberata; singula enim ab omni labe purgata, locum suæ naturæ congruentem occupabunt, & mundum efficient longé pulchriorem eo, quem in præsenti experimur. Orbes cælestes elementis circumducti permanebunt immobiles, quia cessante ætatum, ac temporum volubilitate non erit cur primum mobile moueatur ád spatia diurna conficienda; cur sol, & luna suo motu secernant diem á nocte; & tempora men-

menses, & annos distinguant. In hoc sensu videtur loquutus Spiritus Sanctus, cum ea prædicens, quæ accident post mundi interitum ait futurum cęlum nouum, & terram nouam, quia nimirum hoc cęlum, & ista terra renouabuntur quatenus non seruient amplius mutationi,& volubilitati rerum. Hinc est, quod cęli, & terra transibunt, quia non retinebunt eam figuram, & formam, quam in præsenti habent, nunc enim mouetur,tunc non mouebitur cęlum; nunc fiunt generationes, tunc nullæ fient generationes in terra. Ille igitur ignis, quo totus hic mundus conflagrabit, mundum non absumet, sed purgabit, eumque spectabiliorem reddet: vndè patet optimé componi ea, quæ docet scriptura, & docent Patres de interitu mundi cum eius ęternitate, si nimirum omnia intelligantur de figura huius mundi, quæ vtique peribit, iuxta illud Apostoli. *Præterit figura huius mundi*.

14. Ad secundum: nego ant: locus generationi, & corruptioni destinatus est mundus elementaris,in quo nimirum qualitates contrariæ inuicem pugnant: cæterum orbes cælestes sunt ab omni corruptione segregati: quod si aliquæ stellę, quę antea non apparebant, deinde apparere cęperunt, non sequitur nouas stellas generari, cum id fine noua generatione refundi possit in nouam stellarum apparentiam: difficilius est de cometis decérnere. Aliqui opinati sunt cometas infra orbem lunarem apparere, quod si vérum foret,nullus difficultati locus remaneret, quia veró Astrologi quibus hac super re fidem habere volumus dicunt cometas esse supram orbem lunarem: ideo dicendum est causam cometarum esse solum Deum, qui nimirum huiusmodi corpora accendit,vt plurimos

venturos effectus nobis prænuncient, vt factum est quando Deus nouam stellam in cęlo condidit, vt Magos duceret ad Christi pręsepium.

QVAESTIO II.

Vtrum omnes Cæli sint solidi, vel fluidi.

1. Videntur non esse solidi primò, quia vel omnes suut solidi, vel nulli: non omnes, ergo nulli: mi: patet, quia cœlum, per quod planetę discurrunt, est fluidum. Maior probatur, quia eodem modo discurrendũ est de omnibus cælis. Confirmatur quia sententia, quæ ait omnes cælos esse solidos, videtur magis accedere ad sensum Sacræ scripturæ, vt ex pluribus locis colligitur: in capit. 31. lib. Iob. habetur. *Tu forsan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ære fusi sunt.* in Epistola ad Hebr. cap. 4. dicit Paulus Apostólus. *Habemus ergo Pontificem magnum, qui penetrauit calos.*

2. Secundò: Si cælum vbi sunt plánetæ, est fluidum sequitur planetas discurrere per cælum, sicuti pisces per mare, & volucres per aerem. Consequens est falsum, ergo & ant: sequela est certa, quia si nátura huiusmodi cæli est fluida, spatium, quod planetæ occupant est permebile, sicuti aqua, & aer. Minor probatur, quia motus, quo planetæ mouentur per cælum est summè ordinatus, & vniformis, adeoque nullatenus comparandus cum illo motu, quo sine lege, & sine ordine mouentur pisces per mare, & volueres qer aerem.

3. Tertio. Planetæ mouentur duplici motu contrario, nimirum sol motu diurno ab Oriente
in

in Occidentem, qui vocatur motus raptus, & motus annuus, qui vocatnr motus proprius ab Occidente in Orientem, sed non possunt explicari isti motus contrarij, nisi orbes planetarum sint solidi, ergo &c.

4. Vltimo. Si cęlum in quo errant planetę, esset fruidum, corpora cæleſtia, quę maximam habent nolem, dum rapidiſſime mouentur deberent emittere maximum fragorem, vt experintia patet in pila bombardæ aerem, qui est corpus fluidum, secante. consequens est falsum, quia modo planetę mouentur, & tamen nullam audimus sonum; ergo &c.

5. Resp: ad intelligentiam huius quæstionis definiendus est orbium cęlestium numerus; qua in re moneo nihil certi posse statui, sicuti nihil est, quod pro certo habeatur circa eorundem naturam solidam, vel fluidam, ego enim in ea semper sententia fui, quod maxima distantia cæli á terra sit causa, cur ea, quæ vulgo á mathematicis, & Astrologis iactantur de cælo quoad numerum, motum, & dispositionem, sint valde incerta; inde est quod castigatius loquutos illos censéo, qui nihil certi statuentes, an Deus hoc, vel illo modo cęlestes orbes condiderit, illud solum constituunt, omnes apparentias bene saluari, si orbes cælestes itá sint fabricari, vt ipsi fabricatos imaginantur.

6. Apud Mathematicos fuit semper vsitatum ponere cælos plures tribus; alij enim vndecim, alij nouem, alij plures recognoscunt excogitatis circulis eccentricis, concentrius, & alijs huiusmodi: mihi videtur probabilius tres tantum esse cælos, vnum videlicet Empyreum, quod super omnes cælos collocatum fides docet esse æternam beatorum sedem, locum nimirum ab omni sensibili mutatione alienum: aliud firmamentum, cælum videlicet stel-

la-

latum, vbi sunt stellæ, quas appellant fixas: vltimum cælum planetarum, vbi sunt sol, luna, cęterique planetæ. Ad hoc opinandum moueor, tùm quia non est necesse alios orbes cęlestes multiplicare, tùm quia Paulus Apostolus, qui ad Empyreum peruenit, vbi vidit arcana verba, quæ non licet homini loqui, fatetur se raptum vsque ad tertium cęlum, quod si supremum cęlum, ad quod fuit raptus, vocat tertium, manifestum est ab Apostolo tres tantùm cęlos recognosci, & consequenter a nobis, qui sentire volumus cum Apostolo.

7. An verò huiusmodi orbes cælestes habeant naturam solidam, qualem habent terra, argentum, aurum, & crystallum; an verò fluidam, qualem habent aer, aqua cęterique liquores, qui facile possunt permeari, magna est inter Philosophos controuersia, alijs opinantibus corporum cælestium naturam esse simillimam lucidissimo chrystallo, vel æri solidissimo, alijs verò diuersimodè de diuersis globis cęlestibus sentientibus. Vt mentem meam aperiam in hac re valdè incerta existimo Empyreum, & firmamentum esse solidum, cælum verò planetarum fluidum. Ratio cur cælum planetarum esse debeat fluidum, adeoq; planetę cælum occupantes sint similes piscibus existentibus in mare, & auibus aerem habitantibus, est, quia planetę describunt suo motu quædam tortuissima volumina, vt Astrorum speculatores narrant de Marte, ac Mercurio. Prętereà plerique Astrologi cum Tycone docent Martem aliquando esse supra Solem, aliquando infra Solem, quod si cælum non esset fluidum, & permeabile, vix posset intelligi quomodo tales motus adeo diuersi confici possent. Quia verò hæc non militant pro firmamento, vbi nullæ sunt stellę errantes, sed omnes

sunt

sunt fixæ, quæ proinde motibus diuersis non mouentur, & multominus pro Empyreo, ideó tenendum, est firmamentum simul cum Empyreo esse cęlum solidum.

8. Ad primum: nego ma: Dispáritas constat ex dictis: ad loca scripturę dico, vel ea probare orbium cælestium stabilitatem, quę vtique est maxima, cum sit segregata ab omni labe corruptionis, vel probare soliditatem Empyrei, quę nobis non contradicit.

9. Ad secundùm: conc: mai: & nego mi: Ordinatus planetarum errantiùm motus optime cohęret cum varijs erroribus, quibus per cęlum discurrunt, quia huiusmodi errores sunt valdè ordinati, vt facilé deprehéndunt, qui syderum motus obseruant; adeó vt futuras Eclypses, aliosque effectus prędicant, qui in mundo elementari ex motu planetarum oriuntur: id autem non contingeret, si in tanta difformitate motuum nulla esset vniformitas: vnde sequitur necessitas alicuius intelligentię singulos mouentis planetas, quę intelligentiam modo in hanc modo in illam cęli fluidi partem mouet planetam curę suę commissum; pro vt intelligit conducere ad finem intentum á natura eo modo, quo Pictor habens in mente figuram describendam, mouet pennicillum per telam coloribus inbuendam.

10. Ad tertium: conc: ma: & nego mi: Natura fluida illius cęli, per quod planetæ vagantur, non obstat, quominus Sol moueatur duplici motu contrarió, cum enim motus corporum cęlestium procedat ab intelligentijs, vt demonstrabimus, potest vna intelligentia mouere Solem ab Oriente in Occidentem eodem tempore, quo eumdem mouet ab Occidente in Orientem alia intelligentia,

quæ

quę mouendo primum mobile mouet cæteros orbes inferiores.

11. Ad vltimum;non eſt mirum, ſi pilá bombardę magno cum fragore per aerem moueatur, quia ſuo motu ſcindit aerem ſibi reluctantem, qui nimirum aliquam patitur violentiam; dum ſecatur in partes, adeoque contranititur corpori, quod mouetur: id enim non contingit planetis, qui mouentur per cælum, quod non eſt talis naturę, vt reluctetur motui planetarum.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum Cæli moueantur ab intellectu.

1. VIdentur non moueri ab intellectu, primó quia principium illius motus,quo mouentur orbes cęleſtes, eſt eorum natura, ſed natura orbiumcęleſtium non eſt intellectus,ergo nullus intellectus mouet orbes cęleſtęs. Mi: eſt certa:ma: prob: quia neceſſe vt orbes cęleſtes moueantur ab intrinſeco, alitér mouerentur motu violento, qui perpetuus eſſe non poteſt, ergo &c.

2. Secundó videntur moueri ab intellectu informantè, quia mundus inferior, qui eſt orbis elementaris habet proportionem cum mundo ſuperiori,qui eſt mundus cæleſtis,ſed in hoc mundo inferiori dantur corpora,quę mouentur ab intellectu informante, ergo etiam in mundo ſuperiori dantur corpora:quę moúentur ab intellectu informante. Minor eſt certa, quia corpora humana mouentur ab anima informante, quę eſt ſubſtantia intelligens. Maior probatur, quia longè nobilior eſt mundus ſuperior, quam inferior, ergo ea debet eſſe inter vtrumque mundum proportio, vt corpora,

quę componunt mundum ſuperiorem moueantur ab intellectu informante, ſi corpora inferiora mouentur ab intellectu informãte, aliter maiorem perfectionem haberent iſta, quam illa, corpus enim animatum eſt ſimpliciter nobilius corpore inanimato.

3. Reſpondetur. Non eſt dubium, an moueantur orbes cęleſtes, cum á nobis definitum fuerit contra Copernicum, & Galilęum cęlum moueri circa terram. Dubium eſt, an moueatur ab aliqua virtute, quę caret intellectu, ſicuti grauitas impellit ad centrũ grauia, & leuia repellit á centro leuitas; liquido enim conſtat á natura inditas fuiſſe rebus vita, & intellectu carentibus aliquas inclinationes quibus ſe mouent ad finem ſibi proportionatum, vndé conſtat huiuſmodi motum non eſſe ab intellectu tanquam á principio immediato, eſto procedat ab aliquo intellectu tamquam á principio mediato: quod ſatis eſt ad veritatem illius principij toties decantati. Opus naturæ eſt opus intelligentię.

4. Inter Philoſophos, qui mundum ab intellectu fabricatum cognouere, nullus eſt, qui dubitauerit an motus cęli ſit effectus immediate procedens ab aliqua intelligentia, vt patet ex Ariſtotele, Platone, cęteriſque profitentibus doctrinam Peripateticam, vel Platonicam, cum quibus ſentiunt fere omnes SS. PP. cum S. Thoma, adeo vt ſit vera, & certa huiuſmodi ſententia de motu corporum cæleſtium, cuius immediatum principium eſt aliquis intellectus: quidquid reclament Mathematici hic non audiendi, qui non eſt mirum ſi errauerint, dum opinati ſunt cęlum moueri ab intrinſeco, cum in alienam meſſem voluerint falcem immittere.

5. Ratio á priori, quę nobis ſuadet hanc veritatem, eſt, quia ordo naturę, & mundi poſtulat, vt

cor-

corpora inferiora subijciantur superioribus, quod fieri non potest, nisi corpora superiora habeant virtutem gubernandi corpora inferiora, aliter non esset bonum corporum inferiorum subijci superioribus, quod euidenter repugnat ordini politico, non est autem dubium quin corpora cęlestia sint superiora, & sublunaria inferiora, quod ex duplici capite ostenditur. Primò: quia illa sublimiorem & ampliorem occupant locum, quam ista: secundò: quia illa non sunt obnoxia generationi, & corruptioni quemadmodum ista. Consequens igitur, est vt corpora sublunaria debeant subijci cęlestibus, á quibus proinde regi, & gubernari debent; quia verò non alia de causa corpora superiora mundum elementarem gubernant, nisi quia semper mouentur circa mundum elementarem, cum motus, quo cęlum mouetur sit regula cuiuscumque motus, ideó necesse est, vt iste motus immediate procedat ab aliquo intellectu, nisi velimus dicere ea, quę carent intellectu gubernari ab ijs, quæ á nullo intellectu mouentur, quod est contra perfectionem ordinis naturalis, & politici requirentis, vt ea, quæ non habent intellectum, subijciantur ijs quæ intellectum habent; sicuti est contra perfectionem ordinis ciuilis, vt illi homines, qui sunt capacioris mentis obediant hominibus mentem anguſtiorem habentibus.

6. Præterea aperté constat principium, à quo procedit motus orbium cælestium, esse intelligentiam, vbi enim inuenitur varietas, & multitudo motuum necesse est, vt ibi reperiatur aliquod principium vitæ, vndè originem habeat motus, tùm quia viuere est moueri ab intrinseco, cuius definitionis á Philosopho traditę veram intelligentiam in libris de anima exponemus, tùm quia ea, quæ

fine vlla controuerfiá carent vita, vel nullius motus funt principia, vel motu aliquo certo, aut defin to mouentur, eoque folúm quando ad naturalem, fibique débitum ftatum non peruenere, vt patet in elementis, lapidibus, & mineralibus, quæ mouentur á circumferentia ad centrum, vel à centro ad circumferentiam, donec locum, quem appetunt affequantur, eoque affequuto quiefcunt: oppofitum contingit in rebus vitam habentibus, nimirum in plantis, brutis, & hominibus: huiufmodi plurimos, & diffimiles motus exercent, eofque præfertim, quando funt in ftatu perfectionis, quod alia non indiget expofitione, præter experientiam notiffimam; orbes autem cæleftes multiplici, & diffimili motu agitari eft indubitatum apud eos qui curfus aftrorum intentius obferuant; neceffe eft igitur vt viuat principium illud, quod immediate mouet cælum: non poteft autem viuere vitam vegetantem, vel fentientem, cum hoc genus vitæ illi fubftantiæ conueniat, quæ eft forma corporis, qualis vtique non eft fubftantia, quę mouet cęlum, vt patebit ex dicendis; fequitur itaq; viuere vitam intelligentem; fubftãtia veró quæ viuit vitam intelligentem eft intellectus. Cælum igitur mouetur ab intellectu, quod erat demonftrandum.

7. Dicendum prætereà cum Ariftotele, & S. Thomá cælum moueri ab intellectu affiftente, non informante.

8. Ratio á priori defumitur ex natura intellectus informantis, in hunc modum. Intellectus, qui eft forma informans, eft intellectus, qui fpeculatur phantafmata, & cognitionem accipit à fenfibus, fed intellectus mouens cælum non fpeculatur phantafmata, neque accipit cognitionem à fenfibus, ergo intellectus mouens cælum non eft forma infor-

mans,

mans, ergo est forma assistens, ergo mouet cælum, sicuti mouet auriga currum. Maior probatur, quia intellectus est substantia immaterialis, adeoque exercet operationem intelligendi independentem á corpore, ergo eatenus vnitur corpori, & informat corpus, quatenus indiget corpore, vt ei per sensus ministrētur phantasmata, à quibus abstrahit species vniuersales, id est formas immateriales intelligere autē per species vniuersales abstractas a phantasmate, quod sensus elaborat, est formalissimè speculari phātasmata; siue accipere cognitionē à sensibus, ergo intellectus informans corpus intelligit per conuersionē ad phantasmata. Hinc sequitur in genere substantiæ intelligentis esse infimum intellectum, qui intelligit abstrahendo species vniuesales á phantasmate, nobiliorem enim intelligendi modum habet illa mens, quę nō habet indigentiam speculandi phantasmata, qualis est modus intelligendi conueniens Angelis accipientibus á Deo, vt docet S. Thomas, formas, rerum intelligendarum. Minor etiam simili modo probatur, quia intellectus, qui speculatur phantasmata debet constituere cum corpore, quod informat principium commune vegetandi, & sentiendi, vt constat in anima rationali; quæ communicata corpori habet vitā vegetantem communem cum plantis, & sentientem cum animalibus, ratio à priori huius veritatis est, quia phantasma est actus facultatis sentientis, actus autem talis facultatis, est actus sentiendi, qui supponit actum vegetandi, repugnat enim vt aliqua res vitam agat sentientem, quæ simul vitam non agit vegetantem, intellectus igitur non potest speculari phantasmata, nisi constituat cum corpore vnum principium vegetandi, & sentiendi. Intellectus verò, qui mouet cælum, non constituit

cum cælo cui mouendo coniungitur, vnum principium vegetandi, & sentiendi, tùm quia corpora cælestia non habent organa requisitá ad exercenda munera vitæ sententijs, & vegetantis, quis enim dicere audeat solem, & lunam indigere alimento, quod in suam naturam conuertatur? quod si stellæ aliquando appellantur oculi cæli, id metaphorice dictum est intelligendum, tùm quia corporá, quæ viuunt vitam sentientem, & vegetantem sunt obnoxia corruptioni, cum debeant constare ex qualitatibus elementaribus inuicem pugnantibus, tactus enim, sine quo virtus sentiendi inueniri potest; est facultas percipiendi calorem, frigus, humiditatem, & siccitatem, ad organum huius sensus fabricandum requiritur temperies huiusmodi qualitatũ, quæ proindé in humano corpore debet esse perfectior, quam in cæteris animalibus propter perfectiorem tangendi virtutem; vt alibi demonstrabimus, igitur constat corpora cælestia, quę ab non corruptione sunt aliena, non vegetare, neque sentire, adeoque intellectum á quo mouentur non speculari phantasmata, quod erat ostendendum.

9. Hinc patet corpora cælestia non esse animata, quod etiam arguere licet ex eorum forma, & figura, quæ cum sit rotunda, est inepta ad exercendas operationes vitæ, sicuti est aptissima ad motum, quo mouentur circa centrum ab intelligentia: quia veró corpora, quæ sunt inepta ad vitam, & ex alia parte moueri debent ab intelligentia, vt á principio immediato, indiget intellectu assistente, ideó corpora cælestia habent necessitátem alicuius intellectus assistentis, hic intellectus, cum esse non possit forma corporis debet esse, substantia immaterialis completa, id est Angelus, vnde infero existentiam Angelorum non solum

esse

esse certam secundùm fidem, sed etiam secundùm lumen rationis, sicuti Aristoteles, & Plato ingeniosissimi Philosophi ex ordinato motu orbium cælestium venere in notitiam Angelorum, quos semper appellant nomine intelligentiæ, quod si Aristoteles aliquando vocat animata corpora cęlestia, intelligendus est de substantia mouente corpora cælestia, quæ vtique viuit, cum intelligat.

10. Ad primum: conc:ma: & nego mi: Verum quidem est omnem motum violetum nasci á principio extrinseco, non propterea omnis motus, qui à principio extrinseco nascitur, est violentus, cum violentia oriatur à resistentia patientis; manifestum est autem orbes cælestes non resistere virtuti intelligentiæ motricis, quia dum mouentur non relinquunt statum naturalem, & sibi debitum, inde est hunc motum non esse violentum, tametsi proueniat á principio extrinseco.

11. Ad secundúm: conc: ma: & mi: & nego consequentiam. Proportio mundi inferioris cum mundo superiori non cogit nos philosophari de mundo superiori eodem modo, vt de mundo inferiori, alioquin non esset proportio, sed omnimoda similitudo, quæ vtique non datur: ratio á priori est, quia proportio mundi inferioris cum superiori nō excludit á mundo superiori pefectionem maiorem ea, quæ est in inferiori, eam autem excluderet, si intellectus, qui mouet corpora mundi superioris, esset forma informans, sicuti est forma informans intellectus, qui mouet corpora mundi inferioris. Proportio igitur vnius mundi cum alio præcise in eo consistit, quod sicuti mundus hic inferior exigit intellectum immediaté mouentem aliqua corpora, itá mundus ille superior exigit intellectum immediate mouentem corpora, quæ

ad mundum superiorem spectant, distantia veró, & dissimilitudo vnius mundi ab alio desumi debet ex distantia, & dissimilitudine intellectus, quem exigit mundus superior ab intellectu, quem exigit mundus inferior: mundus enim superior exigit intellectum non speculantem phantasmata, adeoque longe nobiliorem intellectu speculante phantasmata, quem exigit mundus inferior: inde est quod intelligentia, quæ mouet corpora cælestia, est longé nobilior intelligentia mouente corpora sublunaria, nimirum corpora humana: ex quo conficitur necessitatem, quam habet mundus inferior, vt ab intellectu informante moneatur, esse coniunctam cum necessitate, quam habet superior vt ab intellectu assistente moueatur.

12. Neque mihi opponas corpora, quæ mouentur ab intellectu informante, esse nobiliora corporibus, quæ mouentur ab intellectu assistente, cum illa viuant, ista non viuant: id enim libentissimè concedo: an proinde sequitur mundum inferiorem esse perfectiorem superiori; falsa consequentia licet enim corpora, quæ intellectus animat, sint nobiliora corporibus, quæ intellectus non animat intellectus tamen, qui mouet corpus, quod animare non potest est longe perfectior intellectu mouente corpus, quod animare potest. Mundus igitur superior consideratus secundúm substantias, quæ mouentur, & substantias, quæ mouent, habet maiorem perfectionem, quam mundus inferior pariter consideratus secundum substantias, quæ mouentur, & mouent; licet corpora mundi superioris, id est substantiæ, quæ mouentur sint minus perfecta, quam corpora mundi inferioris, cum maior, vel minor perfectio attendi debeat ex comparatione totius cum toto, non partis cum parte.

DI-

DISPVTATIO VLTIMA.

De luce, & influxu corporum cælestium.

AGit Aristoteles de luce, & lumine in secundo de anima, & in lib. de sensu & sensibili: S. Thomas in prima parte quæst. 56. Suarius in lib. secundo de operibus sex dierum cap. 2. Ruuius in tractatu de sensu visus quæst. 6. Aliique Scholastici cum eodem philosopho in libris de Anima: nobis libet de hac re, quæ spectat ad proprium sensibile facultatis videntis hic disputare, quia est potissima corporum cælestium proprietas, quę á luce quam habent maximám, habent virtutem agendi in corpora inferiora.

QVAESTIO I.

Quid sit lux, & an differat specie à lumine.

1. NIhil est magis perspicuum, & nihil magis manifestum ipsa luce, & ipso lumine, quod non solum seipsam, sed etiam cætera sensibile, quæ in oculos incurrunt manifestat. Hinc Christus in Euangelio ait esse lumen omne id, quod manifestatur, quia omne id quod manifestatur, medio lumine fit manifestum. Quare quidquid substantiæ cognoscenti manifestam facit aliquam verita-

ritatem, vocatur lumen, quod eam *illuminat relatè* ad cognitionem veritatis sibi *proportionatæ*. Inde est, quòd illa qualitas, quæ inhærens *intellectui* beato eum disponit ad videndum Deum, vocatur lumen gloriæ, ad quod spectant illa *Regij vatis* verba: *in lumine tuo videbimus lumen*, quia per hoc lumen fit manifestum intellectui creato *supremum*, & infinitum intelligibile, adeoque lumen dicitur per quamdam analogiam ad illud lumen sensibile, quod experimur, dum res sensibiles oculis repræsentantur. Ex qua doctrina eleganter infert S. Thomas in quæst. citata art. primó nomen lucis fuisse primò institutum ad significandum id, quod facit manifestum sensui visus eius proprium sensibile, deinde extensum fuisse ad significandum id, quod manifestam facit intellectui veritatem eidem ignotam eo pacto, quo nomen visionis primum impositum est ad significandum exercitium facultatis videntis, deinde propter dignitatem, & certitudinem huius facultatis extensum est hoc nomen ad omnem cognitionem non tantum cæterorum sensuum, sed etiam intellectus ideó Matthæi 5. dicitur *beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*.

2. Illa igitur lux, de qua hic disputamus, est lux materialis, atque sensibilis, quam experimur esse in corporibus non solum superioribus, nimirum cælestibus, sed etiam inferioribus, videlicet sublunaribus. Plurima possunt proponi dubia circa naturam lucis, an nimirum sit aliquod corpus, vel forma substantialis corporis solaris, quod inter cætera corpora habet maximam lucem, an verò sit aliqua qualitas realiter distincta à quolibet corpore luminoso, & qualibet forma substantiali.

3. Empedocles ait lucem, & lumen esse corpus

quod

quod per totum aerem diffunditur. Democritus ait lumen nihil aliud esse, quam lucida corpuscula, quæ à corpore luminoso per totum spatium, quod illuminatur vndecumque propagantur: Ità sentiunt omnes Atomistæ; alij verò docent lucem esse formam substantialem corporis luminosi, nimirum solis, & ignis, vel cuiuscumque alterius corporis, quod apparet luminosum. Ratio est tùm quia Philosophus ait lumen esse speciē ignis, adeoque censet lumen esse eiusdem naturæ, cuius est ignis, sed ignis est corpus, ergo etiam lumen est corpus; tum quia est proprium lucis, quod est proprium corporis, nimirum ferri, intersecari, & reflecti, quæ omnia accidunt rei corporeæ. Addo quod lux, vel est aliquid immateriale, vel est substantia corporea: atqui est manifestum lucem non esse aliquid immateriale, necesse est igitur, vt lux sit aliquod corpus, vel saltem sit forma substantialis corporis luminosi.

4. Hæc sententia apud Peripateticos malé audit, & pluribus argumentis rédarguitur manifestæ falsitatis. In primis quia duo corpora non possunt naturaliter esse in eodem loco, sed lumen est in eodem loco in quo est corpus, quod illuminatur, ergo lumen non est corpus. Minor est certa, quia in eodem loco in quo est aer, qui á sole illuminatur, est etiam lumen, quo illuminatur. Deindé quia si lumen esset corpus luminosum, quod à sole discederet ad aerem illuminandum, illuminatio aeris fieret per motum localem eiusdem corporis, adeoque illuminatio non fieret in instanti, quia nullus motus localis potest esse in instanti. Neque dicas illuminationē fieri in tempore imperceptibili, adeoque nobis apparere instantaneam, qui si opus esset motu locali ad aerem illuminandum, hoc tempus in

quo

quo fieret illuminatio nõ posset esse inperceptibile, quia illud spatium, quod est ab Oriente ad Occidentem est maximum, adeoque non potest totum pertransiri tempore imperceptibili ab illis corpusculis, quæ effluunt á sole existente in Oriente ad aerem, qui ambit Occidentem. Præterea quando aer de lucido euadit tenebrosus per absentiam illius corporis, quod aerem illuminat, deberet huiusmodi corpus corrumpi, adeoque deberet generari aliud corpus tantæ molis, quantæ est totus aer, qui á sole illuminatur. Hinc constat lumen non esse aliquod corpus, sed esse aliquam qualitatem inhærentem corpori illuminato. Hinc reijcitur eorum error, qui dicunt lucem solis esse formam substantialem eiusdem solis, quia lux solis debet esse in eadem specie in qua est lumen productum á sole in aere, sed lumen productum á sole in aere non est forma substantialis solis, ergo neque lux, quæ est in sole est forma substantialis solis; Adde, quod nulla forma substántialis est capax intensionis, & remissionis: sed lux est forma capax intensionis, & remissionis: ergo lux non est forma substantialis corporis luminosi.

5. Huiusmodi qualitas est nobilissima in genere qualitatis materialis, tum quia est qualitas perfectiua, quæ caret contrarió, túm quia est maximé actiua, adeoque multum accedit ad naturam rerum immaterialium, quæ sunt longé magis actiuæ, quam res materiales. Huiusmodi qualitas est capax intentionis, & remissionis, quia omnes experimur maiorem, vel minorem lucem in aere iuxta maiorem, vel minorem propinquitatem corporis luminosi; intensio, & remissio istius qualitatis non differt ab intensione, & remissione cæterarum qualitatum, quæ non sunt in genere vitæ, qualita-

tes

tes enim, quæ sunt in genere vitæ, vt cognitio, & amor intenduntur per mutationem qualitatis minoris in maiorem, illæ veró quæ non sunt in genere uitæ intenduntur per additionem vnius gradus ad alium gradum, vt constat ex tom. 3. disp. 4 qu. 4. num. 7. Quia veró huiusmodi qualitas nullam habet formam sibi contrariam, ideó non potest intendi, vel remitti, nisi per maiorem, vel minorem distantiam corporis luminosi á subiecto, quod illuminatur; corpus enim luminosum, quo magis est propinquum illi subiectó, quod illuminat, eo maiorem lucem producit, & quo magis ab eodem subiecto recedit, eo minorem lucem producit. Indé est, quod lux non potest destrui nisi per absentiam corporis luminosi, quia huiusmodi qualitas caret contrarió, adeoque non potest deficere ex præsentia contrarij, sicuti deficiunt illæ qualitates, quæ habẽt contrarium; vel ergo non deficit, vel deficit ex defectu causæ eam conseruantis. Atqui hanc qualitatem aliquando deficere est satis manifestum, est igitur eius defectus refundendus in defectum causæ conseruantis: sed causa, quæ conseruat lucem, est corpus luminosum, quiá lux pendet in fieri, & conseruari á sole, vel alio corpore luminoso, sicuti omnes res creatæ pendent a Deo in fieri, & conseruari: ergo defectus lucis, qui formalissimè consistit in tenebris, non habet aliam originem, nisi absentiam solis, vel alterius corporis luminosi.

6. Circa modum, quo lux producitur, & propagatur, eodem modo est philosophandum ac de cæteris formis accidentibus: in primis necesse est aliquod subiectum esse, quod lucem sustentet, adeoque sit causa materialis eiusdem lucis, quia nullum acccidens potest naturaliter existere sine subiecto propter naturalem connexionem, & dependentiam

a sub-

á substantia. De natura illius subiecti, quod lucem sustentat, dicam in quæstione sequenti, vbi sermo erit de corpore luminoso, & corpore susceptiuo lucis: huiusmodi subiectum actuatur, & informatur á luce, siué á lumine, sicuti materia actuatur & informatur á suo actu, ideó Aristoteles definiens lumen ait, esse actum perspicui, quia nimirum est illa forma, quæ actuat subiectum, quod est perspicuum. Causa efficiens luminis est corpus luminosum, quod per lucem, quam in se habet, producit aliam lucem in subiecto huius formę capaci. Inde est lucem propagari non solum á corpore luminoso, sed etiam ab ipsa luce, ea enim est qualitás actiuá, adeoque habet vim seipsam propagandi eo pacto, quo calor est qualitás actiua, adeoque potest seipsum propagare, cálorem enim non solum producit ignis, qui est corpus calidum, sed etiam calor, qui inhæret igni, & ab igne producitur. Est tamen inter calorem, & lucem magnum discrimen, quantum ad illam actionem, qua huiusmodi qualitatés seipsas propagant: calor enim, quia est qualitas habens contrarium, effundit suam actionem per totam sphæram suæ actiuitatis in instanti, adeoque non se propagat, quantum potest propagare, in instanti, quia nimirum inuenit in subiecto in quo debet seipsum propagaré, qualitatem sibi contrariam, quam debet paulatim vincere: é contrarió lumen effundit totam suam actionem in instanti, adeoque se propagat in instanti, quia nulla est qualitas contraria lumini, quæ sit à lumine superandæ, illa enim oppositio, quæ inuenitur inter lumen, & tenebras, est oppositio contradictoria, quæ non impedit instantaneam luminis propagationem. Actio per quam lumen diffunditur alia est directa, alia reflexa, quia corpus lumino-

sum

ſum producit lucem in toto illo ſpatio, quod eſt intra ſphæram ſuæ actiuitatis per lineā rectam, quod ſi in tali ſpatio ſit aliquod corpus, quod huiuſmodi actionem impediat, neceſſe eſt, vt iſta actio per lineam reflexam producat lucem maiorem in ſubiecto, eo quod omne agens, quod non poteſt ſuam actionem continuare, debet agere per lineam directam, & reflexam; maiorem effectum ibi producendo vbi ſit reflexio. Hinc experimur maiorem lucem, quando aliquod corpus reflectit lucem à ſole propagatam, quam ſi nullum ſit corpus, quod eamdem reflectat. Ex hac doctrina conſtat lucem, & lumen non eſſe aliquod corpus, neque aliquam formā ſubſtantialem corporis luminoſi, vt ſimplicius, Democritus, & alij Atomiſtæ opinantur, quia intenſio, & remiſſio, quam in lumine experimur, nulla eſt in formis ſubſtantialibus, cæteriſque ſubſtantijs, quæ non ſuſcipiunt magis, & minus. Hinc patet, quid ſit dicendum ad argumentum in contrarium, Ariſtoteles enim dum ait lumen eſſe ſpeciem ignis, nominat ignem in propria materia, ſicut ignis in materia aerea dicitur flamma, & in materia terrea dicitur carbo. Addo, quod Ariſtoteli eſt ſatis vſitatum præſertim in libris logicalibus vti exemplis deſumptis ex ſententijs aliorum philoſophorum, quæ tamen ſunt falſæ, licet non careant omni probabilitate. Quod ſi lumini tribuitur id, quod eſt proprium corporum, id non debet videri mirum, quia plurima metaphoricè conueniunt lumini, quæ propriè conueniunt corpori.

7. Oſtenſo, lucem eſſe qualitatem, & non ſubſtantiam, remanet dubium, an lumen ſit qualitas intentionalis, an verò ſit qualitas phyſica, & naturalis repræſentans ipſum colorem. Argumenta, quæ

hanc

hanc sententiam videntur suadere, sunt primò; quia lumen est illa forma, per quam conspicitur lux solis, ipsa tamen non videtur; sed illa forma, quæ non videtur, & per ipsam videtur aliquod obiectum, est qualitas intentionalis, siue species eiusdem obiecti, ergo lumen est qualita intentionalis, siue species, quæ repræsentat lucem.

8. Secundò. Sensibile positum supra sensum secundum esse reale non causat sensationem, debet enim inhærere sensui secundum esse intentionale; sed lumen, quod est in pupilla; est causa visionis; ergo lumen habet esse tantum intentionale.

9. Tertiò: species intentionalis caret contrariò, & perseuerat tantum in præsentia causæ illam diffundentis: sed hæc prædicata conueniunt lumini: ergo nullum est discrimen inter naturam luminis, & naturam speciei impressæ.

10. Aduersus hanc sententiam dicendum est lumen esse qualitatem naturalem, quæ habet esse verum,& reale, non intentionale. Ità docent omnes Aristotelis interpretes: & fere omnes scholastici cum S. Thoma quæst. citata art. 3.

11. Ratio est, quia lumen communicat subiecto, in quo est, aliquem effectum formalem, præterea perficit idem subiectum quod informat: deinde est causa efficiens alterius qualitatis nimirum caloris, & siccitatis, vt experientia constat, quia aer illuminatus habet aliquam perfectionem, quã non habet aer carens lumine, idem denominatur á lumine sibi inhærente lucidus: idem habet aliquem calorem, & siccitatem, quam non habet aer tenebrosus: indè est quod aerem nocturnum experimur longè frigidiorem,& humidiorem, quam aerem diurnum, & loca subterranea, quæ á sole non illuminantur, humida, & frigida: quo fit vt sol, quia

aerem

aerem illuminat, per illud lumen quod diffundit, exsiccat aerem, eumque calefacit producendo per qualitatem áeri communicatam calorem, & siccitatem. Est autem manifestum, nullum ex istis prædicatis conuenire illi qualitati, quæ est qualitas intentionalis, & habet esse tenuissimum; nimirum speciei impressæ; vt constat ex doctrine apud omnes indubitata de specie impressa, quam trademus in libris de ánima tomo 3. species impressa nullum effectum formalem communicat subiecto, cui inhæret, neque illud perficit, est enim tántum ordinata ad producendam cognitionem in facultate cognoscente, adeoque aer, in quo sunt species impressæ omnium colorum, qui videntur, non est perfectior, quam ille aer in quo non sunt huiusmodi species. Præterea species intentionelis non habet virtutem producendi aliquam qualitatem, vt apud omnes constat, species enim coloris non est causa cur aer, per quem hæc species propágatur, sit calidus, vel alia simili qualitate áffectus.

12. Addo speciem impressam coloris non esse qualitatem per se visibilem, sed tantum esse qualitatem, per quam color est visibilis; sed lumen est qualitas per se visibilis ab oculo, quia oculus videt lumen, quod est in luna: hoc autem lumen non differt á lumine, quod est in aere; maior enim sensibilitas luminis, quod est in luna, quam luminis, quod est in aere, nascitur ex maiori densitate lunæ: non est igitur lumen qualitas intentionalis. Confirmatur: quia est probabilissimum non differre specie lumen aeris á luce solis, sicuti non differt specie calor ab igne propagatus in aere á calore ignis: ratio est, quia sicuti in genere corporis elementaris nullum est corpus quod sit magis actiuum igne, ita in genere corporis cælestis nullum est magis actiuum

uum sole: eo igitur pacto quo ignis est actiuus, quia calorem, quem habet in se, effundit extra se producendo intrá sphæram suæ actiuitatis calorem eiusdem speciei cum illo calore, quem in seipso continet; sol etiam debet effundere extrá se lucem, quam habet. Quare cum nemo dubitet, an lux solis sit qualitas physica, & naturalis, & non tantum intentionalis, consequens est, vt illa lux, quæ est in aere, sit qualitas physica, & naturalis, & non solum intentionalis. Quod si aliquando vocatur lumen qualitas intentionalis, id nascitur, quia inter qualitates corporeas accedit máximè ad qualitates spirituales, vt poté perfectior alijs qualitatibus materialibus. Quare lumen à luce non distinguitur nisi ex capite subiecti, cui inhærent, lux enim, quæ inhæret subiecto, in quo est fons lucis, dicitur lux potius quam lumen, quæ veró recipitur in subiecto, in quo non est principiū actiuum lucis, dicitur lumen magis quam lux: inde est, quod vocamus lucem solis illam qualitatem, quæ inhæret soli eumque reddit corpus summè visibile; vocamus lumen aeris, & lunæ illam qualitatem, quæ reddit huiusmodi corpora perspicua.

19. Positó, quod lumen non sit qualitas intentionalis, neque species impressa, sed sit aliqua qualitas naturalis, debemus considerare; an ista qualitas videatur per seipsam immediaté, an veró videatur per aliquam speciem impressam, per quam lumen habeat in oculo esse intentionale, sicuti habet esse intentionale color. Certum est lumen quod videtur ab oculo, esse causam obiectiuam visionis, non minus quam sit causa obiectiua eiusdem visionis color: quia verò causa obiectiua non agit immediatè per seipsam, sed mediaté per speciem sui, vt constat ex tractatu de causa obiectiua

in tomo 3. ideò lumen non potest videri nisi per speciem impressam sui: adeoque necesse est à lumine emitti speciem, sicuti emittitur à quolibet obiecto visibili. Consonat huic discursui experientia, qua constat videri ab oculo lumen intrá oculum existens, quando oculo obijcitur speculum, quod lumen non videtur, quando nullum obijcitur speculum, quia nimirum species luminis existentis intrà oculum á speculo reuerberatæ eo reuertuntur, vnde sunt profectæ, adeoque informando potentiam visiuam eam mouent ad videndum lumen, quod est in ipsa pupilla.

14. Ad primum: constat ex dictis, quia plurima prædicata conueniunt speciei, quæ non conueniunt lumini: species enim non videtur, sed est id, per quod obiectum videtur: lumen verò non solum est id, per quod aliquod videtur, sed etiam ipsum videtur: est enim proprium huius qualitatis manifestare seipsam, & aliud á se distinctum; adeoque est proprium eiusdem non solum esse visibilem, sed etiam constituere visibile obiectum á se distinctum.

15. Ad secundúm: lumen, quod est intrà oculum, non videtur ab oculo, nisi quando oculus habet ante se speculum; sed solum videtur illud lumen quod est extrá oculum: huius rei non est alia ratio, nisi quod lumen extrà oculum emittit ad oculum speciem sui, per quam videtur ab oculo: illud verò lumen, quod est intrá oculum non producit in oculo speciem sui: hanc speciem quia producit in oculo, quando est speculum ante oculum quod speciem reflectit, ideò oculus videns se in speculo videt lumen, quod habet intra se, sicuti videt aliud lumen, quod habet extrà se.

16. Ad tertium: ex eo quod lumen careat contrariò, & pendeat non solum in fieri, sed etiam in

esse à corpore luminoso, sicuti pendet species ab obiecto, quod emittit speciem, non potest inferri realis identitas inter lumen, & speciem, quia non valet arguere á particulari ad vniuersale, & á secundúm quid ad simpliciter: quot enim sunt, quæ habent communia aliqua prædicata, & tamen sunt diuersæ naturæ?

QVAESTIO II.

De corpore luminoso, & illuminabilli.

1. DEmonstrata illius qualitatis naturâ, quæ in genere causæ formalis denominat corpus lucidum siué luminosum, & constituit subiectum, in quo est, actu perspicuum, debemus ostendere naturam illius corporis, quod est susceptiuum lucis, adeoque potest illuminari, & naturam illius corporis, quod est actiuum lucis, & potest aliud corpus illuminare, quia fieri non potest, vt huiusmodi qualitas producatur, nisi sit aliquod corpus, quod eám producat, vt contingit in cæteris qualitatibus máterialibus, quæ non producuntur nisi existat duplex corpus, vnum actiuum, & aliud passiuum. Corpus actiuum lucis dicitur corpus luminosum, á quo nimirum dependet lumen non solum in fieri, sed etiam in esse: itá sol inter omnia corpora est maximé luminosus, quia nullum est corpus, quod possit cum sole conferri in virtute effusiua lucis: illud veró corpus, quod lumen recipit, & non producit, dicitur corpus illuminabile: quando actu illuminatur, dicitur potiùs corpus illuminatum, quam luminosum, quia nimirum non ha-

bet

bet ab intrinſeco illud lumen, per quod conſtituitur lucidum, & perſpicuum.

2. Natura corporis luminoſi in eo conſiſtit, quod habet in ſe virtutem non ſolum paſſiuam, ſed etiam actiuam lucis ſiue luminis: de virtute paſſiua non eſt dubium, quia corpus luminoſum non eſt minus perſpicuum, quam corpus illuminatum; ſed corpus illuminatum habet in ſe formam, per quam conſtituitur actu perſpicuum; ergo etiam corpus luminoſum habet in ſe formam, per quam conſtituitur actu perſpicuum: hæc autem forma eſt lumen, ſiué lux: ideó corpus luminoſum debet eſſe ſubiectum ſuſceptiuum luminis non minus, quam corpus illuminabile, adeoque vtrumque habet virtutem paſſiuam lucis ſiué luminis. Hinc eſt, quod corpus luminoſum quatenus luminoſum debet eſſe corpus diaphanum. Ratio eſt, quia corpus diaphanum eſt magis ſuſceptiuum lucis, quam corpus opacum; ſed corpus, quod eſt ſuſceptiuum lucis, eſt corpus diaphanum, ergo corpus luminoſum, quod eſt magis ſuſceptiuum lucis, quam corpus illuminabile, eſt corpus diaphanum. Corpus luminoſum habet etiam virtutem actiuam lucis. Ratio eſt, quia corpus luminoſum eatenus differt á corpore illuminabili, quatenus habet ab intrinſeco lucem quam habet ab extrinſeco corpus illuminabile; ſed habere lucem ab intrinſeco eſt formaliſsime habere virtutem actiuam lucis, ergo corpus luminoſum habet virtututem actiuam lucis. Hæc virtus actiua lucis, quæ eſt in corpore luminoſo, conſiſtit in ipſa ſubſtantia corporis luminoſi, quæ eſt talis naturæ, vt exigat lucem, tanquam proprietatem eidem corpori connaturalem. Ratio eſt, quia quodlibet corpus habet formã ſubſtantialem, quę eſt radix omnium propietatum conuenientium eidem

corpori; adeoque eſt virtus earumdem proprietatum actiua, eas conſeruando, vel recuperando: forma igitur ſubſtãtialis corporis luminoſi, illius nimirum corporis, quod ſplendet per ſeipſum, eſt radix adeoque virtus actiua illius qualitatis, per quam formaliter conſtituitur actu perſpicuum ſiué luminoſum. Hinc debes diſcurrere de natura corporis luminoſi relaté ad lucem eius proprietatem, ſicuti diſcurris de igne relaté ad calorem, qui eſt eius proprietas: ignis habet virtutem non ſolum paſſiuam, ſed etiam actiuam reſpectu caloris, quia forma ſubſtantialis, quæ conſtituit ignem, eſt principium & radix totius caloris exiſtentis in igne, adeoque ignis ab illa forma, á qua conſtituitur in ſpecie ignis, habet virtutem conſeruandi in ſe ſuum calorem, vel recuperandi, quando eum amiſit; ſimiliter forma ſubſtantialis corporis luminoſi eſt principium actiuum luminis, adeoque corpus luminoſum conſeruat in ſe ſuam lucem, eamque recuperat, quando eam amiſit, dummodo retineat ſuam formam ſubſtantialem, quia nimirum habet virtutem actiuam luminis.

13. Inter corpora luminoſa alia ſunt, quæ vocat Ariſtoteles in ſecundó de ánima textu 73. corpora ſublucida, quæ nimirum non videntur, niſi per draphanum tenebroſum, habent enim aliquam lucem ſibi intrinſecam, ſed eam non poſſunt extra ſe effundere, vt oculi, & ſquammæ quorumdam animalium, & capita quorumdam piſcium, quæ in tenebris videntur ſublucida: alia ſunt corpora, quæ idem Philoſophus vocat lucida, quæ nimirum poſſunt videri túm per diaphanum ab alio corpore illuminatum, tum per diaphanum ab alio corpore non illuminatum; ſunt enim itá perfecté viſibilia, vt non ſolum poſſint mouere ad videndum, ſed

etiam

etiam possint reddere medium, per quod videntur, actu pespicuum. Huiusmodi est ignis, qui propter lucem, quam potest extra se effundere, potest illuminare illud spatium, quod inter oculum, & ipsum ignem interponitur. Hinc est, quod in genere corporis luminosi continentur corpora cælestia, & corpora sublunaria, in quibus sunt aliqua corpora, quæ habent virtutem effectricem lucis; in genere corporum sublunarium, quæ habent nauram corporis luminosi, est elementum ignis, quod propter lucem, quam potest producere, habet summam actiuitatem, & dominatur in cætera elementa. In genere corporum cælestium, quæ sunt luminosa, est sol, qui est fons totius lucis, quæ propagatur per totum aerem. Probabile est, quod nullum aliud corpus cæleste habeat lucem ab intrinseco, sed eam accipiat á sole, qui habet virtutem propagandi lucem suam: an verò corpora humana, quæ resurgent gloriosa, sint habitura lucem ab intrinseco, est incertum, licet constet ex sacris literis futura transparenria propter dotem quam vocant claritatis. In ea senrentia ego sum, quod lucem habebunt ab intrinseco, multo magis, quam habeat ab intrinseco sol, quia sacræ literæ, dum referunt lucem, qua splendebunt huiusmodi corpora, vtuntur similitudine solis ad illam lucem nobis repræsentandam, quæ erit indumentum corporis gloriosi: sed de hac re, quæ ad nos non spectat, agunt Theologi cum S. Thoma in tertia parte.

3. Dicendum superest de corpore illuminabili, quod non habet virtutem actiuam lucis, quia non potest eam efficere, sed habet virtutem passiuam lucis, quia potest eamdem recipere, & sustentare. In genere corporis illuminabilis esse illa corpora,

quæ sunt diaphana, nemo vnquam in dubium vocauit, quia corpora diaphana sunt corpora transparentia, quæ nimirum ex omni parte illuminantur, adeoque transmittunt lumen ab vna parte ad aliam: inter hæc corpora alia sunt fluida, & rara, alia, solida, & densa; corpora diaphana fluida, & rara sunt aer, & aqua, experimur enim lumen peruadere totum aerem, & etiam aquam, quando videlicet hoc elementum est ab omni labe defæcatum. Inter corpora diaphana solida, & densa enumerantur crystallum, vitrum, & firmamentum, quod est corpus solidum, vt docui in disput. 19 quæst. 2. nu. 5. hæc enim corpora sunt transparentia, adeoque illuminantur secundùm omnem partem, sicuti aer, & aqua.

5. Dubium est de corpore opaco, quod Aristoteles appellat corpus terminatum; an nimirum sit subiectum susceptiuum luminis secundùm aliquam sui partem: sunt enim, qui negant lumen recipi in corpore opaco, & plurimi, qui docent corpus opacum esse subiectum luminis, asserunt esse subiectum luminis secundùm superficiem, non vero secundùm profunditatem, alioqui nullum esset discrimen inter corpus diaphanum, & corpus opacum, adeoque omnia corpora essent opaca, quód repugnat experientiæ, & rationi.

6. In hac re est mihi certum corpus opacum secundùm aliquam sui partem esse subiectum luminis, adeoque corpus diaphanum non esse itá susceptiuum luminis, vt hoc nullo modo conueniat corpori opaco. Ratio est, quia lumen, vt inquit Philosophus, est actus perspicui; ergo omne illud corpus est subiectũ luminis, quod á lumine *fit* actu perspicuum siue manifestum: idem enim sonat perspi-

cuum

cuum, & manifestum: sed corpus opacum fit actu perspicuum á lumine, vt experientia demonstrat, ergo corpus opacum est subiectum luminis. Præterea potentia visiua, quæ videt corpus terminatum, siue opacum, non minus videt colorem, quam lucem eidem corpori inhærentem. Neque mihi opponas colorem corporis terminati nihil aliud esse, quam diuersam luminis reflexionem, id enim est aperté fasum, quia color est qualitas realiter distincta á lumine, vt dicam in libris de anima in tomo 3. quod si ex aliqua luminis reflexione oriuntur quidam colores, vt patet in Iride, & collo columbæ, indé non sequitur, nullum esse colorem á luce distinctum, quia illi colores, qui habent originem ex lumine solis á nube repercusso, non sunt veri colores, sed apparentes, vt docet Aristoteles.

7. Hinc est, quod aliqua pars cuiuscumque corporis opaci, est capax luminis: huiusmodi pars non potest esse aliqua superficies sine profunditate, nullum enim est corpus, quod non habeat trinam dimensionem, adeoque longitudinem, latitudinem, & profunditatem; quare huiusmodi pars corporis opaci, quæ illuminatur, vel non est corpus, vel habet profunditatem. Atqui est omnibus manifestum esse corpus; ergo necesse est vt habeat aliquam profunditatem; ergo non sola superficies corporis opaci est subiectum luminis. Quare vel corpus opacum non est subiectum luminis, vel aliqua profunditas corporis opaci illuminatur, dum huiusmodi corpus redditur actu perspicuum. Indé est, quod discrimen inter corpus opacum, & corpus diaphanum non consistit in eo, quod corpus diaphanum est capax luminis, cuius non est capax corpus opacum, vel in eo, quod subiectum luminis

nis in corpore diaphano, sit non solum superficies, sed etiam profunditas, & in corpore opaco sola superficies sit subiectum luminis; vtrumque enim corpus est illuminabile non solum secundùm superficiem; sed etiam secundùm profunditatem, vt constat ex dictis. Differunt igitur huiusmodi corpora, eo quod corpora diaphana possunt illuminari secundùm omnem profunditatem, adeoque nulla pars est in corpore diaphano, quæ non sit susceptiua luminis, eaque propter huiusmodi corpora dicuntur transparentia, quia ex omni párte illuminantur, neque impediunt corpus luminosum quò minus effundat suam lucem in partem vlteriorem, vt satis constat in quolibet corpore diaphano. E contrariò corpora opaca non possunt illuminari secundúm omnem partem, atque adeò non sunt subiectum luminis secundùm omnem profunditatem. Hæc est causa, propter quam corpus opacum interpositum inter facultatem visiuam & colorem impedit eius visionem, eamque non impedit corpus diaphanum, quia nimirum totum spatium, quod est inter potentiam visiuam & colorem, non est actu perspicuum, non enim est illuminatum, quando interponitur corpus diaphanum. est autem manifestum, vt constat ex tomo 3. in lib. de anima, colorem non posse mouere potentiam visiuam, nisi per medium, quod sit actu perspicuum, adeoque per medium actu illuminatum: inter elementa est corpus opacum terra, quæ propterea impedit solem, quominus illuminet hunc nostrum aerem, quando est in alio emisphærio: corpora mixta eo magis, vel minus sunt opaca, quo magis vel minus accedunt ad naturam terræ: & quia corpora, quo magis, vel minus sunt opaca, eo magis, vel minus possunt illuminari secundùm

suam

suam profunditatem, ideò corpora eò magis, vel minus sunt susceptiua luminis; quo magis, vel minus imitantur naturam terræ.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum Cælum per lucem agat in Mundum elementarem.

1. VIdetur non agere, primò; quia distat á mundo elementari: sed cælum non agit in materiam á se distantem, ergo cælum non agit in mundum elementarem. Confirmatur, quia videtur incredibile primum cælum, quod maximé distat á terra, posse influere in illos effectus, qui generantur in terra.

2. Secundò: ea quæ formantur in mundo elementari, nullam habent similitudinem cum corporibus cælestibus: ergo cælum non est causa huiusmodi effectum: antec: patet, quia nullam similitudinem habet planta, quæ ex alia planta nascitur, & homo, qui ex alio homine generatur, cum sole, vel alio corpore cælesti. Consequentia probatur, quia omnis effectus habet similitudinem cum sua causa, ergo causa adæquata in genere causæ secundæ omnium rerum, quę fiunt in mundo elementari, est substantia particularis, quæ producit aliam substantiam, nimirum homo qui generat hominem.

3. Tertiò: cælum, si ageret in mundum elementarem, ageret etiam in hominem, sed non agit in hominē, ergo neque in mundum élementarem. Minor probatur, quia non agit in ea, quæ pendent á libera hominum voluntate, aliter homines liberé non agerent ea, quæ agunt.

4. VI.

4. Vltimò: ex eo quod cælum agit in mundum elementarem, sequitur omnia, quæ in mundo fiunt, contineri in motu orbium cælestium, tanquam in causa: consequens est falsum: ergo & antecedens. Minor prob: quia si omnia, quæ fiunt in mundo elementari, continentur in cælo tanquam in causa, possunt ab Astrologis, qui astrorum motus obseruant certò prædici omnia, quæ annis consequentibus fient, quod tamen repugnat experientiæ demonstranti hos Astrologos frequenter falli; dum futura vaticinantur, tum fidei catholicæ damnanti Astrologiam, quam vocant iudiciariam.

5. Respond: certum est intelligentias, quæ occupantur in mouendis motu nunquam intermisso orbibus cælestibus, propter aliquem finem agere; tum quia id omnibus agentibus est commune, tum quia ordinare media ad finem spectat ad substantiam intelligentem, quæ cognoscit conuenientiam, & proportionem, quam habent media cum fine: hanc proportionem vtique cognoscit substantia, quæ cælum mouet, vt pote perfectè intelligens; necesse est igitur, vt finem aliquem intendat mouendo cælum. Hic finis alius esse non potest, quam orbis elementaris conseruatio; ad eam enim requiritur perpetua rerum nascentium, & morientium vicissitudo, sine qua breui perirent species, & naturæ rerum componentium mundum, cum morientibus indiuiduis necesse sit totam speciem extingui, nisi noua succedant indiuidua, quæ occupent locum decedentium. Mundus igitur elementaris, vbi varia ex elementis formātur corpora, quorum aliqua viuunt, aliqua non viuunt, tandiú perseuerabit in hoc rerum statu, quandiu materia, quam diximus esse ludum naturæ, per mutationes per-

perpetuas, quæ circa ipsam contingunt ab vna ad aliam formam mouebitur: quia veró materia non mouetur ab vna forma ad aliam nisi ab aliquo mouente moueatur, cum seipsam mouere non possit, eo quod nullum exerceat causæ effectricis munus; ideo existere debet aliquod agens, quod ipsam semper moueat: huiusmodi agens non possunt esse corpora inferiora quæ licet habeant virtutem mouendi materiam non habent adæquatam sufficientiam huius mutationis, necesse est igitur, vt corpora superiora, siué orbes cæléstes, quæ sunt causæ vniuersales, habeant virtutem mouendi materiam, & consequenter mutandi substantias materiales. Id autem fieri non potest, nisi corpora cælestia agant in mundum elementarem, adeoque cælum habeat virtutem influendi in terram, aquam, ignem, & aerem; cæteraque corpora, quæ ex elementis constant; oportet igitur, vt cælum influat in omnes mutationes, quæ in hoc mundo inferiori succedunt: quia vero potissima corporum cælestium qualitas est lux, ideó corpora cælestia agunt in mundum inferiorem per lucem, ipsa enim experientia demonstrat á sole plurimos effectus produci medio lumine, quo vtitur ad calefaciendam, alteranda, exsiccanda, & multiplici mutatione mouenda corpora inferiora; idem experimur in luna, qua crescente vel decrescente plurimæ succedunt mutationes.

6. In ista necessitate, quam habet mundus superior agendi in mundum inferiorem posita est harmonia, & consonantia huius rerum omnium vniuersitatis, quæ certè est maxima: pulchritudo enim nascitur ex ordine, sicuti deformitatem facit defectus ordinis, & dissona partium coniunctio; ordo vero sine proportione inueniri non potest

poteſt, ea enim quæ ſunt diſtincta, non poſſunt eſſe ordinata, niſi in locis ſibi debitis collocentur; vnde ſequitur proportio, & conſonantia: quia verò nulla proportio inuenitur maior, quam inter effectum, & cauſam propter continentiam perfectionis, ideo vt mundus ſuperior, habeat proportionem cum mundo inferiori, neceſſe eſt vt inter mundum ſuperiorem, & inferiorem inueniatur ſumma proportio cauſæ cum effectu: non poteſt autem hæc proportio in eo conſiſtere, quod mundus inferior agat in ſuperorem propter maiorem perfectionem mundi ſuperioris relatè ad inferiorem; igitur mundus ſuperior agere debet in mundum inferiorem. Hinc ſequitur pertinere ad bonum, & perfectionem mundi inferioris ſubijci ſuperiori, ſicuti enim pertinet ad perfectionem corporis ſubijci animæ, vnde accipit vitam, & motum, materiæ primæ ſubijci formæ, itá mundus inferior perfectionem ſuam conſequitur, dum pendet á mundo ſuperiori.

7. Hic diſcurſus demonſtrat neceſsitatem, quam habent corpora ſuperiora agendi in inferiora. Dubium tantum remanet, an alterando tantum agant, hoc eſt illuminando & calefaciendo: an vero agant influendo in generationem ſubſtantiæ. Hanc dubitationem ſoluit Philoſophus, qui in ſecundo Phyſic: textu 6. *Ait ſol, & homo generant hominem*: Ariſtotelem ſequitur inter Theologos Dionyſius, qui in quarto de Diuinis nominibus hæc habet: *lumen ſolis ad generationem ſenſibilium corporum confert, & ad vitam ipſam mouet, nutrit, auget, & perficit*. S. Thomas etiam docet corpora cæleſtia eſse principium actiuum cuiuſcumque mixti diſponentibus materiam qualitatibus elementorum. Ratio huius doctrinæ, quæ eſt vera, eſt, quia plurima mixta, quæ fiunt ex elemẽtis, non ha-

habent in mundo elementari causam actiuam sui, vt videri potest in omnibus mineralibus, lapidibus, & alijs id genus, quæcumque enim habent in orbe elementari causam sui actiuam, á qua effectiue generantur (sermo, est in præsenti de substantijs) procedunt á causa habente similitudinem in essentia, adeoque eiusdem speciei, quod respectu lapidum, & mineralium non contingit, cum lapis non generet lapidem, neque aurum ab áuro generetur: necesse est igitur, vt causa actiua huiusmodi mineralium, & lapidum sint corpora cælestia, quæ sunt causæ vniuersales, cum necesse sit singulis effectibus respondere causam secundam efficientem, illis dumtaxat exclusis, qui á causa prima immediatè procedunt, quia nimirum creantur; hinc vulgo dicitur sol generare aurum, cæteraque metalla, quæ intra viscera terræ formantur, cum nulla alia sit causa formatiua auri, quód generatur intra montium viscera, quam sol: prætereá plurima etiam viuentia, quæ inperfectam vitam participant, generantur in terra, absque eo quod habeant principium aliquod actiuum simile in specie, vt patet in illis animalibus, quæ non generantur ex semine, in huiusmodi animalium generatione necesse est, vt recurramus ad corpora cęlestia, quæ habent virtutem eorumdem effectricem; animalia verò, quæ perfectam vitam participant, & generantur ex semine, habent etiam in orbe elementari causam immediatam effectricem, cui sunt similes similitudine essentiali: nihilominus hæc animalia generari non possunt, nisi cælum, & præsertim sol in eorum vitam influat; cum rerum omniū generationes quæ pertinent ad lineam motus, & mutationis, dependeant á motu corporum cælestium, qui est primus motus & mensura cuiuscumque motus; ex qui-

bus

bus omnibus conficitur, vt cælum agat in mundum elementarem non solum alterando materiam, sed etiam efficiendo omnes formas, quæ educuntur ex materia.

8. At inquies: quomodo potest cælum esse causa adæquata aliorum viuentium, si cælum non viuit. Nonne causa actiua præcontinere debet perfectionē effectus, quem producit? quo modo verò potest in cælo carente vita præcontineri effectus qui habet vitam? Ad hanc explicandam difficultatem dici potest intelligentias, quæ mouent cælum, viuere: inde est gradum vitæ huiusmodi animantibus communicatum, quorum adæquatum principium refunditur in causas vniuersales, nimirum in corpora cælestia, contineri non quidem in corporibus, quæ circa terram mouentur; sed in intelligentijs mouentibus, quæ vtuntur cælo tanquam instrumento. Quod si non libet ad intelligentias recurrere, quæ nimirum mouent physice cælestes orbes, sed non producunt physicè effectus sublunares: dicendū est diffusos esse per mundum elementarem plurimos spiritus vitales, & animales, quos spiritus corpora cælestia mouendo, determinant ad largiendam vitam huiusmodi rebus, quæ imperfectè viuunt.

9. Ea, quę hucusque disputauimus circa dependentiam mūdi inferioris á superiori videntur satis certa; potest in controuersiam cadere an multiplex, & varius Astrorum aspectus aliquid possit in ea, quæ oriuntur ex libera hominum voluntate; non enim defuerunt, qui crederent hominem dum vnum potius, quam aliud vitæ genus instituit, non tam agere ad arbitrium suæ voluntatis, quam agi nescio qua fatali necessitate in orbium cælestium cursu, & syderum periodo descripta: quasi homo

non ſit culpandus, quód vitium ante virtutem ponat, atque adeo humana ſcelera debeant in eum referri omnium aſtrorum conditorem. Ex hac vero quorumdam Philoſophorũ opinione factum eſt, vt plerique rerum futurarum cognitionis appetentes conſulerent aſtrorum obſeruatores, exiſtimabant enim in ſyderum aſpectu, eorumque collocatione poſse certo cognoſci ea, quæ proficiſcuntur á cauſis tam liberis, quám neceſsarijs.

10. Hæc opinio longé ab errat á veritate, quia ſi aſtris hanc vim tribuimus, non eſt liberum homini ad vnam potiús, quám ad aliam partem ſe flectere, atq; adeo omnis libertas tollitur, quæ diſtinguit animal rationis particeps á cęteris animalibus, quo modo enim poſsunt cõponi libertas, & neceſsitas? illa eſt facultas prompta, & expedita ad agendum, vel non agendum; hæc é contrarió non poteſt non agere, eo quód habet ineuitabilẽ agendi neceſsitatem. Nemo eſt, quẽ lateat non eſse liberum, qui nõ poteſt ad arbitrium ſuum vnam rẽ magis, quám aliam eligere: tota enim libertas ſita eſt in hac virtute, quam qui tollit, neceſſe eſt vt omnem adimat vſum libertatis. Hoc totum eſt adeo verum, vt vel ipſe Deus, qui principem locum habet inter omnes cauſas, non poſsit ante aliquam ſcientiam illius exercitij, quod ſpectat ad libertatem creatam, definire opus ab humana libertate exercendum, niſi velit humanæ libertatis iura violare; ex quo enim Deus iuxta ſuæ voluntatis conſilium conſtituit hominem liberum, conſequens eſt, vt eidem relinquat ampliſsimam facultatem conſectandi virtutem, vel vitium, adeoque nullam neceſsitatem homini imponat, cum enim effectus, qui liberé fiunt, laudi, vel vitio vertantur,

opus est vtrumque esse in potestate operantis, quia nemo est male moratus eo, quód agit rem, quám vitare non potest, vt ex Augustini sententia Philosophi, & Theologi semper pronunciarunt. Posita hac necessitate, vel non operandi liberé, vel habendi potestatem ad vtrumque expeditam; sequitur necessarió, vel hominem non esse liberum, vel esse plurimos actus, qui ab humana voluntate proficiscuntur, & nullam prorsus habent cùm syderum cursu connexionem, quia necesse est vt repugnantia dicat, qui ex vna parte ait hominem esse liberum, ex alia parte ait in eius voluntatem, & liberam eiusdem electionem astra dominari.

11. Cæterum de hominis libertate videtur satis constare omnibus Philosophis, qui nolunt aperté delirare, cum nihil sit, quod nobis magis persuasum habeat lumen rationis & fidei, ipsa etiam duce experientia, quám hominem esse in pluribus rebus liberum, & dominum suorum actuum. Quod ad id attinet, quod experti nouimus, quis potest dubitare an plura agat, quæ eatenùs agit, quatenús vult agere, est enim vnicuique facile á pluribus rebus abstinere, quas libens, & volens operatur; nemo est, qui non experiatur in multarum rerum electione opus esse consilio alijsque id genus, ex quibus aperté liquet esse in sua potestate vnam rem potiús, quam aliam eligere. Quód si volumus lumen rationis diligentius inspicere nihil est magis perspicuum, & certum, quam homini in esse libertatem: sed de hac re sermo erit alibi, dum ex professo hanc controuersiam examinabimus.

12. Ratio huius rei est manifesta ex ipsá hominis natura: facultas enim intelligendi, quá vtiq; est præditus homo, est facultas amplissimá, quia omnia

co-

cognoſcit,idem conſtat in facultate appetente,quæ omne bonum appetit:ex hac ampliſſima appetendi facultate ſequitur eſſe in poteſtate hominis vnum bonum præ alio appetere, quia inter bona appetenda alia cum alijs pugnant, atque adeo neceſſe eſt vt homo cui proponuntur plura bona, quæ non poſſunt ſimul obtineri at habet libertatem vnum potiùs, quam aliud pro arbitrio amplectendi, quod non contingit in brutis, quæ nõ cognoſcunt bonum vniuerſale,adeoq;poſſunt à natura determinari ad amorem illius boni, quod ſenſus repræſentat. Addo,quod ex plurimis,qui naſcuntur ſub eodem ſyderis aſpectu, alij vnum vitæ genus, alij diuerſum ingrediuntur,vt demõſtrat experientia, cui non poſſumus repugnare, hinc nón poteſt refundi in diuerſam aſtrorum poſitionem voluntatum, & ſtudiorum diuerſitas quibus pleroſq; homines excitari animaduertimus:nũ eſt igitur alia cauſa huius tantæ varietatis quã libertas humana. Hoc argumentum ſplendide tractat Auguſtinus exemplo duorum natorum Iacob, & Eſau, quos eodem tempore in vtero matris genitos ſacræ literæ teſtantur & tamen diſſimiles fuere vtriuſque fratris mores, vt omnibus conſtat ex ſacris ſcriptoribus: Hanc eamdem veritatẽ lumine naturæ compertiſſimam circa liberum hominis arbitrium docet frequenter lumen fidei, nihil enim magis liquet, Dei reuelantis authoritate, quam in hominis poteſtate eſſe vitam agere bene, vel male moratam, quia præmia, quæ Deus pollicetur virtutem ſectantibus, & ſupplicia, quæ comminatur virtutem deſerentibus ſunt certiſſimum argumentum noſtræ libertatis.

12. Hinc ſequitur in globis cæleſtibus, & in

vario Astrorum aspectu nullam esse virtutem in voluntate pertrahenda, ad amorem vnius rei magis, quam ad amorem alterius; quia vt fuit hucusque demonstratum, non possunt vicissim cohærere libertas, & necessitas; vna enim aliam excludit. Quia verò anima corpori copulata non potest operari, nisi antecedat operatio partis sentientis, & astra cæteraque corpora cælestia possunt varios effectus in parte sentiente producere, ideó fieri potest vt sydera, & orbes cælestes inclinent humanam voluntatem ad vnam potius rem, quam ad aliam: hinc tamen non sequitur eius libertatem lædi, quia est liberum voluntati repugnare huiusmodi inclinationi, sicuti eidem est liberum repugnare inclinationi partis sentientis.

14. Ad primum: dist: antec: cælum distat á terra distantia virtutis, nego antec: distantia suppositi: conc: antec: & nego consequentiam. Duplex datur distantia, vna suppositi, quæ ibi inuenitur vbi inter causam, & effectum plurima corpora interiacent. Alia est distantia virtutis, quando agens naturale effectum producit in toto spatio interposito inter agens & passum. Propinquitas causæ cum effectu ad agendum requisita non exigit indistantiam suppositi, cum sufficiat indistantia virtutis, vt constat ex tom. 3. in libris de ortu, & interitu: dubium autem non est, quin cælum á terra remotissimum quantum spectat ad distantiam suppositi, habeat indistantiam virtutis, cum diffundat per totum illud spatium, quod interiacet, virtutem suam; inde est distantiam suppositi non repugnare actioni cæli agentis in orbem elementarem.

14. Ad secundum: dist: ant: nullam habent similitudinem cũ globis cęlestibus in prædicatis speci-

cificis: conc: antec: in prædicatis genericis: nego antec: & consequentiam. Causa debet præcontinere totam effectus perfectionem, dummodo hæc causa sit adæquata; quod si hæc causa non est adæquata, satis est si præcontineat aliquam eius perfectionem, adeoque habeat aliquam similitudinem cum effectu, quem producit; vnde sequitur non bene argui á negatione omnimodæ similitudinis ad negationem causæ.

15. Ad tertium: conc: ma: & nego mi: Homo constat ex anima, & corpore; secundúm partem animalem, quę ad corpus spectat pendet a motu corporum cælestium, secundùm partem spiritualem, quæ ad animam refertur, nullatenus pendet, quia solus Deus est ille, qui dominatur in voluntatem humanam iuxta illud: *cor regis in manu Domini, quocumque voluerit flectet illud*. Cælum igitur agit directè, & immediatè in vitam corporis, mediaté, & indirectè in vitam animæ, quatenus anima non potest intelligere, nisi conuertatur ad phantasmata. Indè tamen non sequitur humanam libertatem euerti; quia syderum aspectus non inducit ineuitabilem necessitatem operandi.

16. Ad vltimum: Astrorum obseruatoribus licet prædicere effectus futuros, qui ab humana libertate non pendent, eos autem, qui á libera electione originem trahunt, neque per lumen rationis, neque per lumen fidei licet, cum vtrumque ostendat sapientem astris dominari, adeoque esse in hominum potestate inire quamcumque viam voluerit. Non est igitur, cur in astris speculandis amplius immoremur, quasi á syderum erroribus nostra pendeat fortuna, cum nouum, & animatum in hoc mundo elementari ASTRVM

no-

nobis affulgeat communis præsagum fælicitatis; cuius spes olim in horto voluptatis extincta nascente renascitur in VIRGINE DEIPARA quám eo nobis consilio cœlum in præsentiá dóna, vt maiori cum fænore Cœlum redonetur. Et hæc in octo Aristotelis libros de Physico aditu, geminosque de mundo & Cælo dicta sint satis.

FINIS.



Pag.	Ver.	Errata		Corrige.
5.	15.	cætera	lege	quasi cætera, quæ suadeç
53.	21.	vltimo nunc est		priuatio nunc est
56.	22.	& conceptus		& quià conceptuş
68.	29.	ergo materia		ergo materiæ
85.	32.	vt sequitur		vt sequatur
96.	25.	non infert		non infertur
101.	1.	se distiucta		est distincta
118.	5.	mutatione		mutationem
119.	30.	nostre regenerationis		nomine regenerationis
207.	23.	existentiæ		resistentiæ
212.	14.	de toto	adde	antec: prob.
354.	11.	Incopia		inopia
355.	32.	& transitiuam		& intransitiuam
356.	14.	receptis recept iuis		receptiui
371.	5.	simplicer		simpliciter
279.	9.	opposita	adde:	sed vnio & passio sunt huiusmodi
399.	25.	continenti		continentia
407.	6.	quia omnes		quia in omnes
426.	12.	actu ptimo		in actu primo
432.	11.	calor		color
456.	6.	dependentia materiæ		dependens à materia
477.	6.	sterior		posterior
556.	9.	entia mundum		extrà mundum
560.	19.	aliquando	adde	siue aliquando
563.	25.	patua		pauca
575.	1.	primo non	dele	primo
576.	28.	ex suppnsitione		quæ non est ex suppositione
584.	35.	ea repugnat		ei repugnat
598.	3.	significat		dignificat
616.	4.	esse		Deum esse
745.	30.	apperte apertè & 34.		vtilitate vtilitatis
758.	1.	sint quidam		sit quædam substantia
759.	7.	fit . sint & 21.		principij principium
767.	20.	melem		meam
768.	21.	intelligentiam		intelligentia
774.	19.	ab nō . abomni & 30.		indiget indigent
799.	28.	similes		similia